ANNALES
COMPENDIARII
REGUM, & RERUM
SYRIÆ.


ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ
ΜΑΡΙΑΣ
ΘΕΡΕΣΙΑΣ
ΜΕΓΑΛΗΣ
Κ
ΔΙΚΑΙΑΣ
ΕΥΕΡΓΕΤΙΔΟΣ
ΕΤΟΥΣ Δ.
F.L. Schmitner sc. Viennæ

ANNALES
COMPENDIARII
REGUM, & RERUM
SYRIÆ,
NUMIS VETERIBUS
ILLUSTRATI,

DEDUCTI AB OBITU

ALEXANDRI MAGNI,

AD

CN. POMPEJI IN SYRIAM ADVENTUM,

CUM

AMPLIS PROLEGOMENIS...

CONSCRIPTI

AB

ERASMO FRŒLICH,

SOC. JESU SACERDOTE.


EDITIO ALTERA.

CUI ACCESSERE

NOTÆ COMPENDIARIÆ ET MONOGRAMMATA
NUMISMATUM GRÆCORUM.

VIENNÆ 1754.

APUD
LEOPOLDUM JOANNEM KALIWODA,
AULÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHUM.
ET
AUGUSTINUM BERNARDI,
UNIVERSITATIS BIBLIOPOLAM.



AD LECTOREM.

Rodeunt iterum in lucem Annales Compendiarii Regum, & rerum Syriæ, numis illuſtrati, eadem in urbe, & ex eodem typographeo, unde primum Anno Salutis 1744. in publicum prolati ſunt. Alterius iſtius editionis motores veluti, ac promotores fuere Excellentiſſimus D. Lib. Baro DE PFÜTSCHNER, ab intimis AUGUSTORUM Conſiliis, & Prænobilis Doctiſſimusque DU VALIUS, AUGUSTO ab Antiquitatibus, & Bibliothecæ Florentinæ Præfectus, aliique amicorum nonnulli.

Addita priori editioni, præter numiſmata quædam, quæ paullo poſt ſingillatim proponam, pauca invenies; Compendiarios enim Annales, non plenos, neque hiſtoriam profitebar, ac profiteor. Correcta ſunt nonnulla, utinam omnia. De chronologia Macchabæo-Syriaca nihil demutavi, nihil permotus bello Anti-Macchabaico, a duobus, tribusve Viris Literatis, adverſum Annales iſtos concitato, de quo plura hoc loco commemorare non libet; occurſum eſt infeſtis copiis, & artibus, palamque depulſi inſultus, quo ſucceſſu? judicent, qui certaminis arbitri, & periti ſunt, & a nimio partium ſtudio alieni. Poſt ultimum, anno 1749. pro Libris Macchabæorum finitum certamen, ſilentium, & pax.

Numiſmata quædam Regum Syriæ, quæ poſt primam Annalium editionem, & in eadem deſiderata, nobis ſe ſe obtulerant, paucis indicabimus. Pleraque iſtorum numiſmatum Venetiis conſpeximus in prædivite cimelio Viri, avita, celeberrimaque nobilitate, eru-

ditione amplissima, & eximia humanitate Excellentissimi, Domini Marchionis ANTONII SAVORGNAN, qui etiam Syriæ Regum, aliosque numos, bene multos, quos duplices possidebat, candida liberalitate mihi dono obtulerat, quae Collegii Regii Thereſiani cimelio inserui. Duo, triave reliqua numismata vidimus apud Illustrissimum D. Marchionem NAPOLI, Siculum, dum Viennæ degeret, qui sua manu scite lineatas numorum imagines nobis liberaliter impertiit: eos numos, cum aliis pluribus, D. Marchio dono dedit Perillustri D. DE FRANCE. En itaque numos qui novi accedunt.



N. I. Caput Seleuci I. adversa integra facie, exiguis cornibus Taurinis ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Rex eques proculcat hostem armatum scuto, qui videtur esse Antigonus Asiæ rex, a Seleuco, & fœderatis victus, atque occisus in prælio ad Ipsum in Phrygia. *Est Æneus II. moduli, singularis, Domini Marchionis Savorgnan, referendus ad Annalium pag. 19. ad numum Seleuci Primi.*

N. II. Numisma Seleuci I., quod in Haymio mancum erat, a D. Marchione Napoli integrum nactus sum, cujus iconem hic sisto, errorem vero inde enatum suo loco emendavi Annalium pagina 21. ad numum XXX. Seleuci Primi.

N. III. Numisma inscriptione nonnihil barbara; *æneum, medii moduli: olim D. March. Napoli* ita habet.

Ca-

Caput diadematum, crispum, naso gibbo, imberbe Antiochi vel Sidetis, vel Grypi

BACIΛEΩC. ANTIOXOY. *Regis Antiochi.* Fulmen alatum.

N. IV. Caput barbatum, laureatum, Jovis, ut opinor.

BACIΛEΩC. ANTIOXOY. *Regis Antiochi,* Aliquid, quasi flos loti, Syriacis numis insculpi soliti, sed isthic ruditer expressum, uti & characteres inscriptionis. *Est numisma æneum medii moduli, D. Marchionis Napoli olim, nunc D. de France.*

In Cæsareo Regio Austriaco Thesauro nuper vidi numum Achæi Tyranni, qui ita habet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΧΑΙΟΥ. Aquila stans, cum ramo infra alam. In altera parte: Caput muliebre cincinnatum. *Æneus parvi moduli. Ad pag.* 37.

Caput Antiochi IV. diadematum cum corona radiata.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. L. ΗΛΡ. *Regis Antiochi anno* 138. Navis pars inferior. *Æneus II. moduli March. Savorgnan, & noster: referendus ad pag.* 45. *ante numum primum Antiochi IV.*

Caput muliebre cincinnulis undique ornatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΖΝΡ. *Regis Demetrii: anno* 157. Tripus stans. *Æneus III. moduli: March. Savorgnan, & noster: referendus ante numum XIV. Demetrii Primi, pag.* 61.

Demetrii I. aliud numisma adest, omnino uti in Annalibus *pag.* 59. numo 2. signatum, sed ibi abest titulus ΘΕΟΥ, qui isthic, præter ceteros legitur. *March. Savorgnan.*

Caput Demetrii II. diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ ΖΞΡ. *Regis Demetrii Dei, Fratrem amantis, Victoris: anno* 167. Apollo nudus, cortinæ insidens: monogrammata duo, complexa A. & Π: alterum A. & X. *Argenteus I. moduli: March. Savorgnan: referendus pag.* 69. *post numum III.*

Demetrii II. numus, cum iconismo forcipis, & inscriptione tali, qualis est in simili numo XIV. *pag.* 71. Sed qui loco capitis referat

alte-

altera ex parte dimidiam pantheram, extat *Æneus III. moduli in cimelio Marcb. Savorgnan, & nostro.*

Caput Antiochi Evergetis diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔωνιων. ΖΟΡ. *Regis Antiochi. Sidoniorum: anno* 177. Aquila insistens ramo: monogramma complectens Π. & Ε. imposito Δ. *Argenteus II. moduli: Marcb. Savorgnan; referendus ad numum XIV. pag. 81.*

Caput Alexandri II. diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΗΠΡ. *Regis Alexandri: anno 188.* Juppiter Nicephorus sedens, d. victoriolam, s. hastam puram; adsunt monogrammata duo. *Argenteus I. Marcb. Savorgnan; referatur ad numum IX. pag. 91.*

Caput Alexandri II. diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ϙΡ. *Regis Alexandri: anno 190.* Juppiter sedens, ut in praecedente: monogrammata duo. *Argenteus I. moduli: Marcb. Savorgnan; referatur paginæ 95. initio.*

Præclarum hoc numisma confirmat annos regni Alexandri II. quos eidem ex Porphyrio, & numis tribueramus *Annalium pag. 92.* Constituimus nempe Alexandrum istum e vivis ereptum fuisse anno Seleucidarum exeunte 190. & ineunte 191. cui intervallo plane respondet annus Seleucidarum in hoc Alexandri numo signatus 190. quo posterior nullus occurrit.

Numisma uti *Numo 26. pag. 97.* Antiochi VIII. sed cum epocha ΓϙΡ. 193. *Argenteum magni moduli elegantissimum, in cimelio Canonicorum Regularium ad S. Florianum in Austria superiore.*

Caput Antiochi Grypi, seu octavi, cum corona radiata.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΒΣ. *Regis Antiochi Epiphanis: anno 202.* Aquila stans. *Æneus III. moduli: Marcb. Savorgnan, & noster; referendus post numum XXXII. pag. 99.*


Adjuncta quoque est huic editioni nova, & melius expressa icon, præclari illius achatis orientalis, cui Alexandri Magni res ge-

gestæ, & quatuor ejusdem belli ducum capita, insculpta sunt. Gemmæ hujus, seu antiquæ, seu recentioris manus (variant enim eorum, qui gemmam viderant, & se peritos putant judices, sententiæ) pretiosissimæ certe, & elegantissimæ imaginem æri iterum incidendam curavit, nobisque impertiit, humanissimus ejusdem possessor Perillustris DOMINUS DE FRANCE, AUGUSTÆ a Cameræ Consiliis, ac Thesaurorum Director. Libet adferre verba, decerpta ex epistola Viri Clarissimi, & ab antiquitatis eximia cognitione tota Italia celeberrimi, Reverendissimi Patris JOANNIS FRANCISCI BALDINI, emeriti Somaschorum Generalis, data ad nos Romæ, anno 1751. die 1. Septembris, quæ ita habent. („Opus cœlatum in achate orientali rubro, „Alexandri Magni referens effigiem, ejusque gesta, est opus in-„signe, singularis prorsus artificii, & maxima dignum admiratione. „Nunquam ausa fuisset quid simile scalpere egregia schola Mi-„chaëlis Angeli Bonarottæ. Antiqui gemmarum scalptores id „certe perficere non potuissent, defectû pespectivæ, & lentium „opticarum.) Liceat tria verba interponere; si hæ denique duæ res persuadent, gemmæ nostræ cœlaturam antiquum non esse opus, fortasse salva præstari ejus antiquitas potest. Nam veteres *Perspectivæ* egregie peritos fuisse ostendunt picturæ, ad Neapolim e vetere Herculano refossæ, de quibus celeberrimi GORII *Notizie del memorabile Scoprimento dell' antica cittd Ercolano, Notizia XIII. pag. 21. & 22.* testantur, ita scribente Viro literato, atque oculato teste: („Quello, che le posso dire di aver veduto, „sono da cento quadri di Pitture antiche - - - - - - altri rappre-„sentano Architetture piu tosto grandi, e tirate di prospettiva „all' ultima perfezione; il che si dubitava, se sapessero fare gli „antichi, comme ella sà.) Deinde præter specula concava, sphæras vitreas aqua repletas, atque adeo lentium opticarum quoddam genus, *ad augenda objecta* usitatum, veteres non ignorasse, perspicue nos docet SENECA, *Naturalium quæstionum Lib. I. Cap. VI. Edit. Parisinæ, anno 1607. pag. 837.* his verbis: („Dixi modo fieri „specula, quæ multiplicent omne corpus, quod imitantur. Illud „adjiciam, omnia per aquam videntibus longe esse majora. Li-


runt: inſperſis paucis, quæ ad marmora, aliave vetuſtatis monumenta Græcanica, potius revocantur. Attamen ſi qua ſe offerrent, quæ numis propria non eſſent, ea de re illic Lectorem admonui: uti etiam, cum interpretatio ſiglarum dubia eſſet. Adjeci *Monogrammata* (multa jam MONTFALCONIUS in *Palæographia Græca*, plura Cl. SCHLÆGERUS ad finem quarundam diſſertationum, protulerat) & *literas necti ſolitas*, quæ ambo ſingulari tabula æri inciſa ſiſtuntur. Collectæ ſunt hæ notæ multorum decurſu annorum, e cimeliis, librisque melioribus, eoque ordine digeſtæ, ut ſperem aliquid utilitatis, commodique inde in græcanicæ antiquitatis numariæ ſtudium dimanare poſſe; tametſi hoc non ingenii, atque eruditionis opus ſit, ſed induſtriæ, & cujusdam in hiſce rebus perſpicientiæ, uſusque. Malui interdum notas quasdam iterum, tertioque ponere, ut quærentium commodo conſulerem, quam affectata brevitate tyrones deſtituere.

Chartam geographicam Imperii Seleucidarum æri incidendam, atque Annalibus adjungendam curavimus, quæ ad CL. HASII ſimilem chartam primum fuit deſcripta, ſubinde quibusdam correctionibus, atque additionibus locupletata, atque Annalium materiæ propius accommodata.

Vale Amice Lector, & fave.



CON-



CONSPECTUS PROLEGOMENORUM

AD ANNALES COMPENDIARIOS

REGUM & RERUM SYRIÆ

NUMIS VETERIBUS ILLUSTRATOS.

PARS PRIMA.

Suscepti Operis ratio.

PARS ALTERA.

Dubia in Libris Macchabæorum occurrentia discutiuntur.

PARS TERTIA.

Quod in veteribus Regum Syriæ Numis difficile, atque utile occurrit, expenditur.

PARS QUARTA.

Chronologo-Hiſtoricorum Controverſiæ quædam novæ in examen vocantur.

PARS QUINTA.

De Numis Hebræorum.


ACCEDIT APPENDIX

Numiſmata Hebraica adulterina, & recentioris fabricæ exhibens.


PRO-

PONTUS EUXINUS
THRACIA Europæa
HELLESPONTUS
PROPONTIS
THRACIA Asiatica
Cyzicus
Lesbus
Chius
Samos
MYSIA MINOR
BITHYNIA
PHRYGIA PARVA
Phrygia Epictetos
PHRYGIA MAGNA
LYDIA
CARIA
PISIDIA
LYCIA
Solymi
Rhodus
Carpathus Ins.
Paphlagonia
Mariandeni
Troemi
Tolistoboii
Tectosages
Galatia
PONTUS
LYCAONIA
CAPPADOCIA quæ et LEUCOSYRIA
Antitaurus M.
Taurus M.
ISAURIA
CILICIA TRACHEA
CILICIA CAMPESTRIS
Cilices
Sinus Issicus
Colchis
Lazi
Abasci
Sanichæ
Caucasus M.
Caucasiæ Pylæ
IBERIA
ALBANIA
Chalybes
Taochi
ARMENIA posterior
ARMENIA ORIENTALIS
ARMENIA OCCIDENTALIS
Niphates M.
Carduchi
Gordyene
Caddusii
Ariaracæ
MARE CASPIUM
MARDI
Elymæi
MEDIA ATROPATENE
MEDIA
Zagros M.
Caspiæ Portæ
COMISENA
Choarina
PARTHIA
MEDIA MATIANA
MEDIA SUPERIOR
CAMBADENA, in qua urbs Baptana
MEDIA incipiens a Regione Charina
Ecbatana
Aspa, Aspadana, quæ hodie Ispahun
MESOPOTAMIA
Tigris fl.
Euphrates fl.
ASSYRIA
Adiabene
Arbelitis
Sittacene
Apolloniatis
Chalonitis
BABYLONIA
Babylon
SUSIANA
Sinus Persicus
PERSIÆ PARS
Arabes Scenitæ
Troglodytæ
Strata Regio Procopii
Palmyrene
COMAGENA
CYPRUS
MEDITERRANEUM MARE
Loca quædam Syriæ, quorum situs ñ constat
Achaia
Afsucus
Callipolis
Heren
Myuns
Oropus
Perinthus
Tegea
PHOENICE SELEVCIDARVM ab Eleuthero ad Doram
SYRIA
PALÆSTINA
Damascus
ARABIA DESERTA
Agræi, Hagareni
ARABIA PETREA
Moabitarum Desertum
Magnum Desertum PHARAN
SIN Desert.
Desert. TZIN vel Kades Barnea
Nili ostia
DELTA
ÆGYPTUS
Sirbonis Palus
MARMARICÆ PARS





Gradus Longitudinis a Primo Meridiano, qui a Par. 20 fine distat 20 gradibus.



PROLEGOMENA

Quibus via ad Annales Regum Syriæ ſternitur, & majoris momenti dubia expediuntur.

PARS PRIMA.

SUSCEPTI OPERIS RATIO.

CAPUT I.

Incitamenta ad hos Annales conſcribendos.



Ecte, ac ſapienter Magnus PETAVIUS (a) monuit: non minus ſacræ, quam profanæ hiſtoriæ intereſſe, Regum illorum, qui poſt Alexandrum Magnum in Syria regnarunt, ordinem ac ſucceſſionem cognoſcere, eorumque fideliter notata tempora deſcribere. Eſt enim ſacra Macchabæorum cum illis implicata narratio; atque ad illuſtrandam Danielis Prophetiam, eam præcipue, quæ Capite XI. continetur, Syriæ Regum Hiſtoria valet plurimum; in quo celeberrimo Vaticinio e validiſſimis unum ineſſe exiſtimo argumentum, quo profani quidam homuli convincantur: dari aliquid, quod admirando futurorum eventuum præſagio naturæ vires excedat, neque religionem omnem poſſe humani ingenii commentum a ſanæ mentis homine appellari.

(a) Petavius de Doctrina Temporum Lib. x. Cap. xlv. initio.

Atque id causæ erat, quamobrem in componenda, perpoliendaque Syriæ Regum Historia, & Chronologia Viri Doctissimi multam operam posuerint Chronologiæ Magistri, ut alios præteream, præcipui: Josephus Scaliger, (b) & Dionysius Petavius S. J.; (c) Annalium Scriptores: Torniellus, (d) Salianus S. J. (e) & Usserius; (f) suam huc quoque symbolam contulere, qui in sacram Macchabæorum Historiam, & Prophetiam Danielis commentarios confecere: Serarius, Fullonius & Cornelius a Lapide e S. J.; Hugo Grotius, aliique non pauci; ut nihil hic de antiquis Scriptoribus loquar.

Quod unum fere desiderabatur Numorum veterum subsidium, denique Johannes Foy-Vaillant felici consilio attulit, qui conscripta, editaque in lucem Parisiis Anno salutis cIↃ IↃCLXXXI. Seleucidarum Imperii, sive Regum Syriæ Historia, ad fidem Numismatum accommodata, ingentem rebus Syriacis lucem intulit: impedita tot Regum nomina, & res ab iis gestas dextre explicuit, temporumque seriem etiam ad Numismatum regulam insigni felicitate primus exegit.

Enim vero illud facile prævidebat perspicax Vaillantius, & antiquorum Numismatum cognitione nemini secundus: quantum successu temporum proferretur Syriacorum Numismatum, antea non inspectorum, tantum novæ lucis posse Syriæ Regum Historiæ & Chronologiæ affundi. Quare qua erat, & qua esse solent Viri doctrina excellentes modestia, illud sub finem Admonitionis ad Lectorem, quam laudato operi præfixit, scribere non dubitavit: *Ex isto quasi specimine incitabuntur aliqui ad alia in singulos annos Numismata conquirenda.*

Hæc verba cupienti mihi aliquid etiam ad illustrandam, propugnandamque Macchabæorum Historiam conferre, majores addebant stimulos, ut ad conscribendos Regum Syriæ Annales, Numisque comprobandos, animum inducerem. Hæsitantem porro, & num post Virorum Doctissimorum labores hac in re facturus operæ pretium sim, anxie circumspicientem denique perpulit bene magnus Syriacorum Numismatum numerus, quæ, post Vaillantii curas, cum in libris, tum in Cimeliis offenderam, annorum characteribus, raris symbolis, & Regum consignatis titulis omnino pretiosa.

His itaque subsidiis factus audentior, compendiarios Regum Syriæ Annales contexui; eorum videlicet Regum, qui ab Alexandri Magni obitu Syriam, Asiæque una magnam partem obtinuissent, præcipuas res gestas continuo, quoad licebat, annorum ordine paucis recensere, atque Numis, quam possem, plurimis illustrare,

(b) De Emendatione Temporum, & in Thesauro Temporum variis in locis.
(c) De Doctrina Temp. Lib. x. Cap. XLIII. & XLVII. Item in Chronico, & Rationario Temp.
(d) Annales sacri & profani, ab Anno O. C. 3730. ad 3988.
(e) Annales Ecclesf. Vet. Testam. Tom. V. & VI.
(f) Annales Vet. Testam. ab Anno Periodi Julianæ 4391. ad 4648.

ſtrare, firmareque inſtitui. Prolixiores variorum eventuum narrationes qui quærit, eos, quos ſupra laudavi, Annalium Scriptores cum Vaillantio evolvat, aut Rollinum (g) legat, qui Syriaca quoque Francico idiomate eleganter pertractavit. Fontes ipſos, e quibus neceſſaria quæque diligenter hauſimus, ſi quis adire voluerit, fideliter in Annalibus noſtris indicatos reperiet: quanquam pleraque iſta accurate etiam apud Salianum & Uſſerium, non item in Vaillantii Regum Syriæ Hiſtoria eadem ἀκριβείᾳ indicata omnia habeantur; in cujus præclari operis editione multa qua typothetarum ſocordia peccavit, qua manus artificum, qui Regum vultus non exacte ad Numiſmatum fidem æri inciderunt: ut nihil hic dicam de Vaillantio ipſo, qui plurium, certiorumque Numorum ſubſidio nondum adjutus, quinque Regibus vultus aſſignavit, quales aut Regibus fortaſſis aliquos omnino non, aut certe non iisdem Regibus tribuendos eſſe tertia Prolegomenorum Parte oſtendam.

CAPUT II.

Præcipua Inſtrumenta, & eorum prærogativæ.

QUibus ad Annales hosce conſcribendos ſim uſus inſtrumentis, quo quæque loco habenda, & qua ratione concilianda cum Hiſtoriographis Numiſmata ſim arbitratus; quas deinde iniverim vias, ut occurrentia quædam, & fortaſſe nondum omnia, ſatis expedita, diſſolverem dubia: de rebus hisce ſingulis prævia BENEVOLO LECTORI deinceps reddenda erit ratio.

Inter Syriacæ Hiſtoriæ, & Chronologiæ inſtrumenta primum facile locum primo & ſecundo Macchabæorum Libro tribuendum duxi; hos enim Divini Spiritus ductu exaratos credo: iisque etiam e Criticorum regulis, profanorum Scriptorum (quos de Syriacis rebus reliquos habemus) vetuſtatis auctoritate vix quisquam conferri poteſt, ſi Polybium excipias; Polybio autem Syriacis in rebus cum ſacra Hiſtoria ſatis convenit. Macchabææ Hiſtoriæ latina interpretatione, quam vulgatam dicimus, ita uſus ſum, ut, ubi in rem eſſet, Græci ac Syriaci Codicis adjumenta minime negligerem. His igitur libris, quorum perpetuus demonſtrabitur cum antiquis Numis conſenſus, ante omnes Scriptores reliquos, & ſicubi opus fuerit, etiam contra omnes, quod rariſſime accidit, deferendum putavi.

Quoniam vero uterque Macchabæorum Liber ea duntaxat complectitur, quæ ſub Antiocho IV. Deo Epiphane dicto, usque ad Antiochi Evergetis, ſeu Sidetis, interitum dimidio ſæculo geſta ſunt: atque proprie illa fere tantum enarrantur, quæ rebus Judaicis tum fuiſſent illigata: neque niſi ὡς ἐν παρόδῳ ſuperiorum quorumdam Regum, Antiochi III. Magni, & Seleuci IV. Philopatoris

(g) Hiſt. ancienne des Egyptiens &c. Macedoniens, des Grecques, par M. Rollin. Vide Tom. VII. VIII. & IX.

est injecta mentio; de aliis utique instrumentis praeterea cogitandum fuit, quibus ea, quae isthic desiderantur, suppleri, atque ceterorum Syriae Regum, rerumque ordo pertexi posset.

Secundo itaque loco Numorum veterum auctoritatem suppetias advocavi; quae instrumenta cum synchrona ipsis, quos exhibent, Syriae Regibus, cum publica authoritate signata sint, cum denique certissimis temporum notis insignia majore in dies numero proferantur; istis firmius aliud, meliusque ad Syriacos Annales subsidium, ut sunt res humanae, expectare non possumus. Sunt praeterea Syriaci hi Numi praecipua quadam diligentia elaborati; quando in iisdem Monetariorum errata nulla deprehendi, a quibus Romani, Graecique commatis Augustorum Numismata non fuisse eximia, singulari alias Dissertatione ostenderam. (h)

Syriacos porro Numos non illos tantum conquisivi, qui Regis cujusdam vultu ipso insignes essent, quos sibi limites Eruditissimus Vaillantius circumscripsit; verum omnis generis Numismata antiqua collegi, quae quoquo modo ad Syriae Reges, atque urbes, intra praestitutos mihi temporum terminos, pertinerent, quaeque sub Macchabaeis Principibus Samaritano charactere signata unde unde nancisci possem. Quidquid igitur ejuscemodi mercium in Vaillantii Seleucidarum Historia, in accuratissimi Haymii Thesauro Britannico, in utilissimo Cimeliarchii Theupolitani Catalogo, in praestantissimo Norisii de Epochis Syromacedonum Libro, in Begeri Palatino & Brandeburgico Thesauro, in P. Harduini Chronologia Veteris Testamenti, in Liebei Gotha Numaria, in Museo Florentino a Cl. Gorio illustrato, denique in Spanhemii, de Wilde, Kircheri, Morini, Waltoni, Soucieti, aliisque libris inveni, id omne, caute tamen, & cum delectu, in usus meos converti. Johannis Jacobi Gessneri collectio Numismatum Regum Syriae, unum vel alterum forte Numum ἀνέκδοτον suffecit; nam reliqua alibi, & meliore ordine habentur.

Magno autem subsidio fuere inspecta quaedam Cimelia. Inprimis commemorandum venit Cimeliarchium Aulae Vindobonensis, quod aliquot Caesarum jussu collectum, AUGUSTAE REGINAE NOSTRAE, AC DOMINAE CLEMENTISSIMAE singulari gratia mihi patuerat, & cujus Numos aliquot rarissimos, praeter alios plures, hisce literis C. Reg. id est : *Caesareo-Regium*, indicare soleo. Quibus autem verbis gratum me profitear insigni humanitati ac benevolentiae Excellentissimi Domini Everardi Fawkener, Serenissimi Britanniarum Regis ad Aulam Ottomannicam Legati? Viri hujus Clarissimi favoribus Numismata multa debeo, quae Annales meos egregie juvant, & ornant, quaeque is mea causa partim Constantinopoli Vindobonam attulit, cum hac iter faceret: partim accu-

(h) Quatuor Tentamina in Re Numaria Vetere : Tentamen IV. Dissertatio de Numis Monetariorum Veterum culpa vitiosis.

curatissime delineanda curavit, mihique liberaliter impertiit. Ex hoc Cimelio (quod facile, quantum ad Syriæ Regum Numos, e locupletissimis unum esse eorum credo, quæ privati possident) nonnulla recens detecta, alia correcta, aliaque melius constabilita sunt, ipso Excellentissimo ac Doctissimo Possessore pleraque animadvertente. Deinde aliorum perlustrata Cimelia profuere: Illustrissimorum duorum Baronum de Roth & de Stein: Perillustris Domini de Sutnern, Heredis Cimelii Garelliani, atque Perillustris Domini de France, Amaliæ Augustæ olim Ærarii Præfecti, cujus insigni liberalitati solos Regum Syriæ Numos æneos quinquagenis plures dono datos debet Cimelium Collegii Vindobonensis S. J., a P. Carolo Granelli, Viro Doctissimo B. M. collectum, atque ab ejus obitu meæ custodiæ commissum. E sola nostra hac gaza centum & quadraginta facile Regum Syriæ Numismata Annalium Syriacorum bono deprompsimus, e quorum numero sunt non pauca anecdota, quædam rarissima, & magni momenti epochis pretiosa.

Numismata itaque Syriam illustrantia quadringentis plura, vel solorum Syriæ Regum, Numis urbium non adnumeratis, conquisivi, atque in ordinem redacta Annalibus apposui; dum Vaillantius non nisi centum, & quod excurrit, Syriæ Regum monetis Historiam suam exornavit. Illud sollicite cavere studui, ne adulterinas, vel de recentioris manus fraude merito suspectas ejuscemodi monetas Annalibus meis insererem; qua in re olim nec immitem illum Criticorum Dictatorem Josephum Scaligerum, (i) nec Percelebrem Usserium (l) satis oculatos fuisse deprehendi.

Numis antiquis antiqua pariter Marmora jungenda erant; sed quoniam, etsi præclara, perpauca tamen extant, quæ Syriacam hanc Historiam illustrent, eaque a Seldeno, Humfrido Prideaux, & a Fabretto vulgata, jamque ab Usserio & Vaillantio in testimonium adducta sunt; neque alia huc facientia interea detecta novi, præter Psephisma Sigeorum de Antiocho I. quod pretiosum Monumentum *Celeb. Muratorius Tom. IV. Novi Thesaur. Veterum Inscription. pag.* 2118. *edidit*, & aliud *Tom. II. pag.* 589. Dicæarchi honoribus Delphis positum, in quo Antiochi Magni fit mentio; de his hic nihil porro dicendum putavi. Eorundem siquidem mentio suis locis injicietur. De Gemmis antiquis sub initium Annalium agetur, * quantum ad rem erit.

Tertium subsidiorum genus ab antiquis bene multis Scriptoribus ita arcessendum fuit, mutuam ut sibi, ac pernecessariam operam Numi, & Historici præstarent. Ad universum Chronologicæ Seriei ordinem plurimum nobis profuere Eusebii Chronicon, & Porphy-

(i) In Thesauro Tempor. Animadverf. in Eusebii Chronicon pag. CXIX. & CXXV.
(l) Annales Vet. Testam. pag. CCCLVI. editionis Genevensis.
Adferuntur memoratis locis Numi manifeste adulterini.
* Vide Annales ad Annum ante Æram Seleucidarum III. in expositione Gemmæ veteris.

phyrii fragmenta Græca, a Josepho Scaligero in Thesauro Temporum vulgata: Appianus item, & Justinus, S. Hieronymus in Caput XI. Danielis, & Flavius Josephus, cui plus fidei tribuere tamen non soleo, quam aliorum Scriptorum aut consensus, aut silentium tribuendum suadeant; propterea quod non raro cum sacris Literis, Numis antiquis, atque adeo secum ipso hic Auctor pugnantia protulerit. Josephi exemplari usus sum, quale anno cIↃ IↃCCXXVI. Havercampius typis dandum curavit; quod idcirco admoneo, ut adducta a nobis Josephi testimonia inquisiturus Lector, frustra ne sit; cum aliis in codicibus alius Capitum ordo ac numerus inveniatur.

His porro præcipuis Chronologiæ, & Historiæ Syriacæ Scriptoribus succenturiantur complures alii: Polybius in primis, quibusdam Syriæ Regibus coævus: Diodorus Siculus, Livius, Plutarchus, Athenæus, Photii Bibliotheca varia Veterum fragmenta sufficiens: Plinius Senior, Cicero, Strabo, Pausanias, & nonnulli alii, qui etsi aliud agentes, Syriacarum rerum opportune interdum meminissent.

Auctorum istorum testimoniis ita sum usus, ut antiquiores, quique ex proposito de Syriacis rebus egissent, ætate inferioribus, & ex occasione tantum Syriaca narrantibus præferrem: si ab se invicem dissiderent, plures paucioribus, si cetera essent paria, anteponerem; eorum vero auctoritati libentius acquiescerem, quos cum Sacra Historia, & Numis frequentius consentire animadverterem. Historicorum porro in speciem dissentientium opiniones & inter se, & cum Sacris Historicis, Numisque, ubi ubi res ferret, conciliare studui.

CAPUT III.

Chronologiæ nostræ subsidia e Cœlestibus Phænomenis petita.

SAcræ Macchabæorum Historiæ, antiquis Numis, Lapidibus, & Scriptoribus Astronomicos etiam temporum Characteres adjungere visum est; ne quid a nobis prætermitteretur, quod ad Chronologiam Syriacam quoquo modo perpoliendam faceret. Solis ac Lunæ defectionum, quæ olim spectatæ sunt, multi veterum Scriptorum, etsi paucis fere verbis meminere: Herodoto, Thucydidi, Polybio, Livio, Plinio, Dioni Cassio, Plutarcho, Julio Obsequenti hac in re plurima debemus. Majore cum diligentia Eclipses adnotaverunt Astronomi Hipparchus, Ptolemæus, & Albategnius; attamen Historicorum qualiscunque narratio plus fere Chronologos juvat, quam Astronomorum accuratissima Cœlestium Phænomenorum recensio; Historici quippe rem aliquam illustrem fere commemorant, quæ relatæ ab se Eclipsis tempore contigissent; quod raro fecere Astronomi; Astronomicis potius observationibus intenti. Porro autem indicato qualicunque eventu, si vel annus

quan-

quandoque, vel laxius etiam temporis ſpatium adnotatum habeamus; poſſumus Aſtronomici Calculi ope ejus eventus non annum duntaxat, ac menſem, ſed diem quoque, & horam pro dato quolibet loco definire.

Ad noſtram Regum Syriæ Chronologiam cum illæ fere tantum Eclipſes proprie faciant, quæ a morte Alexandri Magni ad annum usque ante Æram Chriſtianam ſexageſimum tertium obſervatæ, nobisque proditæ ſunt; easdem hic eo, quo contigere, ordine recenſebimus, tum ſuo quamque loco Annalibus ipſis inſeremus. Equidem hac in re jam pleraque omnia a Chronologis, Aſtronomisque diſcuſſa, & complanata habemus, debemusque plurima Scaligero, Buntingo, Herwarto, Kepplero, Lansbergio, Mullero, Bullialdo, Ricciolo, in primis Petavio noſtro, qui Eclipſium ante ſe plurimarum Calculum ipſe inivit, & cum literato orbe communicavit. (m) En Syllabum earum Eclipſium, quibus Annales illuſtravimus, e Petavio & Ricciolo (n) deſumptarum; unam tamen, de qua dubium quoddam ſuboriebatur, ad calculos ipſi revocavimus: ad alias nonnulla adnotanda duximus.

Anno ante Æram CHRISTI:

CCCX. Eclipſis Solis, Syracuſis die XV. Auguſti hora 8. mane. Circa hoc tempus Agathocles Syracuſarum Tyrannus in Africam trajicit. *Juſtinus Lib.* XXII.

CCLVI. Eclipſis Lunæ a Ricciolo ponitur *ex Laërtio in vita Carneadis;* ſed mortem Carneadis cum ſua Lunari defectione rectius Salianus & Petavius ad annum quartum Olympiadis CLXII. ſubmovent, ante Æram CHRISTI CXXVIII.

CCXIX. Eclipſis Lunæ die XX. Martii, hora 2. mane in Myſia ſpectata. Ita *Petavius Lib.* VIII. *de Doctrina Temporum,* adducens *Polybium Lib.* IV. pag. CCCLXX.

CCXVIII. Eclipſis Lunæ die I. Septembris, hora 6. a meridie, 34. Ita *Petavius in Chronico,* remittens Lectorem ad *Librum* VII. *de Doctrina Temp.* in quo nihil ejus invenio. Idem *Petavius in Rationario Temporum* hanc Eclipſin Lunæ anni CCXVIII. eandem facit, quam Polybius Lib. V. & non IV. prodidit, uti in Rationario recte notatur. Hujus Eclipſis nec Buntingus, nec Ricciolus meminit. Itaque cum ejus Calculus etiam deſideretur in Petavio, ſententiam variante, & cum hæc tamen Eclipſis nobis ex Polybio annum celebris illius pugnæ certum reddat, qua Antiochus III. Syriæ Rex ad Rhaphiam a Ptolemæo Philopatore ſuperatus erat; hoc magni momenti Phænomenon per me ipſe inquirere, eoque Chronologiam noſtram firmare conſtitui.

C Nar-

(m) Petavius de Doctrina Temporum Lib. VIII. item VII. IX. X. XII.
(n) Ricciolus Almageſti Novi Lib. V. Cap. XIX.

Narrat *Polybius Lib.* V. *pag.* CCCCXX. *editionis Wechelianæ*: Gallos Attalo Pergameno militantes, ſuperatis Myſorum finibus ad Carſenſes, ſeu, uti cenſeo, in Cariam adveniſſe; ibi deficiente Luna eosdem toleratis ea æſtate laboribus feſſos, & hoc oſtento territos ſe progreſſuros negaſſe: Attalum igitur domum reverſum ſuos in hiberna dimiſiſſe. Deinde iſta Hiſtoricus proſequitur: *Ineunte Vere Antiochus, & Ptolemæus præparatis rebus omnibus in eo jam erant, ut ſuſceptam expeditionem prælio terminarent &c.* narratur pugna ad Rhaphiam. Ex his palam fit: Eclipſin, quæ Gallos perterrefecerat, circa Autumnum contigiſſe, nempe ante hibernorum tempus, ac proximo Vere pugnam Rhaphienſem commiſſam fuiſſe. Igitur Eclipſis anni CCXIX., quæ in Martio viſa erat, alia eſt, quam de qua Polybius. Contra vero altera anni CCXVIII., quæ Septembris initio contigit, Polybii Eclipſis erit, ſi eadem in Cariæ finibus tum ſpectari potuit; quoniam ex aliis quoque Hiſtoriæ nexibus circa hunc annum ea pugna ſtatui debet, neque anni proximi ſimilem Lunæ defectionem ſufficiunt. En igitur præcipuos fructus Calculi Aſtronomici, ex Tabulis de la Hire, primæ editionis, inſtituti ad Meridianum Pariſinum.

Tempore Civili vero anno ante Æram CHRISTI CCXVIII. Kalendis Septembris a meridie Pariſiis:

		h	′	″	
Plenilunium verum		4	53	29	
	s	°	′	″	
Locus Solis verus	5	4	21	24	
Locus Lunæ verus	11	4	21	24	
Apogæum Solis	2	5	22	15	
		°	′	″	
Apogæum Lunæ	2	17	10	43	
Anomalia vera Lunæ	8	17	10	57	
Angulus orbitæ Lunæ ad partes nodi propioris cum circulo latitudinis, correctus - -		48	35	37	
	s	°	′	″	
Locus nodi aſcendentis	5	2	29	21	
Latitudo Lunæ Auſtralis			9′	52″	
Diameter Solis - - - - - -			32′	10″	
Diameter Lunæ horizontalis correcta			31′	28″	
Semidiameter umbræ terræ			41′	37″	
		h	′	″	
Eclipſeos Initium - - - -		3	7	30	
Eclipſeos Maxima obſcuratio		4	51	37	
Eclipſeos Finis - - - -		6	37	46	
Tempus totius durationis		3	30	16	
Luna tota deficere cœpit:		4	7	00	

Quan-

Quantitas Eclipseos digitorum fere triginta. Reducendum nunc est tempus ad Meridianum ejus loci, in quo Gallos Eclipsis perculit. Cariæ fines, ad maximum ejus viciniæ Mæandrum fluvium, ubi Gallos tum fuisse ex Polybio colligo * (quando locus definitus non habetur) paullo fortasse magis ad Orientem a Parisiis remoti sunt, quam Byzantium. Byzantinus porro meridianus e recentissimis observationibus a Parisino dissitus esse statuitur intervallo unius horæ & $46'$. Assumere igitur licet Cariæ fines illos a Parisiis duarum fere horarum intervallo abesse. In Caria igitur Eclipsis Lunæ exordium sumpsit circiter $5^h\,7'$, finita est $8^h\,38'$. Luna tota obumbrari cœpit $6^h\,7'$. Sol illic tum occubuit $6^h\,35'$ circiter, ante quod tempus cum Luna illic oriretur, tota jam obscurata, & rufo illo, aut fusco colore horrida, quo tingi solet, quando a perigæo plusculum abest, Gallos utique terrore replere duarum horarum spatio potuit.

Prosequimur aliarum Eclipsium Catalogum:

CCXVIII. Eclipsis Solis in Sardinia visa XI. Februarii, hora 3. post meridiem. Hoc anno Romani ad lacum Thrasymenum cæduntur. *Livius Lib.* XXII. Item Antiochus III. Rex Syriæ ad Rhaphiam vincitur. *Polybius Lib.* V. Eclipsis Lunæ nocte sequente diem XXV. Februarii. Hanc Eclipsin pro Polybiana habet Scaliger *in animadvers. ad Eusebium pag.* CXXVII. Sed verba Polybii pro libitu torquet.

CCIV. Eclipsin Solis ponit Ἱστοριῶν Συναγωγὴ apud Scaligerum. Olympiadis CXLIV. anno primo, qui Juliano CCIV. & CCV. respondet.

CCII. Eclipsis Solis visa Cumis in Campania, die XIX. Octobris, hora 10. post mediam noctem. *Livius Lib.* XXX.

CCI. Eclipsis Lunæ visa Alexandriæ in Ægypto die XXII. Septembris, hora 7. post meridiem, ab Hipparcho observata.

CC. Duæ Eclipses Lunæ: altera XX. Martii post mediam noctem, altera die XII. Septembris hora 2. mane, ab Hipparcho Alexandriæ observatæ. *Ptolemæus in Almagesto Lib.* IV. *Cap.* XI. Hujus in Septembri meminit etiam Ἱστοριῶν Συναγωγὴ, seu Ὀλυμπιάδων Ἀναγραφὴ in Græcis Scaligerianis, ad annum primum Olympiadis CXLV., quo cœpit bellum inter Philippum Macedoniæ Regem, Antiochi Magni Socium, & Romanos.

CXC. Sol Romæ defecit XIV. Martii sub ortum. L. Cornelius Scipio tum ad bellum contra Antiochum III. proficiscitur, ipsum eodem anno in Asia profligat. *Livius Lib.* XXXVII. Certissimus est e Livii loco, & Astronomico calculo hujus pugnæ annus.

CLXXXVIII. Eclipsis Solis Romæ visa die XVIII. Julii, hora 6. mane. *Livius Lib.* XXXVIII. Antiochus III. in Mediam profectionem parat.

CLXXIV. Lunæ defectio spectata Alexandriæ Kalendis Maji, hora 2. post mediam noctem. *Ptolemæus Lib.* VI. *Almagesti Cap.* V. Qui adnotat hanc Eclipsin accidisse anno Æræ Nabonassaris fixo

(*) Polybius Libro v. habet: περὶ τὸν μέγιστον ποταμόν· Quod reddo: Circa maximum fluvium, nempe Cariæ. Casaubonus reddit: Megistum; quasi proprium sit amnis, vel fluvii nomen. Sed id nusquam invenitur: nisi forte Rhyndacus sit, ita olim dictus, sed qui huc non facit.

IↃLXXV. Ptolemaei Philometoris anno Regni Ægyptiaci septimo. Quia porro initium Æræ Nabonassoris certum est; uti e pluribus Eclipsibus ostendit. *Petavius Lib.* IX. *De Doctrina Temp. Cap.* LI. Compertum quoque fit initium Regni Ptolemaei Philometoris, cujus res cum Syriaca Historia arctissime connectuntur.

CLXVIII. Eclipsis Lunæ die XXI. Junii, hora 8. a meridie in Macedonia visa pridie ejus diei, quo Perseus a L. Æmilio Paullo victus est. *Polybius in fragmentis. Livius Lib.* XLIV. *Plutarchus in Æmilio.* Eodem anno Antiochus IV. Syriæ Rex a Popilio, Legato Romano, bello Ægyptiaco abstinere jubetur; idque ex *Livii Lib.* XLV. colligitur.

CXLI. Eclipsis Lunæ exigua XXVII. Januarii, hora 10. a meridie Alexandriæ. *Ptolemæus Lib.* VI. *Almagesti Cap.* V.

CXXIX. Eclipsis Lunæ Athenis die V. Novembris, hora 13. seu civili tempore die VI., hora 1. mane.

CXXVIII. Altera Eclipsis Lunæ intra eundem annum quartum Olympiadis CLXII. qui in æstate præcedentis anni cœpit die XI. Maji, hora 5. mane Athenis. Huc refert Petavius Carneadis Philosophi mortem, cujus tempore Lunam defecisse Diogenes Laërtius testatur. *Petavius in Chronico, & De Doctrina Temp. Lib.* XII. *Cap.* XLII. Hanc Eclipsin etiam Ἱςοϱίων Συναγωγὴ apud Scaligerum Olympiadis CLXII. anno quarto commemorat.

CIV. Eclipsis Solis Romæ die XVIII. Julii, hora quarta post mediam noctem cœpit, cujus itaque pars tantum visa est. Cimbri alpes transgressi vastata Hispania se jungunt Teutonibus. *Ricciolus Lib.* V. *Almagesti Cap.* XIX. *Julius Obsequens de Prodigiis.*

XCIV. Eclipsis Solis ad Fossas Marianas in Gallia visa, quibusdam colligi posse videtur ex Julio Obsequente, quam Ricciolus huic anno dubie tribuit ex Herwarto, alii vero anno CII. Sed facile, etsi diversæ essent, ac certæ, utraque carere possemus; cum Syriacæ res illis annis gestæ non adnotentur.

Eclipsium porro, & aliarum observationum subsidio, præcipua Annalium nostrorum Chronologiæ momenta constabilita sunt, nempe Æra Philippica, quæ a morte Alexandri Magni, post quam Philippus Aridæus Alexandri frater regnum consecutus est, initium ducit: & Æræ Seleucidarum, seu Græcorum, ut Sacræ Literæ appellant, quæ a Seleuco I. Syriæ & Asiæ Rege deducitur, atque illo ab anno, quo Mediam, victo Nicanore, Seleucus obtinuit. Utriusque hujus Æræ initium multis veterum Scriptorum testimoniis, Numis antiquis, Sabbaticorum Annorum in Sacris Literis adnotatis characteribus, atque selectis Astronomorum observationibus definitum, & confirmatum habemus. Est ea res longior, quam ut hic locum obtineat, atque ita ab aliis feliciter pertractata, ut eorundem Auctorum loca indicare sit satis. Videatur itaque hac de re *Petavius de Doctrina Temporum Lib.* X. *Cap.* XXXVIII. *usque ad* XLIV.

Riccio-

Ricciolus Chronologiæ Reformatæ Tomo I. *Lib.* III. *Cap.* IV. *&* VII. *Norisius de Anno & Epochis Syromacedonum Dissertatione* II. *Cap.* I.

Cœpit itaque Æra Philippica:			Æra Seleucidarum:
Anno Periodi Julianæ	4390	- - -	4402
Ante Æram Christi	324	- - -	312
Urbis conditæ Varroniano	430	- - -	442
Æræ Nabonassaris	425	- - -	437
Olympiadis CXIV.ta Anno primo.		-	CXVII.ma Anno primo.

Quanam anni Juliani Tempestate apud varios populos Seleucidarum annus inchoatus sit, atque de Chaldæorum Æra alibi suo loco agetur.

De Cometis, aliisque id genus Cœli Phænomenis, quæ a morte Alexandri Magni, usque ad Annalium nostrorum finem spectata fuisse memorantur, nihil adferendum putavi; quod ex iis nihil fere, quod esset alicujus momenti, ad rem nostram deduci posset. Si cui tamen ista arrident, adeat *Stanislai de Lubienitski Theatri Cometici partem posteriorem pag.* XIII. *& pag.* XXXI. Item *Riccioli Almagesti Novi partem posteriorem Tomi* I. *Lib.* VIII. *Cap.* III.

Planetarum denique cum Stellis Fixis conjunctiones (etsi ad calculum revocari, earumque tempus definiri possit) non adnotavimus; quod ex iis nihil ad nostram Chronologiam novi argumenti eliceretur, quod non aliunde comprobatum esset. Si quis hæc tamen ordine recensita quærat, in Usserii Annalibus e Ptolemæi Almagesto diligenter excerpta inveniet.

Nodum Chronologicum, quo impeditus est Antiochi VII. Evergetis, vulgo Sidetis, annus ille, intra quem cum exercitu suo ad Lycum Assyriæ fluvium constitit Antiochus, ope calculi Astronomici certo explicari posse nonnulli Chronologi putabant. Nam cum Flavius Josephus *Lib.* XIII. *Antiquit. Cap.* 8. commemoret: Antiochum Regem in Johannis Hyrcani gratiam biduo ad Lycum fluvium substitisse propterea, *quod post Sabbatum Pentecoste instaret*, quorum utroque festo die iter longius agere Judæis nefas esset; eo temporis charactere, & calculo Novilunii Judaici Paschalis subducto, facile annum obtineri credebant, quo Pentecoste in primam Sabbati incidisset. Equidem operosum non est Lunæ phases ad quemvis ab orbe condito annum, ante, vel post Æram vulgarem Christianam assignatum, accurate investigare; at enim Calendarii Judaici, intercalationis, æquinoctii verni, & neomeniæ determinandæ ratio ita nobis perspecta minime sunt, ut diem ipsam edicere citra temeritatem possimus, qua (uno, vel altero ante Christum Sæculo) Pascha, vel Pentecosten Judæi celebrassent: agetur hac de re Parte II. Cap. I.

Ridetur nunc immane illud opus, quo Vecchietus omnes post Mundum conditum Judaici veteris Calendarii dies perpetuo ordine digessit; fateturque ingenue Magnus Petavius, *de Doctrina Tempor. Lib.* X. *Cap.* 33. Vir in Chronologicis Calculis exercitatus æque, ac

alius nemo: frustra esse eos, qui ex laudato Josephi loco, & facta Pentecostes mentione, certum illius expeditionis, ab Antiocho in Parthos susceptae, annum extundere laborent. Huic tamen fundamento inniti suspicor *Annales Macchabaeorum* a Celebri Abbate de Longuerue conscriptos, quorum editio promittitur in nova editione libelli P. Jobert S. J. *La Science des Médailles Tome II. pag.* 265. *à Paris* 1739. De his Annalibus plura nosse cum cuperem, id obtinui ab insigni humanitate Eruditissimi, ac Celeberrimi Viri, Domini Claudii Gros de Boze, qui datis ad me Lutetia Parisiorum V. nonas Octobris 1741. literis, aliam adscripsit epistolam ab Illustrissimo Domino Barone de la Bastie ad se exaratam. Hac epistola manuscriptorum Annalium Abbatis de Longuerue notitia satis ampla communicatur, & cardo totius systematis Chronologici verti perhibetur in expeditione Antiochi Sidetis adversus Parthos, cui Hyrcanus Judaeorum Princeps interfuit; hoc argumento, Calculis Astronomicis stabilito, de Chronologis dissentientibus certam sibi (adhibitis quoque Vaillantii, ac Norisii Numis) victoriam Auctor pollicetur.

CAPUT IV.

Ipsorum Annalium ordo, ratioque exponitur.

Annales nostros ita disponere libuit, ut binae paginarum facies, quae se mutuo respiciunt, historicam synopsin altera, altera Numorum Historiae respondentium descriptionem exhiberet. Est istud constanter observatum; nisi cum vel Numismata defecerint, vel historica narratio Numorum recensionem explere non potuerit; tum enim, quae abundaret, materia in alteram quoque paginae faciem excurrit.

Facies illa, quae historicam synopsin offert, in quatuor columnas dirimitur; earum prima numerum exhibet anni, ante Æram CHRISTI nati vulgarem currentis, in forma Juliana: altera sistit numerum anni Ærae Seleucidarum, sed qui annus apud Judaeos, & Scriptorem Libri I. Macchabaeorum a Vere, apud Syromacedones vero, & Scriptorem Libri II. Macchabaeorum, ab Autumno initium ducit. Tertia columna continet numerum anni Periodi Julianae, quae communis est Annorum omnium mensura, & felicissima Chronologicarum litium conciliatrix. Annorum notae in Numis Regum Syriae repertae, ad Æram Seleucidarum exigendae sunt, & Anni initium cum Syromacedonibus ab Autumno tum currentis anni Juliani petendum.

Adjecimus primum cujusvis Olympiadis Annum; quod id commodum esse crederemus Lectori, praesertim ubi Regum Syriae successiones occurrerent, aut ubi Scriptores veteres perspicuam insigni cuidam casui Olympiadis tum currentis mentionem adjunxissent. Olympiadum (saltem uti ab Historicis post Iphiti ludorum instaurationem usurpari solet) initium statuimus cum Petavio circa

sol-

ſolſtitium æſtivum anni Juliani ante Æram Chriſtianam IↃCCLXXVI. Periodi Julianæ ter milleſimi nongenteſimi octavi; atque adeo annus Olympiadis, anno Juliano adſignatus, ſemper erit ab ejusdem anni Juliani æſtate inchoandus. Quarta denique Columna Hiſtoricam narrationem brevem, ac ſimplicem complectitur. Infimum hujus faciei ſpatium occupant Scriptorum veterum indicata teſtimonia: ubi etiam minores Hiſtoricorum veterum diſſenſiones proferuntur, atque, quoad licet, componuntur, eæ præſertim, quæ in adſignandis cuilibet Regi Regni, aut vitæ Annis enaſcebantur.

Altera facies Numis deſtinata in tres Columnas diſpeſcitur: in prima Columna Numiſmatis cujusvis moles, ſeu modulus (quorum tres tantum diverſos poſui) & metalli ſpecies notatur; in tertia vero Libri, aut Cimeliorum poſſeſſores nominantur, e quibus Numiſmata deprompta ſunt. Media Columna Numorum ipſorum epigraphen omnem, & figurarum deſcriptionem, quam potuimus, exactam ſuppeditat, præfixo in fronte ejus Regis nomine, ac titulis, cujus monetæ recenſentur. Infimo hujus faciei loco quædam adnotantur, ad Numiſmatum aut neceſſariam cognitionem, aut non inutilem illuſtrationem facientia.

Eſt hic illud probe tenendum: occurrere in Syriæ Regum Numis monogrammata, aliasque ſingulares literas, ac varias notas, quarum, ſi epochas excipias, explicationem parciſſime, nec niſi ex aliorum fere ſententia, adſpergendam putavi. Fatendum enim eſt potius, nos hæc, & alia porro multa, in ære veteri ſignata, ignorare, quam tentata per quasvis conjecturas explicatione, ubi plura deinde Numiſmata conferantur, vanitatis, aut erroris coargui. Terrent me infelicia aliorum veſtigia, & mei quoque aliquando ingenioli impetus, quibus indies minus obſequi adlaboro. Lepidum unum hac de re exemplum proferre libet.

Reuchlinus, qui & Capnio, percelebris Cabaliſticorum myſteriorum Magiſter monogrammatis, in Numis veteribus Regum Syriæ conſignati, explicationem ſe inveniſſe credens, erudite quidem mihi videtur ea in re, non item feliciter eſſe verſatus. Ita habet: (o)

„ Antiochus cognomento Soter, cum eſſet in expeditione
„ contra Galatas viros fortes, & militum innumerabili concurſu mu-
„ nitos, prælium difficillimum commiſſurus, quoniam, ut de eo
„ Lucianus ſcribit: πάνυ πονηρὰς εἶχε τὰς ἐλπίδας, noctu vidit per
„ ſomnium aſſiſtere ſibi Alexandrum, jubereque, ut militibus ſuis
„ ante pugnam pro bellica teſſera ſignaculum quoddam ſanitatis
„ adjiceret, per quod ſibi contingere victoriam pollicebatur; id
„ erat ejusmodi, (p) quo in veſtibus inſigniretur, ut idem Samoſaten-
„ ſis de compellationis errore notavit: Τριπλοῦν τρίγωνον διαλλήλων

 „ τὸ

(o) Reuchlinus de Arte Cabaliſtica Lib. III. pag. LXXVIII.

(p) 

„ τὸ πένλάγραμμον. Triplex triangulus inter se quinquelinearis. An-
„ tiochus autem signo eo levato mirabilem adversus Galatas nactus
„ est victoriam. Ego ipse profecto illud Pentagoni symbolum sae-
„ pe in Antiochi argentea moneta percussum vidi, quod resolutum
„ in lineas ostendit vocabulum ΥΓΙΕΙΑ. Haec Reuchlinus.

Mirum vero mihi videtur: Reuchlinum eo tempore, quo Rei Numariae veteris cognitio vix de nomine nota esset, *in Antiochi Soteris Numis saepe* illud symbolum sanitatis vidisse; cum felicior haec aetas, & Syriacorum inprimis Numismatum copia detecta abundantior, nihil ejusmodi deprehenderit. Ego sane, qui ex libris, cimeliisque omnes, quas possem, id genus monetas conquisieram; in nullo Syriaci Regis Numismate (si unum aeneum Seleuci I. demas, in quo solum Pentagonum vidi) mirabile illud Hygiae symbolum certo inveneram.

Latinum Papiae Familiae Numum extare novi, in quo capiti Junonis Sospitae simile Pentagonum adsignatum habetur. In Catalogo Musei Theupoli Alexandri Magni Numus, & alter Nuceriae urbis: a Gesnero alius ΠΙΤΑ inscriptus, & ΥΕΛΗΤΩΝ alius, proferuntur, ejusmodi Pentagono notati, sed absque literis ΥΓΙΕΙΑ. Sunt etiam magica quaedam, seu Ἀποτελέσματα, seu Numismata in Cimeliis frequentia; iisdem inscripta habentur similia pentagramma, etiam cum epigraphe: ΥΓΙΕΙΑ, vel ΙΑω, aliisque Gnosticorum, & maleferiatorum hominum nugis. Hujus generis Numismata, sive Amuleta, ac in iisdem Pentagonum illud a Reuchlino *saepe visa esse* haud ex vano suspicor; eoque conspecto symbolo memor Reuchlinus, quae apud Lucianum de Antiocho Sotere legisset, ex ipsa hac figura Numos illos Antiochi Soteris esse conjecerit. Et sunt alioqui nonnulli Cabalistae mirabile hominum genus, qui sese gnaros maximorum mysteriorum putant: quod alius videt nemo, ipsi vident; aut vere, si Superis placet, aut per somnium, cum Rege Antiocho.

Redeamus in viam, si quid exerratum est. Numorum descriptioni jungendae erant imagines fideli scalpro expressae: sed eas seorsum suis in Tabulis ad Annalium finem proponendas putavi, de quibus haec praemonendus est Lector.

Tabula quaevis in fronte nomen Regis unius, vel plurium deinceps offert, quorum Numos complectitur. Singulis Numorum iconismis imminet numerus formae ordinariae, Arabicam dicunt, qui respondet simili numero in descriptione Numismatum, Annalibus consociata.

Deinde literae quaedam sunt in ipsa fascia, quae duas iconismi numarii facies nectit: ea sunt AV. *Aurum.* AR. *Argentum.* Æ. *Æs.* quibus metalli species indicatur. Aliae porro literae latinae plerumque, nonnullae etiam graecae majusculae prope numeros comparent. His indicatur magnitudo, seu modulus Numorum, ab Haymio, & Be-

gero

gero prolatorum. En regulas, ad quas illorum Numiſmatum modulum exigas. Nempe A minimum modulum deſignat : B parvum : C vel Γ vix mediocrem : D vel Δ mediocrem : E majuſculum : F vel Z magnum : G vel H maximum. Si quis medii inter hos moduli occurrat Numus, etiam fractionem ½ addidit Haymius.

Numos, quos ex Cimeliis repræſento, vera magnitudine expingendos curavi. Vaillantius id in ſua Hiſtoria etiam videtur præſtare voluiſſe; ſed imagines ſunt fere juſto majuſculæ. Ad has igitur Numorum effigies nulla litera, magnitudinis index, adſcripta comparet.

In proponendis Numorum iconiſmis neque nimium parci, neque inutiliter liberales fuimus. Regum omnium vultus ſaltem ſinguli exhibentur, plerumque plures, ubi diverſi aliquid occurreret: averſarum partium figuras, quotquot in libris, aut Numis vidimus, omnes, quas aliqua varietas diſtingueret, expreſſas damus; hæc tamen de Alexandri Magni Numis dicta nolim, e quorum ingenti copia protuli, qui partim ipſo Alexandri ævo, partim a ſeris poſteris ſignati, variam capitis Alexandri ſpeciem exhiberent.

Si qua monogrammata occurrunt in monetis illis, quarum imaginem non repræſentamus, ea ſeorſum, cum ſuo numero, Numi indice, conſignata invenies. Si quid aliquando e monogrammatis hisce exſculpi poterit, non niſi e plurimis inter ſe collatis poterit.

Numiſmaticæ imagines cujusque Regis continua ſerie conſignatæ ſunt; in Annalibus vero, quod eſſet temporum ſervanda ratio, ac multæ occurrerent regni viciſſitudines, alii aliis Regum Numi permiſcendi erant; at numerorum ſubſidio facile erit ſuam cuique Numo in Annalibus deſcripto imaginem adſignare.

Numiſmata Hebraica, ſub Simone Macchabæo fere ſignata, ſeorſum excudenda curavi poſtremis iconiſmorum Tabulis; brevem quoque de iisdem Diſſertationem conſcripſi, quam quinta, & poſtrema horum Prolegomenorum parte (Syriacarum rerum illuſtrandarum cauſa) exhibebo. Explicabuntur Hebraica omnia ita, ut ea Lector, in Hebraicis literis omnino hoſpes, inoffenſo tamen pede decurrere poſſit.

Annalibus, ante Tabulas imaginum, ſubjicitur Tabula Genealogica Stirpis Seleucidarum a Seleuco I. ad Antiochum XIII. Deinde antiquæ Inſcriptiones ſimul omnes referuntur, cum interpretatione latina, quam propemodum ad verbum facere, & ipſis verbis Græcis Latina ſubſcribere libuit. Quo quæque Inſcriptio referenda ſit, notulæ ſingulis Annalium paginis inſertæ indicabunt.

Denique notitia brevis de raritate Numiſmatum Regum Syriæ offeretur : ac duplici Indice, Geographico nempe, atque Hiſtorico omnia concludentur.

PARS ALTERA.

Dubia in Libris Macchabæorum occurrentia discutiuntur.

CAPUT I.

Ad expedienda Chronologiæ dubia via paratur, Annum Syromacedonicum cum Judaico conferendo.



DE subsidiorum omni genere, quibus Annales nostri constitere, hactenus universe quædam dicta sunt, & est proposita eosdem pertractandi ratio: nunc de præcipuis quibusdam difficultatibus agetur, quæ sese in illorum subsidiorum usu obtulere; quo expeditius subinde, submotis hisce impedimentis, Annales ipsi decurrerent. Itaque altera hac Prolegomenorum Parte de dubiis, e Sacra Macchabæorum Historia subortis, sermo erit: Numis & Scriptoribus consequentes duæ partes destinantur.

In utroque Macchabæorum Libro, ubi rebus gestis anni numerus adjungitur, is ab Æra Græcorum, seu Seleucidarum supputatur, ipsa Sacra Historia id distincte profitente. Certum porro apud Chronologorum Principes jam illud est, uti superius (q) exposuimus: initium Æræ Seleucidarum convenire anno Juliano ante Æram CHRISTI vulgarem CCCXII. Periodi Julianæ quater millesimo quadringentesimo secundo.

Porro Græcos ipsos, seu Syromacedones annum primum Æræ suæ in Autumno modo memorati anni Juliani inchoasse, a Petavio, & Norisio ex observationibus Astronomicis, Numis sacris, profanisque Scriptoribus abunde commonstratum est. Jam vero annum civilis usus apud Syromacedones duodecim mensibus lunaribus definitum fuisse, Petavius (r) & Norisius (s) commonstrant, atque manifesto comprobatur ex Theone. (t) Menses isti, sive XXX. dierum singuli, ut plerisque visum, sive alterni XXIX. dierum fuerint; necesse erat vel dierum intercalarium, vel mensis potius embolimi usum apud Syromacedones obtinuisse, ut lunaris hic annus cum solari conciliaretur; id quod omnibus populis non omnino barbaris curæ fuit. Embolimum porro mensem apud Græcos veteres, ad quos utique Syromacedones nostri revocandi sunt, conciliandi anni solaris causa adhibitum fuisse, diserte nos docet Geminus, (u) & confirmat Diodorus Siculus, (x) qui de Thebanis agens ita

(q) Prolegomenorum Parte I. Cap. III. sub finem.
(r) De Doctrina Tempor. Lib. I. Cap. IV. & V.
(s) De Anno & Epochis Syromaced. Differt. I. Cap. I.
(t) Scholia ad Arati Phænomena, Tmemate LXIV.
(u) Elementa Astronomiæ Cap. VI.
(x) Bibliothecæ Historicæ Lib. I.

ita habet: Ἐμβολίμους μῆνας οὐκ ἄγουσιν, οὐδ' ἡμέρας ὑφαίρουσιν, καθάπερ οἱ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων. *Insititios menses non adhibent, neque dies subducunt, uti faciunt Graecorum plerique.*

Quod e Galeno (y) quidam obmovent, de Anno civili solari apud Graecos usitato, id nihil hic conficit; quia Galenus diserte de sua aetate loquitur, Trajano imperante; ubi sane a plerisque Asianis Juliana jam anni forma recepta erat. Est itaque satis certum: Syromacedones mensem intercalarem usurpasse, ut Lunae, Solisque conversiones suis temporibus conciliarent; neque quidquam refert, sintne nostri Syromacedones Cyclo Metonis, aut Calippi, aliove usi, an nullo: qua de re inter Chronologos lis est, haud facile decidenda. De mensium fixorum ordine, & nominibus, quales annum Syromacedonicum conficiunt, satis inter Eruditos convenit; haec nos tabella paullo inferius posita exhibebimus. Embolimo vero mensi quale nomen fuerit, suo loco (z) e Macchabaeorum Libri II. Capite XI. deducemus.

Explorata anni ratione, apud Syromacedones tempore Seleucidarum Regum usitata, dispiciendus est Judaeorum annus, & Calendarii ratio iisdem temporibus accommodata; quod sine amborum inter se contentione occurrentia in Sacris Literis dubia satis expediri non possint. Apud Judaeos itaque ea aetate initium proprii anni verno tempori affixum erat, primusque mensis, Nisan dictus, respondebat mensi Xanthico in Calendario Syromacedonum; mensium reliquorum nomina, & ordo extra controversiam sunt. Embolimus quoque mensis, post mensem *Adar* certo insertus, anni Lunaris usum Judaeis fuisse, probabile facit. Haec autem omnia egregie ex variis Veteris Testamenti locis, itemque ex Flavio Josepho, Viri Doctissimi demonstrarunt, Petavius, (a) Ricciolus, (b) Norisius. (c)

Quoniam itaque mensium anni Syromacedonici, & Judaici ordo, ac nomina perspecta sunt, atque in confesso est: Xanthicum mensem majore fere sui parte Τῷ Nisan Judaico mensi respondisse; facile fuit sequentem Tabellam conficere, & Judaeorum, ac Syromacedonum menses inter se primum, tum etiam cum anni Juliani mensibus conferre; quod quidem minutissime, atque ad certum, fixumque diem fieri nequaquam potuit. Multa enim hic occurrunt, de quibus nondum liquido constat, neque unquam fortasse nobis constabit: quae nempe intercalandi ratio apud Syromacedones, & Judaeos usitata, quibus ea annis tum ab illis, tum a Judaeis usurpata sit? Num ad Cyclum aliquem, & qualem illum, uterque, vel alteruter populus tempora revocaverit? Coeperintne Judaei an-

(y) In I. Epidem.
(z) Hac parte Cap. III.
(a) De Doctrina Tempor. Lib. I. Cap. XXIX. & Lib. IV. Cap. VI.
(b) Chronologiae reform. Tom. I. Lib. I. Cap. XII.
(c) De Anno & Epochis Syromaced. Dissert. II. Cap. I.

num a Novilunio viso, an supputato? quo pacto iidem Æquinoctium Vernum, eique proximam Neomeniam determinaverint? & alia id genus, de quorum incerta ratione Petavius, (d) & Bucherius (e) videri possunt: Scaligero etiam hæsitante. (ee)

Ad construendam itaque Tabellam sequentem (missis iis, quæ controversa sunt) illa tantum adhibuimus, quæ satis demonstrata haberemus; quæ tamen ad præstitutum nobis hac in re finem sufficiant: maluimusque minus quiddam dicere, cujus reddi possit ratio; quam cum Buntingo & Vecchietto prolixa Calendaria texere, sola fere laboris laude digna.

COMPARATIO MENSIUM CALENDARII

JUDAICI.			JULIANI.	SYROMACEDONICI.		
PRIMUS.	*Nisan.*	ניסן	Martius &	Ξανθικός.	Xanthicus.	VI.
SECUNDUS.	*Jiar.*	אייר	Aprilis. &	Ἀρτεμίσιος.	Artemisius.	VII.
TERTIUS.	*Sivan.*	סיון	Majus. &	Δαίσιος.	Dæsius.	VIII.
QUARTUS.	*Tamuz.*	תמוז	Junius. &	Πάνεμος.	Panemus.	IX.
QUINTUS.	*Ab.*	אב	Julius. &	Λῷος.	Locus.	X.
SEXTUS.	*Elul.*	אלול	Augustus. &	Γορπιαῖος.	Gorpiæus.	XI.
SEPTIMUS.	*Tisri.*	תשרי	Septemb. &	Ὑπερβερεταῖος.	Hyperberetæus.	XII.
OCTAVUS.	*Marchesvan.*	מרחשון	October. &	* Δῖος.	Dius.	I.
NONUS.	*Casleu.*	כסלו	Novemb. &	Ἀπελλαῖος.	Apellæus.	II.
DECIMUS.	*Thebet.*	טבת	Decemb. &	Αὐδυναῖος.	Audynæus.	III.
UNDECIMUS.	*Schebat.*	שבט	Januarius. &	Περίτιος.	Peritius	IV.
DUODECIMUS.	*Adar.*	אדר	Februari. & Martius.	Δύστρος.	Dystrus.	V.

Adar alter ואדר
Mensis Embolimus,
Post Adar insertus.

* Διόσκορος vel Διὸς Κορινθίε. Dioscorus Mensis Embolimus, post Hyperberetæum insertus.

Ad

(d) De Doctrina Temp. Lib. X. Cap. XXXIII.
(e) De Antiquo Paschali Judæorum Cyclo.
(ee) De emendatione Temporum Lib. II. De Chaldæorum Periodo Alexandrea. Et in Canonibus Isagogicis.

Ad præcedentem Tabellam duo adnotanda duxi, Primum: Xanthicum mensem Tῷ *Nisan* ita respondisse, ut is ante Nisan inchoatus sit, atque adeo aliqua pars Artemisii cum eodem Nisan concurrerit. Ita sane conciliari possunt, quæ in Fabricii Menologio, (f) multæ eruditionis libello, ex Flavio Josepho, Hesychio, & Anastasio apud Meursium afferuntur. Ex his porro consequitur: mensem *Dium*, anni Syromacedonici primum, aliqua sui parte cum mense *Tisri*, altera & fere majore, cum *Marchesvan* decurrisse, qui in Calendario Juliano Novembri consociatur. Mirum vero cuiquam videri posset: ab exeunte fere Octobri, cum *Dius* mensis inciperet, anni initium Syromacedones deduxisse; quando solemne Veteribus fuisse constat, ab Æquinoctiorum, vel Solstitiorum alterutro annum ordiri, autumnale autem Æquinoctium mense fere integro Octobris postremos dies antevertat.

Sed possumus ejus rei rationem reddere, neque necesse est Hyperberetæum, loco Dii, primum Syromacedonici anni mensem cum Usserio (g) statuere. Nam vetustiores quidem Græcos (more apud Hebræos, Chaldæosque usitato) anni initium Æquinoctio autumnali illigasse, libenter adsentiar; sed idem Æquinoctii tempus ab stellæ alicujus, quas fixas dicimus, ortu, occasuve, aut cum Sole conjunctione definiebant. Has porro stellas nullo proprio motu cieri tum quidem credebant; quarum progressum in consequentia, ut loquuntur Astronomi, primus detexit Hipparchus eo demum tempore, (h) quo Seleucidarum Imperium jam fere collabasceret. Quare, cum stellæ fixæ observatione, anni principium se stabile consecutos Veteres illi crederent, reapse autem annum lentis accrementis justo majorem constituerent; anni istius initium multorum sæculorum lapsu in Octobrem e Septembri ultra veri Æquinoctii limites est prolapsum. Porro antiquiores populos Stellarum Fixarum observationibus ad omnes Cœlorum conversiones, circulos, ac tempora describenda potissimum usos fuisse, Poetarum, & Astronomorum veterum consensu comprobatur. Ptolemæus in Almagesto (i) apte in rem nostram docet: Anni quantitatem majorem esse illam, quæ a Stellis fixis, quam quæ a Solstitiis ipsis, aut Æquinoctiis deducitur. Multa quoque in hanc rem Doctissimi Petavii Dissertationes (l) sufficiunt.

Exemplum habemus, nec vetustum illud, & omnino simile, aberrantis ab Æquinoctio vero anni, in Calendario Juliano. Æquinoctium Vernum diei XXI. Martii affixum credebatur; sed cum Juliani anni quantitas justo major primum esset definita, duodecim cum dimidio sæculorum lapsu, idem Æquinoctium Vernum diem XXI. Martii decem ipsis diebus antecessit, nempe a Concilio Nicæno I.

F Æræ

(f) Menologii pag. xv. & xvi.
(g) De Macedonum & Asianorum Anno Solari, in parapegmate mensium.
(h) Circa annum ante Æram Christi cxxx.
(i) Ptolemæus in Almagesto Lib. iii. Cap. ii.
(l) Differt. variar. ad auctarium operis de Doct. Temp. Lib. ii. Cap. i. &c. Item Lib. vii. & alibi sparsim.

Æræ Chriſtianæ CCCXXV. usque ad annum cIↃ IↃ LXXXII., quo Calendarium Gregorii XIII. Pont. Max. juſſu emendatum accepimus.

CAPUT II.

De diverſo in duobus Macchabæorum Libris Anni adnotati exordio.

CONſtituta Anni Syromacedonici, & Judaici, comparataque inter ſe ratione, complanatam jam aliquantum viam habemus ad concilianda ea, quæ in duobus Macchabæorum Libris in ſpeciem inter ſe pugnantia proferuntur.

Nonnunquam easdem omnino res geſtas libro primo, & item ſecundo Macchabææ Hiſtoriæ conſignatas legimus, adſcripto etiam anni Græcorum, ſeu Seleucidarum numero; ſed numerus, libro primo expreſſus, unitate excedit eum, quem liber ſecundus exhibet. Egregie alter cum altero ſacer Hiſtoricus conſentit; ſed alio ejusdem anni Græcorum initio utuntur. Primi itaque libri Auctorem anni ſui initium cum Judæis a menſe Verno *Niſan* ducere, cui Xanthicus fere reſpondet: alterius libri Scriptorem ab autumnali menſe *Dio* cum Syromacedonibus ejusdem anni initium ſupputare ajo, & ex ipſis Sacræ Hiſtoriæ teſtimoniis commonſtro.

Libri I. Macchabæorum Auctor, inſtaurationem ſacrorum Jeroſolymis ſuſceptam deſcribens, ita habet: (m) *Et ante matutinum ſurrexerunt quinta & vigeſima die menſis noni, hic eſt menſis Casleu.* Si nonus menſis erat *Casleu*, primum fuiſſe oportet *Niſan*, uti ex ordine menſium anni Judaici, ſuperiori Tabella expoſito, & apud Eruditos certo, manifeſtum fit. Idem Sacer Hiſtoricus de Principe, ac Pontifice Judæorum Jonathan ſequentia refert: (n) *Et induit ſe Jonathas ſtola ſancta ſeptimo menſe, anno centeſimo ſexageſimo, in die ſolemni Scenopegiæ.* Exploratum eſt, agi hoc loco de antiquiore illo, & ſolemni Scenopegiæ feſto Templi Salomonei, quod in diem decimum quintum menſis *Tiſri* incidiſſe, certo conſtat. (o) Rurſus igitur e conſtituta menſium ſerie conficitur: menſi *Niſan* primum in anno Judaico locum adjudicandum eſſe. Eſt igitur extra dubium, libri primi Macchabæorum Auctorem conſignatos in Hiſtoria ſua annos a verno menſe *Niſan* auſpicari.

Secundi Macchabæorum Libri Scriptorem ab autumnali menſe *Tiſri*, vel *Marcheſvan* annum ab ſe notatum inchoaſſe, ex utriusque Macchabæorum libri collatis inter ſe locis ita oſtenditur. Betſuram, locum egregie munitum, ab Antiocho Eupatore anno Græcorum CL. obſeſſam eſſe, perhibetur Libro I. Macchabæorum, Capite VI., eumque annum Sabbaticum fuiſſe memoratur. Res hæc eadem, adnexa quoque Sabbatici anni mentione, Libro II. Capite XIII. narratur, ſed adſcripto anno Græcorum CXLIX. Quo-

(m) Lib. I. Macchab. Cap. IV. Verſu LII.
(n) Lib. I. Macchab. Cap. X. Verſu XXI.
(o) Lib. III. Regum Cap. VIII. Verſu II. & Lib. II. Paralipomenon Cap. VII.

Quoniam itaque in Libro I. Macchabæorum annum a *Nisan* mense verno incipi demonstratum, porro autem Sabbatici anni, uti & Jobelei, exordium a mense *Tisri* in Autumno sumptum fuisse in confesso est; (p) Sabbaticus igitur hic annus cœpit in Autumno anni Juliani ab Æra Græcorum CXLIX., & finitus est in autumno anni similis CL. Quare *Betsuræ* oppugnatio post initium Veris anni modo memorati CL., & ante Autumni finem ejusdem anni incidere debet. Cum ergo hunc annum Sabbaticum numero unitate minore Scriptor Libri II. adnotaverit, ejusdem anni initium posterius est eo, quo Liber I. utitur; annum autem neque Judæi, verna excepta, neque Syromacedones alia, quam autumnali anni tempestate inchoare in more habebant; in autumnum igitur sequentem rejiciendum est initium anni, qualem Scriptor Libri II. Macchabæorum usurpat.

Alio quoque exemplo hactenus disceptata constabiliri possent, ex quo palam fiat, etiam sine anni Sabbatici concursu, minore anni numero Libri II. Scriptorem uti, ejusdemque anni initium sequi, non præcedere exordium anni in Libro I. consignati. Libro I. Macchabæorum (q) ista leguntur: *Et mortuus est illic Rex Antiochus anno centesimo quadragesimo nono. Et cognovit Lysias, quoniam mortuus est Rex, & constituit regnare Antiochum filium ejus.* Sermo hic est de interitu Antiochi IV., qui Epiphanes vulgo, in Numis etiam Θεός compellatur: atque de Filio ejus, & Successore Antiocho V. Eupatore. Sed diversum aliquid referri videtur Libro II. Macchabæorum: (r) recensentur enim illic Epistolæ Antiochi V. mortuo patre jam regnantis, & Lysiæ Proregis, seu Tutoris; ambæ vero præ se ferunt annum Æræ Græcorum CXLVIII. Antiochi porro literæ die XV. mensis Xanthici scriptæ exhibentur.

Hic sane aliter statui non potest, quam Antiochum IV. Epiphanem mortuum esse sub initium mensis *Nisan*, anni Juliani ab Æra Græcorum CXLIX. cum Liber I. Macchabæorum jam incepisset numerare annum CXLIX. Secundus vero cum Syromacedonibus adhuc labentem annum CXLVIII. supputaret; atque ita mortuo sub ipsum *Nisan*, seu Xanthici initium Antiocho IV., potuit Antiochus V. jam Rex epistolam dare die XV. Xanthici mensis, ejusdem anni Juliani CXLIX. currentis, cujus Autumno Syromacedones numerare demum inciperent annum Æræ Seleucidarum CXLIX. ineuntem.

Neque hic (quem errorem olim erravit Scaliger (s)) fingi potest: Libri II. Macchabæorum Scriptorem annos Seleucidarum Chaldæorum more supputare, qui anno integro serius, quam Syromacedones, vel Judæi, annum inchoabant, ita ut Chaldæi non inciperent annum primum Æræ Seleucidarum anno Juliano ante Æram CHRISTI CCCXII. sed in Septembri anni sequentis CCCXI. Nam

F 2 si

(p) Levitici Cap. xxv. a Versu ii. ad x. Collato Exodi Cap. xxiii. Versu x. & xvi.
(q) Lib. i. Cap. vi. Versu xvi.
(r) Lib. ii. Cap. xi.
(s) De Emendatione Temp. Lib. ii. & Lib. v. primæ editionis. Videri potest Petavius Lib. ii. de Doctrina Temp. Cap. xxii.

ſi ita, vel ab Autumno annum inchoaſſet Scriptor Lib. II. vel aliunde? Si ab Autumno; diſcreparet a Scriptore Lib. I. Macchabæorum anno ſeſquialtero; cui Sabbaticus annus, & numeri ipſi annorum in utroque libro notati, & plane omnia repugnant. Si a Vere: integro tamen anno Librum I., Liber II. anni computatione conſequeretur; & quamvis Sabbaticus ille annus hic non obſtaret; rationi tamen conſentaneum minime videtur, ut is, qui Judæus ſit, aut Chaldæorum Æram potius, quam Syromacedonum ſequatur, aut, ſi Chaldæorum Æram tantopere depereat, non etiam initium anni Chaldaici ab æquinoctio Septembris cum Chaldæis ducat. Denique cui in mentem veniat: Regem Antiochum V. Chaldaica potius, quam ſua, id eſt Syromacedonica anni notatione epiſtolam inſcripſiſſe? aut ſacrum Scriptorem, Chaldæis minime obnoxium, qui ſua græce conſcripſiſſet, maluiſſe Chaldæorum morem imitari, quam Græcorum, quibus circa Macchabæorum tempora Judæi parebant, & quorum civilis anni ratio haud dubie ad Syromacedonum ritum per longum tempus conformabatur? Scaliger ipſe ſe neſcire fatetur, cur Chaldæorum Æra uteretur Scriptor Libri II. Macchabæorum; ſed libuit id aſſerere.

Omnibus itaque perpenſis ſtatuendum eſt: Scriptorem Libri II. Macchabæorum ſemeſtri, & quod excurrit, non integro anno, ſerius annum inchoare, quam Libri I. Auctorem: atque adeo in Libro II. a menſe *Dio* initium ſumendum, cui in Hebraico Calendario reſpondebat *Tiſri* finis, & *Marcheſvan* pars major.

CAPUT III.

Exponitur nodus Chronologicus impeditiſſimus in Libris Macchabæorum ſolvendus.

EXplicata diverſa illa annum inchoandi ratione, quæ in duobus Macchabæorum Libris, aliquid ſcrupuli injiciebat; non continuo nodus omnis expeditus eſt. Illæ Antiochi V. Eupatoris, & Lyſiæ epiſtolæ, quarum præcedenti Capite mentionem fecimus, rem omnem probe expendenti multum negotii faceſſunt. Equidem Antiochum IV. anno, ſecundum Syromacedones, centeſimo quadrageſimo octavo periiſſe, ipſo Xanthico menſe jam inchoato, extra dubium eſſe vidimus: epiſtolas quoque, modo memoratas, eodem anno ante Autumni exitum exaratas fuiſſe, adnotatus annus CXLVIII. plane perſuadet.

Verum enim vero Libro II. Macchabæorum Capite X., & undecimi initio, ante ipſas Lyſiæ, & Antiochi literas, varia Macchabæorum referuntur prælia, & res arduæ bello geſtæ, quibus Antiochi V. *jam Regis* Duces, ipſumque Lyſiam ita afflixere Judæi, ut datis ad eos literis Lyſias pacem petere compelleretur. Hæc Lyſiæ epiſtola inſcribitur anno CXLVIII. die XXIV. menſis Dioſcori,

ſcori, aut ut eſt in Græco Codice: Διὸς Κορινθίου. Hanc Lyſiæ epiſtolam excipit prior Antiochi V. Eupatoris ad Lyſiam miſſa: ſequitur altera ejusdem Antiochi V. ad Judæos ſcripta anno CXLVIII. die XV. menſis Xanthici; ambæ iſtæ Eupatoris epiſtolæ etiam de pace cum Judæis conſtituenda agunt.

Nodus in eo hæret: quoniam ſub ipſum Xanthici menſis initium anno Syromacedonum CXLVIII. Antiochus IV. interiit, ac tum denique Antiochus V. per Lyſiam Rex inſtitutus eſt; qua demum ratione geſto interea cum Antiochi V. Ducibus acri bello, variisque commiſſis præliis fractus Antiochus V. data ad Lyſiam, & Judæos epiſtola jam die XV. menſis Xanthici ejusdem anni, pacem quærere potuit? quo autem pacto Lyſiæ literæ etiam *ante Antiochi V. epiſtolam* exarari potuere, ejusdem anni menſe Dioſcoro, quocunque tandem loco menſis iſte reponatur, aut inſeratur? ſane ſi hoc anno, ob inſtabilem utriusque Calendarii rationem, & incertam intercalandi methodum, menſem *Niſan* integro menſis ſpatio τὸν Xanthicum præceſſiſſe fingamus, nunquam tamen efficiemus, ut variæ illæ pugnæ, & Macchabæorum victoriæ, ab Antiochi V., & Ducibus Lyſiæ relatæ, intra Antiochi IV. mortem, & diem XV. menſis Xanthici, anni CXLVIII. coerceri poſſint.

Difficultatis hujus momentum probe cognoverunt Viri in Chronologica Scientia verſatiſſimi, Joſephus Scaliger, (t) Dionyſius Petavius, (u) Jacobus Uſſerius, (x) & Cardinalis Noriſius; (z) Verum quæcunque ad explicandum hunc nodum hactenus prolata ſunt, neque Noriſio ipſi, neque vero mihi omnino ſatisfaciunt. Longum nimis foret, hic ſingulorum conatus recenſere; quod res admodum ſpinoſa paucis extricari non poſſit: ſatis habui Auctorum loca indicare. Qui tamen ſingulorum ſententias compendio expoſitas deſiderat, Noriſium (a) adeat. Sperabat idem Noriſius, quidquid in Macchabæorum Libris nondum plene expeditum occurreret, a Toinardo denique ſolutum iri in eo libro, quem idem de concordia utriusque Macchabæorum Libri moliebatur. Sed de illo opere, ſitne in lucem emiſſum, aut omnino ab Auctore perfectum, nihil mihi porro innotuit.

Neque porro ea ſatis lucis attulere, quæ ex Virorum præſtantiſſimorum lucubrationibus, qui in ſacram Macchabæorum Hiſtoriam ex inſtituto commentati ſunt, P. Henricus Philippi S. J., (b) & Percelebris Calmetus (c) collegere, e Serario nempe, Sanctio, Cornelio a Lapide, aliisque ſua laude dignis. Fatetur Calmetus: (d) nullam ab ſe viam ſatis planam inventam eſſe, qua propoſitam difficultatem ita evaderet, ut in ea plene acquieſceret.

G Te-

(t) De Emendatione Temp. Lib. v. (u) De Doctrina Temp. Lib. II. Cap. XXI. & XXII.
(x) In Annalibus Veteris Teſtamenti anno Periodi Julianæ 4551.
(z) De Anno & Epochis Syromacedonum. Diſſert. II. Cap. I.
(a) Libro & loco modo memorato.
(b) Quæſtiones Chronologicæ in Lib. II. Macchab. Cap. IX.
(c) Commentarii in Lib. II. Macchab. Cap. XI. & in Lib. I. Cap. VI. (d) Idem ibidem.

Temerarius autem hic ego videri poſſim, qui poſt tantorum Virorum conatus, impeditum hunc nodum diſſuere contendam; ſed quoniam præclara tentare cuivis fas eſt, & in magnis vel voluiſſe laudi datur, ad expediendum hoc dubium, multis tamen aliorum ſubſidiis fretus, audenter aggrediar. Atque illud hic primum præmonendum duxi: Nonnunqnam Sacros Hiſtoricos non eo ordine res geſtas enarrare, quo geſtæ eſſent; ſed eandem quandoque rerum materiem, etſi diverſis temporibus accidiſſent, una orationis ſerie complecti. Habemus ejuscemodi narrationis in ipſa Macchabæorum Hiſtoria quædam exempla: Libro II. Capite XIII. & XIV. Itemque Libro I. Capite V. & VI., ut alia prætercam, non eo omnia temporum ordine, quo referuntur, contigiſſe, Hiſtoriæ ſeriem omnem inter ſe conferenti fit manifeſtum. Voluit nempe DIVINA PROVIDENTIA etiam his in rebus evolvendis eorum exercere induſtriam, quibus Sacras Literas ſcrutari, earumque ſententiam aliis explicatam dare pro muneris, ordinisque ſui ratione incumbit.

Enim vero attente perlegenti Caput XI. Libri II. Macchabæorum perſpicuum, ut opinor, erit, ſimile ſe aliquid offerre, atque epiſtolas ſæpius memoratas Lyſiæ unam, & Antiochi Eupatoris duas, non eo, quo illic referuntur, temporum ordine exaratas fuiſſe; ſiquidem Dioſcorus menſis anni CXLVIII., quo Lyſiæ epiſtola notata eſt, præcedere non potuit ejusdem anni Xanthicum, Regni Antiochi Eupatoris primum, quem ejusdem Antiochi epiſtolæ duæ præ ſe ferunt, quocunque demum hujus anni loco menſis iſte reponatur. Reliquum eſt igitur Dioſcoro menſi, atque laudatis epiſtolis eum locum, ac tempus adſignare, ut ſufficiens tamen temporis intervallum res multæ bello interea patratæ nanciſcantur.

CAPUT IV.

Propoſiti nodi ſolutio tentatur.

Dioſcorum menſem embolimum fuiſſe in anno Syromacedonum, ex eo conficitur, quod embolimi menſis uſum iis populis fuiſſe oſtenderimus, (e) & Dioſcori menſis nomen in nullo menſium Syromacedonicorum parapegmate compareat. Nam cum Scriptores prope omnes, quos de Syriacis per Seleucidarum tempora rebus aliquos habemus, poſt Julii Cæſaris ætatem ſua opera elucubrarint, porro autem Juliani anni forma etiam in Syriam inducta eſſet; embolimi menſis uti uſus in hoc anno ſolari omnis, ita nominis memoria eſt apud poſteros abolita, neque ea res, niſi in vetuſtioribus, qualis eſt Scriptor Libri II. Macchabæorum, reperiri Auctoribus potuit.

Syrus Libri II. Macchabæorum Interpres huic ratiocinio egregie ſuffragatur, atque una locum Dioſcoro menſi embolimo in anno Syromacedonum plane opportunum adſignat. Itaque Interpres iſte loco

(e) Prolegomenorum hac Parte II. Cap. I.

loco *Dioſcori* ponit *Tiſri poſteriorem*; * qua in re Hebraici Calendarii rationem ſecutus ipſe haud dubie Hebræus, *Tiſri poſteriorem* vocavit menſem embolimum, ſicuti ab Hebræis menſis embolimus *Adar poſterior*, ſive *Et Adar* ואדר appellatur. Quare uti embolimus *Adar poſterior* idcirco dictus eſt, quod poſt *Adar* inſereretur: ita plane *Tiſri poſteriorem* dici *Dioſcorum* menſem embolimum eſt conſentaneum, quod poſt *Tiſri* menſem (ad Hebraici tum quidem uſitati Calendarii rationem reſpiciendo) in anno Syromacedonico inſereretur.

Locum vero iſtum in primis congruentem embolimo menſi tribui, e tabella menſium ſupra exhibita liquet: ubi Τῷ *Tiſri* reſpondet Hyperberetæus, atque idem poſtremus anni Syromacedonici menſis. Qua re quid vero ſimilius dici poſſit, non video; quando & Hebræi (a quibus pleraque accepere Græcorum vetuſtiſſimi) menſem embolimum *Adar* poſteriorem ad anni ſui finem ſubmoverunt, & Romani (qui pleraque vetuſtiſſimis Græcorum debent) Merkedinum, ſeu Merkedonium menſem embolimum ad anni ſui exitum ante Martium olim collocarunt. Fuit itaque Dioſcorus anni Syromacedonici menſis embolimus, ſub anni finem poſt Hyperberetæum, & ante Dium inſertus.

Dioſcorus autem (nam hoc vocabulum præplacet illi Διὸς Κορινδίȣ) cur is menſis dictus ſit, reddi ratio haud difficulter poteſt. Διόσκȣροι, ſeu Διόσκοροι, Caſtor & Pollux appellantur, quod & pueri norunt: porro Dioſcurorum cultum Seleucidarum tempore in Syria, Tripoli inprimis floruiſſe, ſi alia argumenta deeſſent, ipſi, quos producemus, Numi veteres convincunt. Quomodo igitur Artemiſius menſis ἀπὸ τῆς Ἀρτέμιδος a Diana, Dius ἀπὸ τȣ͂ Διὸς a Jove nomen ſortitus eſt, ita a Dioſcoris Dioſcorus menſis appellatus eſſe cum ratione creditur. Piget hic frigidulas Scaligeri (f) de Dioſcori nomine conjecturas, & male deductas inde ſequelas referre.

Explorato Dioſcori menſis nomine, munere, & loco, illud ultro conſequitur: Epiſtolam Lyſiæ, Dioſcoro menſe ſcriptam, ſex menſium, & quod excurrit, intervallo ſerius eſſe exaratam, quam Epiſtolas Antiochi V. Eupatoris, ejuſdem anni menſe Xanthico ad Lyſiam, & Judæos datas. Quare cum tam epiſtolæ duæ Regis Antiochi V., quam literæ Lyſiæ de pace cum Judæis ineunda agant; aliam profecto de pace tractationem oportet fuiſſe illam, de qua Xanthico menſe Rex Antiochus, aliam, de qua Dioſcoro menſe ſcribit Lyſias.

Porro ex utroque Macchabæorum Libro manifeſtum eſt, eo ipſo tempore, quo Antiocho IV. ſublato, Antiochus V. Eupator Regnum adiit, bellum a Judæis fervore maximo, & inſigni cum felicitate geſtum eſſe. Quis autem neſcit, novos Principes, Regni ſui initia ut pacata habeant, omnem operam impendere. Quod cauſæ

 erat,

* Tiſri ponit Interpres Syrus, non Tiſrin: itaque hic non reſpicit ad nomen menſis Tiſrin poſterioris in Calendario recentiorum Syro-Græcorum; quamvis & iſthic locus utriusque Tiſrin in Autumno conſtituitur.

(f) De Emendat. Tempor. Lib. II. de anno Chaldæorum Lunari.

erat, cur ad Judæos victores Antiochus V. literas daret die XV. Xanthici ipso Regni initio, quibus eos bonis pactis ad pacem invitaret, atque eadem super re ad Lysiam, tum ab Aula absentem, mandata mitteret. Ipsa Antiochi V. verba, quibus Lysiam per literas alloquitur, idem ostendunt : (g) *Patre nostro inter Deos translato, nos volentes eos, qui sunt in Regno nostro, sine tumultu agere, &c.*

Primum itaque cum Judæis pacem inivit Antiochus V. mense Xanthico anno CXLVIII. ipso Regni sui exordio; quo tempore (nam eodem loco hæc narrat Sacra Historia, quo initium Regni Antiochi refert) (h) Ptolemæus Macer, seu Macron, Judææ, & Phœniciæ Præfectus *justi tenax* cum Judæis *pacifice egisse* perhibetur. Pax igitur tum quidem cruenta paullo ante bella diremit. Sed pax illa per Lysiæ scelus minime diuturna esse potuit; nam Ptolemæus Macer variis insectationibus eo adactus est, ut vitam paullo post veneno finiret, eique Lysias, Regis moderator, in hac quoque Præfectura succederet: qui violata pace mox bella per Gorgiam instaurat, (i) id quod in mensem Artemisium incidisse non est incongruum.

En itaque satis magnam temporis intercapedinem ab dimidio circiter Artemisio usque ad vicesimam mensis Dioscori, post Hyperberetæum inserti, cujus decursu varia prælia a finitimis populis geri, atque post alios Antiochi Eupatoris Duces, Lysias ipse, cum flore exercitus accurrens, superari potuere. Hoc igitur semestri accidisse existimo res illas bello ab Judæis præclare gestas, quæ Libro II. Macchab. Capite X. & XI. comemorantur: rejectis fere in annum Græcorum sequentem CXLIX. bellicis eventibus, quorum Libro I. Macchabæorum Capitis V. Parte altera, & Libro II. Capite XII. fit mentio.

Lysias denique prælio a Judæis, ineunte Autumno, victus, altera hac vice, eodem anno Syromacedonico CXLVIII. jam ad finem vergente, nempe die vicesima mensis Dioscori, embolimi, & ultimi pacem petere data epistola cogitur. Ita quidem certe probe cohærere videntur omnia, ac difficultas, quæ pertinacius hisce epistolis implicata hærebat, citra vim ullam sacro Codici adhibitam, penitus evanescit. Libet hactenus disceptata paucis complecti: Antiochus IV. interiit anno Syromacedonico labente CXLVIII. incepto jam Xanthico, & Nisan; quocirca Liber I. Macchab. jam inchoavit annum CXLIX. Succedit illico in Regno Antiochus V., IV.[ti] Filius, Eupator dictus, volensque pacatum habere Regni exordium, ad Lysiam, & ad Judæos de pace literas dat die XV. mensis Xanthici anni Syromacedonum ejusdem CXLVIII. Ptolemæus Macer, pacis cultor, paullo post circa Artemisium mensem veneno perit; succedit Lysias in Præfecturam Phœniciæ, ac Judææ, pacem violat: per seméstre bellatur; victus post alios Duces Lysias, pacem iterum quærere cogitur, datis ad Judæos literis die XXIV. mensis Dioscori, embolimi, & ultimi, anni adhuc labentis centesimi quadragesimi octavi, ad mentem Syromacedonum. CA-

(g) Lib. II. Macchab. Cap. XI. Versu XXIII. (i) Hæc omnia habentur memorato Libro II. Macchab. Cap. X. a Versu X. ad XVI. (l) Lib. I. Macchab. Cap. VIII. Versu I.

CAPUT V.

Alia Chronologica Macchabææ Historiæ dubia expediuntur.

ANtiochum V. Regno & vita exturbavit Demetrius I., qui Romæ obses desidebat. De cujus initiis ita Liber I. Macchabæorum: (l) *Anno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci Filius ab urbe Roma &c.* Sed Libro II. (m) hæc legimus: *Venit* (Alcimus) *ad Demetrium Regem centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream;* atque hoc tum factum narratur, cum Demetrius Rex jam Tripolim appulsus, ad loca opportuna ascendisset.

Manifestum hic fit ex iis, quæ de duplici anni initio monuimus, Demetrium verno tempore, aperta primum navigatione, & inchoato jam mense Nisan Roma profugisse, atque felici navigatione usum intra breve tempus Tripolim tenuisse; inde ad opportuna loca properans, ante Autumnum ab Alcimo conveniri potuit, atque adeo labente adhuc anno Syromacedonum CL. qualem usurpat Liber II., cum Liber I. e Judæorum ritu jam ab initio Nisan annum CLI. numerare cœpisset.

Animadverti hic quoque meretur: ea, quæ Libro II. Macchabæorum, Capitis XIV. initio referuntur, non efficere continuam narrationem cum illis, quorum Capite proxime præcedente fit mentio. Nam Capite XIII. narrantur, quæ anno Syromacedonum CXLIX. acciderant; porro Capitis XIV. initium ita habet: *Sed post triennii tempus cognovit Judas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida, & navibus per portum Tripolis ad loca opportuna ascendisse.* Subjiciuntur ea, quæ de Alcimo modo memoravimus, anno Syromacedonum CL. gesta. Hic igitur triennii tempus interesse nequit. Hæc itaque: *Post triennii tempus* accipienda sunt de initio Regni Antiochi V. Eupatoris, quod incidit in Ver anni Græcorum CXLVIII., a quo, usque ad adultam æstatem anni CL., qua Demetrius Syriam occupabat, duo anni expleti sunt, ac triennium inchoatum.

Neminem porro moveat ea loquendi ratio: *Post triennii tempus*, cum triennium non exierit, sed sit duntaxat inchoatum. Habemus enim id genus alios in Sacris Literis loquendi modos. Ipse sane Divinus Salvator de se ita vaticinatus est: (n) *Quoniam oportet Filium hominis pati multa . . . & occidi, & post tres dies resurgere.* Cum tamen sit in confesso, CHRISTUM Dominum ante triduum a morte expletum virtute propria revixisse. Simile loquendi genus apud S. Matthæum (o) quoque invenias.

De alio triennii, an biennii tempore impeditior nodus sese offert, in sacrorum instauratione Jerosolymis suscepta, post sublatam abominationem ab Antiocho IV. inductam. Libro I. Macchabæorum (p) docemur: Regis Antiochi jussu erectum esse Idolum

H super

(l) Lib. I. Macchab. Cap. VIII. Versu I. (m) Lib. II. Macchab. Cap. XIV. Versu IV.
(n) Marcus Cap. VIII. Versu XXXI. Μετὰ τρεῖς ἡμέρας.
(o) Matth. Cap. XXVII. Versu LXIII. (p) Lib. I. Macchab. Cap. I. Versu LVII. usque ad LXIII.

ſuper Altare DEI die XV. menſis Casleu anno CXLV. Et paullo inferius refertur V. & XX. die menſis Casleu impios ſacrificaſſe ſuper aram, quæ erat contra Altare. Porro Templi, & Altaris inſtauratio, elicitusque e lapidibus ignis, facta fuiſſe perhibentur eodem die, quo templum pollutum fuerat, die XXV. menſis Casleu *poſt biennium*, uti Libro II. Macchab. Cap. X. legere eſt. Denique Libro I. Cap. IV. hæc eadem inſtauratio, eademque ſacrificia peracta narrantur: *Quinta & vigeſima die menſis noni, hic eſt menſis Casleu, centeſimi quadrageſimi octavi anni.* Menſis, diesque recte ubique conveniunt: at quo pacto *poſt biennium* ea inſtauratio perfecta fuit, ab ea die, qua Templum profanatum ſit; cum ea profanatio ad anni CXLV. eundem menſis diem referatur Libro I. Capite I.?

Alias alii vias ineunt, ut iſta concilient. Mihi Libri I. Caput I. attentius perlegenti illud in mentem venit: Abominationem illam, & profanationem templi die XV. menſis Casleu anni CXLV. certo inceptam, die XXV. menſis Casleu *ſequentis denique anni* conſummatam fuiſſe, atque ab eo tempore biennium recte utique Libro II. ſupputari. Nam primum: Sacer Hiſtoricus Lib. I. Cap. I. ad diem XV. Casleu adjungit annum CXLV. ad diem XXV. ejusdem menſis non modo annum non apponit eundem, ſed ea geſta interponit, quæ diem XXV. Casleu anni ſequentis intelligendam ſuadeant. Juvat verba ipſa exſcribere: (q) *Die quinta decima menſis Casleu, quinto & quadrageſimo & centeſimo anno ædificavit Rex Antiochus abominandum Idolum deſolationis ſuper Altare DEI &c.* (narrantur alia crudeliter & ſacrilege perpetrata) *In virtute ſua faciebant hæc populo Iſrael, qui inveniebatur in omni menſe, & menſe in civitatibus. Et quinta & vigeſima die menſis ſacrificabant ſuper aram, quæ erat contra altare.* Nempe poſt excitatum Idolum, varia Idola per totam Judæam erecta ſunt, & Judæi, *qui in omni menſe & menſe*, id eſt, qui Neomenias & Neomenias, ſeu plures deinceps Neomeniæ dies feſtos celebrare notabantur, neci dabantur. Plures igitur menſes effluxere, dum hæc fierent; quare quod ſequitur: *Die XXV. menſis Casleu*, ad ſequentem annum referendum videtur, ubi omnibus jam aris profanatis, & igne ſacro penitus extincto, abominabilis illa impietas eſt omnino conſummata. Ita ſane nihil in Sacris Literis immutare neceſſe eſt: & biennium, non triennium, ut multi exponunt, ſed biennium dicere poſſumus: Scapham Scapham.

Divexatæ denique illius controverſiæ eſt hic ſaltem facienda mentio, qua diſceptatur: Cuinam Oniæ Judæorum Pontifici, inter tres ejus nominis, tribuenda ſit epiſtola ab Ario Spartiatarum Rege ſcripta, quæ habetur Libro I. Macchab. Capite XII. Flavius Joſephus, & Euſebius Oniæ III. hunc Arium coævum faciunt: Salianus (r) Oniæ II. hanc epiſtolam tribuit: pro Onia I. ſtant Scaliger, & Petavius. Poſtrema hæc ſententia mihi præ reliquis probatur; etſi

(q) Loco memorato in p.
(r) Saliani Annales Vet. Teſtam. ad annum mundi 3821.

etsi altera quoque sua probabilitate non destituatur. Huic porro controversiæ quoniam Syriacæ res proprie non sunt conjunctæ, & nihil a me novæ lucis accedere potest: Lectorem ad Petavium, (s) & Salianum (t) remitto.

CAPUT VI.

Historica, & Geographica dubia, Reges Syriæ in Libris Macchabæorum involventia, discutiuntur.

IPso Libri I. Macchabæorum exordio duæ res occurrunt, quæ apud Historiæ peritos scrupuli aliquid injicere possent. Prior in eo est, quod Alexander Philippi Macedo primus in Græcia regnasse dicatur; cum Reges bene multos ante eum in Græcia regnasse Historici contestentur. Nonnulli respondent: in Græco esse πρότερον & non πρότερος, atque exponendum esse: *qui prius* regnavit in Græcia. At enim eodem Libro I. Macchabæorum Capite VI. Versu II. de Alexandro ita in Græco codice legimus: Ὃς ἐβασίλευσε πρῶτος ἐν τοῖς Ἕλλησι, *qui primus regnavit in Græcis.* Sed possumus apte, & ad Sacrarum Literarum mentem plane congruenter Græciæ, & Græcorum nomine totius Græcæ Monarchiæ Imperium accipere, quod primus utique Alexander Philippi consecutus est. Idem primus ab omnibus fere Græcis Europæis perinde, ac Asiaticis magno consensu Βασιλέως titulo cohonestatus est, quo titulo si priores Macedonum Reges usi sunt, timide usos credo, & intra suæ Macedoniæ limites. Sane non de nihilo est, Veterum, qui ante Alexandrum fuissent, Macedoniæ Regum certa Numismata ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulum non præ se ferre: sola comparent Regum nomina: ΑΜΥΝΤΑ, vel ΑΜΥΝΤΟΥ. ΑΡΧΕΛΑΟΥ. ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. & quædam Numismata ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ legimus, alia plura ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Begeri (u) vero Numus ille cum Cancri marini effigie, & ex altera parte hac epigraphe: Β. Α. ΜΙΜΤΟΥ. Μ. inter incognitos mihi potius relegandus videtur, quam ita legendus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΙΜΤΟΥ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Repugnat siquidem interpretationi, & orthographia nominis Regis, quod alii Numi produnt, ac τοῦ Μ. lectio ad libitum excogitata. Alia similium nominum Numismata cum ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulo, post Alexandrum M. cusa videntur.

Posterior dubii historici pars in Alexandri M. significatione ultimæ voluntatis offenditur. De Alexandri morte ita Sacer Historicus: (x) *Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute, & divi-*

(s) Petavius de Doctrin. Temp. Lib. x. Cap. LI.
(t) Loco modo indicato.
(u) Laurentii Begeri Thesaurus Brandeburgicus pag. IV. Volum. III.
(x) Lib. I. Macchabæorum Cap. I. Versu VI. &c.

divisit illis regnum suum, dum adhuc viveret. Hæc pugnare videntur cum iis, quæ de Alexandri morte a Justino, Curtio, Plutarcho, aliisque narrantur; qui ajunt, rogatum Alexandrum: Ecquem Successorem designaret? respondisse: Dignissimum; Annulum vero suum Perdiccæ tradidisse. At isti Historici aliquid certe omittere potuerunt; uti: aliquam saltem distributionem Provinciarum Nobilibus factam; neque Sacer Historicus id asserit: Provincias iisdem summo cum jure datas esse; neque, eam distributionem post mortem vim suam obtinuisse, diserte docetur.

Ipsa quoque illa postremarum una Alexandri vox: (w) *Dignissimum*, seu *Fortissimum*, ac *Optimum* Successorem se velle, satis innuebat, eundem cuique pro meritis, ac dignitate consultum voluisse; neque erat præstantissimorum Ducum quisquam, qui se aliqua imperii parte dignissimum, & æque fortem, atque alios, non crederet. Verum Auctores quoque illi sententiæ non desunt, quæ testamenti aliquid Alexandrum condidisse asseverat. Dissimulare non est ausus Curtius, (y) fuisse Scriptores, qui confectum ab Alexandro testamentum prodidissent, etsi ipse in diversam sententiam abeat. Pro testamento Alexandri facit Chronographus Alexandrinus, (z) & Josephus Gorionides: (a) Diodorus Siculus (b) ab Alexandro confectum testamentum, ac in urbe Rhobo depositum fuisse, luculenter testatur.

Jam de Antiocho III. Magno, Historica juxta, ac Geographica solvenda sunt dubia. Libro I. Macchab. Cap. VIII. Antiochum Magnum vivum a Romanis captum fuisse perhibetur. Ast hac de re siluere Historici Veteres, Polybius, Livius, aliique. In Polybio multa desiderantur, forte hic in Livio quoque: quod si alii siluerunt, silentium ejus rei ex pervetusto Scriptore nostro compensetur. Neque vero reliqui omnes adeo obstinate siluere, nihil ut efflueret. Epitome Livii Lucium Scipionem, Antiochi victorem, confecto bello Asiatico in jus vocatum esse memorat, eam ob causam: (c) *quod præda* CUM *Antiocho capta ærarium fraudasset.* Potuit autem sive pugnæ ipsius, sive alia occasione brevi tempore captus fuisse Antiochus; at cum se vel promissis, vel sua, suorumve virtute, vel astu mox liberasset, studiose ea de re silendum sibi utique Romani censuere.

Quod si hæc non omnino cuipiam satis firma viderentur; pace mea pervulgatam sententiam sequatur, qua S. Historiæ Interpretes recte ipsi quoque Hagiographum excusant; dum nempe ista, quæ de Antiochi Magni captivitate, quæque subinde proferuntur, nequaquam ab Hagiographo ita reapse gesta, sed ita narratione accepta esse affirmantur. Nam ita habetur: *Et* AUDIVIT *Judas nomen Romanorum - - - - Et* AUDIERUNT *prælia eorum &c.*

Supra

(w) Æmilius Probus in Eumene, & Arianus apud Photium Codice 92.
(y) Curtius Lib. x. (z) Chronographi Alexandrini Collectanea latino-barbara apud Scaliger.
(a) Joseph. Gorion. Lib. III. (b) Diodorus Siculus Lib. xx.
(c) Epitome Livii Lib. XXXVIII. Editio Basileensis 1539. Item Parisina 1552. &c. Aliquæ editiones habent: Ex Antiocho.

Supra laudatus Libri I. Macchabæorum Scriptor de eodem Rege Antiocho Magno aliquid commemorat, quod prima ſpecie in Hiſtoriam & Geographiam peccare videtur. Narratur itaque: (d) Romanos victi Antiochi regiones de optimis quasdam Eumeni Regi tradidiſſe, & has de nomine: *Regionem Indorum, & Medos, & Lydos.* Conſtat autem neque Antiocho III. Indos tum ſubjectos fuiſſe: & ſi eripi etiam India, ac Media Antiocho potuiſſent, nihil fere Eumeni, ingenti intervallo ab his terris diviſo, profuturas fuiſſe.

Sed egregiam huic loco explicando lucem attulit Eruditiſſimus P. Harduinus S. J., qui, repudiatis aliorum reſponſionibus, quotquot nodum ſcindere, quam ſolvere malebant, aut in Iberia Indicam, in Thracia Medicam regionem quærebant, (e) quarum neutram tum fortaſſe poſſideret Antiochus, qui, inquam, Indos, Medosque in ipſa Aſia minore detexit. Plinium (f) itaque teſtem producit (ſuffragante Livio Lib. XXXIIX.) P. Harduinus, (g) & Calbin magnum Cariæ fluvium olim Indi nomen tuliſſe recte affirmat. Deductum inde vicinæ Regionis, & incolarum vetus nomen, ut ſæpe factum: quod vocabulum apud Palæſtinos diutius, quam alibi in uſu fuiſſe, e ſacro Auctore noſtro conficitur. Medorum porro nomine veniunt veteres Medorum Coloniæ in minorem Aſiam tum deductæ, cum illic Medi rerum potirentur. Manifeſta hujus rei extare deprehendi indicia. Strabo (h) quidem (ut Medos, ſeu Mædos Thraciæ hic prætercam) Medo-Bithynorum in Phrygia meminit; Plinius (i) in Caria Medmaſſam locat, quæ Stephano eſt Mednaſus, ſeu Medonaſus. Ita plane Macedonum memoria, ac nomen diu in Aſia poſt, & forte etiam ante Macedonum Imperium floruerat: Myſomacedonum, Syromacedonum, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΔΟΚΙΜΕΩΝ. (ut habent Numi) nota in vulgus vocabula, hactenus dicta egregie confirmant, queis plura e Plinii Lib. V. (k) addi poſſent. Et vero accurata admodum, ac circumſpecta eſt ſacri Hiſtorici locutio: *Indos & Medos*, id eſt, Indi fluvii accolas, & Medorum veteres in Phrygia, Cariave colonos, non *Indiam & Mediam* ait Eumeni datas. Quid autem iſthic Geographiæ, atque Hiſtoriæ non conſentaneum, ſi Phrygiæ, Cariæque pars Antiocho Magno erepta, atque Eumeni addicta eſſe ſtatuatur? potuitque pars altera Cariæ Rhodiis, uti refert Livius, a Romanis concedi. Adſenſuros his facile ſpero omnes, qui in Geographia vetere, in Homero, Herodoto, Polybio &c. non ſunt omnino rudes, quique norint, quam ſint ejusdem loci, aut populi alia aliis temporibus, atque apud alias nationes uſurpata nomina,

I etiam

(d) Lib. I. Macchab. Cap. VIII. Verſu VIII.
(e) Vide Salianum in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Mundi 3894.
(f) Plinius Hiſt. Natur. Lib. V. Cap. XXIX.
(g) Harduini Chronol. Vet. Teſt. & Notæ in laudat. Plinii loc.
(h) Strabo Lib. VII.
(i) Plinius Lib. V. Cap. XXX. Prima editio Plinii an. 1469. habet Mednaſa.
(k) Plinius Lib. V. Sect. XXX. & ſequentibus omnibus.

etiam levibus nonnunquam, aut obliteratis de cauſis. Non deerunt forte, qui poſt mille annos mirabuntur, in noſtrorum temporum Scriptoribus paſſim Americam Indiam, ejusque populos promiſcue Indos appellari; cum illic Indiarum minus ſit, quam olim in Caria fuiſſet.

Antiochi IV. Syriæ Regis interitus, ab utriusque Libri Macchabæorum Scriptore memoratus, Geographicum injecit ſcrupulum. Libro I. [l] Macchabæorum narratur: Antiochum ultimo ſuæ vitæ anno *in Elymaydem* Perſiæ urbem veniſſe, ut templum illic ſpoliaret. De eodem itinere, atque adeo eadem de urbe mentio fit Libro II. [m] aſt urbis nomen *Perſepolis* proditur. Sed recte uterque ſacer Hiſtoricus urbis nomen adſcripſit, Hebraicum alter, alter Græcum. Auctor Libri I. Hebræos ſequi ſolitus, qui & Hebraice Hiſtoriam ſuam conſcripſit, Hebraico nomine uſus eſt. Siquidem *Elam* Hebraice, *Elama* Syriace Perſidem, aut Perſidis partem ſignificat; uti colligitur ex Actis Apoſtolorum, [n] & ex Divo Hieronymo [o] in Jeremiam. Ex Elama *Elamais*, ſeu *Elymais* formatum eſt, quod *Perſicam* urbem æque ἀντονομαστικῶς ſignificat, atque Græcum Περσήπολις *Perſiæ urbem*, etſi τὸ *urbs* Hebraico non ſit expreſſe adjectum. Græco autem vocabulo Libri II. Scriptor uſus, quem Græcorum & annum & linguam ſibi familiares habuiſſe conſtat.

Porro Antiochum IV. Perſepoli repulſum, inde Ecbatana fugiſſe, deinde in Babyloniam reverſum eſſe, ac denique iter accelerantem in Syriam, ut illatas a Judæis clades ulciſceretur, peregre in montibus miſerum in modum interiiſſe, uterque ſacer Hiſtoricus exequitur. Antiochum porro prope urbem Tabas, in Perſide ſitam, extinctum eſſe ex Polybio Joſephus, [p] & S. Hieronymus [q] meminere. Equidem, ſi Antiochus; ut habet Latinus Codex: [r] *Reverſus eſt in Babyloniam*, ad Tabas Perſidis non eſt extinctus; cum Babylonia Syriæ propior ſit, quam Perſis. Græci quidem Codicis ope res expediri, & ſententia Latina explicari poteſt: reverſum eſſe animo & conatu, non re; nam Græcus habet: τὸ ἀποστρέψαι, *ut reverteretur*. Atque hæc expoſitio nihil habet incongrui.

Attamen ſi Tabas non Perſidis, ſed Syriæ Perææ latius ſumptæ urbem intelligere velimus, de qua Stephanus Byzantius in ſuo de Urbibus libro; tum Antiochum, qui alioqui currum ſine intermiſſione agitari juſſerat, ad Syriæ fines per Babyloniam veniſſe, atque adeo in Babyloniam reapſe reverſum eſſe, conſtituere poſſumus. De Sacræ Hiſtoriæ majoribus dubiis hac Prolegomenorum parte tantum: nam alia quædam parte III. & IV. * explicabuntur.

PARS

(*l*) Cap. VI. Verſu I. (*m*) Cap. IX. Verſu II.
(*n*) Cap. XI. Verſu IX. (*o*) S. Hieronymus in Cap. XXV. Jeremiæ.
(*p*) Joſephus Lib. XII. Antiquit. Cap. IX. (*q*) S. Hieronymus in Cap. XI. Danielis.
(*r*) Lib. I. Macchab. Cap. VI. Verſu IV.
* Parte III. Prolegom. Capite II. Item Parte IV. Cap. II. & IV.

PARS TERTIA.

Quod in veteribus Regum Syriæ Numis difficile, atque utile occurrit, expenditur.

CAPUT I.

Quorum Regum Numi conſiderentur: & quænam ſit prima dignoſcendi ratio?



Ltera poſt Sacras Literas ſubſidiorum claſſe, ad conſcribendos Annales noſtros, vetera Syriæ Numiſmata conſtitueramus, quorum accurata disquiſitio plus fortaſſe, quam initio minari videatur, negotii faceſſit. Seleucidarum Numos ſi conſideremus, fatendum ſane eſt, plurimum jam in iisdem diſcernendis re ipſa Vaillantium primum, ac ſubinde Haymium præſtitiſſe; neuter tamen viam, ac rationem ex inſtituto tironibus commonſtravit, qua tanta Numorum farrago in ordinem digeri, ac ſuo quisque Regi aſſignari debeat. Id nos hic enucleate exequi conabimur, cum ut habeant tirones aliquam in ejuscemodi materia utiliter verſandi methodum; tum ut candide aperiremus, quantum ſit in his, illisve Numis diſcriminandis certi, ac firmi: atque adeo quantum inde momenti ad Annales noſtros expectari poſſit.

Annales noſtros ab Alexandri M. obitu deducendos duximus. Hujus obitus tempus, annum Æræ Seleucidarum, duodecim ipſis annis anteceſſit: tum porro Seleucus I. Nicator duodecimo denique Æræ ſuæ anno Syriam obtinuit. Aliorum igitur etiam Regum, qui ante Seleucum Syriam, Aſiamque poſſediſſent, conquirenda nobis erant Numiſmata. Primus poſt Alexandrum Magnum, uti totius Imperii, ita Syriæ, Aſiæque Βασιλεὺς, titulo quidem potius, quam re, fuit Philippus Aridæus, Alexandri M. frater; cum quo ſubinde in tituli Regii ſpem verius quam communionem venit puſio Alexander, Alexandri M. e Rhoxane poſthuma proles, & fortaſſe etiam Hercules, ejusdem Alexandri Magni ex Barſine concubina filius.

Inter multos, ac varios Numos, inſcriptos: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. vel ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Vix ullos certo quodam indicio ad Philippum Aridæum referre licet: ad Alexandrum puerum, quos ego viderim, omnino nullos: Herculis porro illius Numus nullus hactenus eſt productus. Philippi, & Alexandri nomine inſcripta Numiſmata argentea imberbe fere caput referunt, pelle leonis tectum, quod, qui Alexandri Magni, vel Philippi Regis caput ſemper eſſe exiſtimant, ſæpe mea opinione falluntur. Herculis illic fere caput exhiberi probat vultus in Philippi, Alexandri, Seleuci I., atque Antiochi I. Numis plane ſimilis; quos

ego omnes Reges iisdem vultus lineamentis fuiſſe non arbitror. Attamen Philippi Numos argenteos, qui elegantiorem fabricam, & ΒΑΣΙΛΕΩΣ præcipue titulum, atque magnam cum Alexandri Magni, atque Seleuci I. Numis, qui ſatis dignoſcuntur, ſimilitudinem oſtentant, illos Philippo Aridæo potius, quam Patri Alexandri M. tribuendos exiſtimo : Alexandri M. & Philippi Aridæi, e multis aliquos proferam; quia illius pervulgati, hujus incerti ſunt Numi, cujus generis plures apud Geſſnerum habentur.

Poſt Philippum cum omni Regia Stirpe e medio ſublatum, primus Antigonus cum filio Demetrio Poliorcete Syriæ, atque Aſiæ (etiam Diademate, & ΒΑΣΙΛΕΩΣ. titulo adſumtis) præfuit. Antigoni iſtius, ac Demetrii Numos ab aliis Antigonorum, ac Demetriorum (qui ſubinde in Macedonia, & Syria regnarunt) monetis diſcernit cornutum caput, quo proximi fere tantum Alexandro M. Reges in Numis exprimuntur: aureus Antigoni Numus, capite Palladis, & Victoriæ typo inſignis huc referendus videtur, quia ſimiles Numi ſub Alexandro, & Philippo frequentes. Certius porro hujus Antigoni, atque Demetrii Numiſmata diſcriminant Victoriæ illius navalis ſymbola, propter quam, prope Cyprum relatam, Antigonus, ac Demetrius primi e Satrapis Alexandri, diadema, ac ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulum ſolemni ritu palam ſibi impoſuere, ut ſuo loco dicemus. Parvum, ac ſingularem ex ære Numum nactus ſum ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΝΤΙΓΟΝ. cum literis, ut videtur, Phœniciis in averſa parte: quem huic Antigono adſigno; neque enim alteri hujus nominis Regi Phœnices ſubinde unquam fuere obnoxii. Si Phœnicias eſſe eas literas neges, Antigono Judææ Regi, poſtremo ex Aſſamonæis, Numus tribui poſſet.

Victo, ac ſublato Antigono Seleucus Nicator Syriam, Aſiamque obtinuit; Phœniciæ tamen, ac Cœleſyriæ pars littoralis, ac major Ptolemœo Soteri, Ægypti Regi, parebat, qui eas regiones armis Antigono extorſiſſet. Hic *Seleucus Nicator* eorum Regum familiam ducit, qui ab ipſo Imperii, ac ſtirpis auctore *Seleucidæ* appellantur: quibus pauci alii interſeruntur Syriæ Reges, aut Tyranni, qui de Seleuci ſanguine aut omnino non, aut non legitimam originem traxere. Inſititiorum Regum Numi facile a Seleucidarum monetis diſcernebantur; nempe duorum Ægypti Regum Ptolemæorum Evergetis I., & Philometoris, qui Syriam occuparunt, & quorum Numi (quod in Ptolemæis rarum) ipſos hos titulos ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. & ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. rei Numariæ bona fortuna oſtentant. Poſſunt etiam Ptolemæi I. ΣΩΤΗΡΟΣ. Numi adjungi, qui & Syriam ſub Aridæo, & Phœniciam cum Cœleſyria deinceps quoque ſubjectas habuit. Tryphonis, & Achæi Tyrannorum, item Tigranis Armeniæ, & Aretæ Damaſci Regis Numiſmata ſatis ſua ſeſe nominis ſingularitate diſtinguunt. Duos Alexandros inter Seleucidas recenſeo, etſi horum alter omnino extraneus, aut ſpurius eſſet: obtruſus tamen eſt Syris, tanquam e Seleucidis deſcendiſſet.

Ad

Ad Seleucidarum igitur Numos gradum facio, in quibus dispescendis plus operæ collocandum erit. Equidem petendum hic primum est ab Historiæ veteris Scriptoribus subsidium; ut Regum Seleucidarum nomina, & respondentia eisdem Numismata in qualemcunque ordinem sub initium disponantur; sed commodatam sibi hanc operam mox compensabunt Numismata, quorum ope Historicorum obscura illustrari, Chronologicæ lites terminari, atque omissa suppleri possunt. Cum itaque Seleucidæ Reges occurrant Seleuci sex, Alexandri duo, Antiochi e probabiliore sententia omnino tredecim: Demetrii tres (non connumerato isthic Demetrio Poliorcete) Philippus unus; horum nomina, atque cognomina, titulosque honorificos ex iis, quos initio (s) recensuimus, Scriptoribus antiquis excerpsimus, adnotatis etiam annis, quo quisque Regum Imperium adiisse, eoque dejectus esse perhiberetur, quos annorum numeros ad Seleucidarum Æram (ubi opus erat) reduximus. Constituto ita qualicunque Catalogo, cum eodem Numismata contendimus; quod qua ratione, & quo profectu præstiterimus, dabunt sequentia hujus Partis Capita.

CAPUT I.

Numismatum Epocha signatorum utilitas, & cum Libris Maccbabæorum concordia.

UT ad secernendos tot ejusdem nominis Regum Numos, vultusque firmissimo quodam fundamento niteremur, e Numismatum omni penu ea primum selegimus, quæ certas Æræ Seleucidarum notas præ se ferrent, securissima temporum, quibus signata essent, atque adeo Regum, quos repræsentarent, argumenta. Ejuscemodi Chronici Characteres quam accurate in Moneta Veteri sint expressi, illud satis præter cetera declarat, quod iidem cum annis ejusdem Æræ Seleucidarum, in sacra Macchabæorum Historia expressis, fideli plane nexu cohæreant; quæ res apud incredulos quosdam illud quoque efficere deberet, ut Macchabææ Historiæ auctoritati plus deferre incipiant, quam hactenus aversus a veritatis via animus apud nonnullos deferendum suasisset. Hanc Numismatum cum veritate ipsa concordiam, ut uno velut intuitu contemplandam proponerem, sequentem Tabellam confeci, in qua una ex parte anni omnes, ad Regum Syriæ Historiam facientes, ordine adscribuntur, quorum in Sacra Historia fit mentio; altera ex parte annorum numeri exhibentur Numis illis insculpti, qui meam notitiam non effugere. Asterisco notati numeri in Vaillantii opere non habentur. Numismatum porro anni, ultra tempora a Macchabæis Scriptoribus consignata excurrentes, ad aliorum deinde Scriptorum Chronologiam emendandam prosunt, quod idem duplici firmitate Numi Sacris Literis consentientes præstant. Anni, in Numis signati, initium

K su-

(s) Prolegomenorum Parte I. Capite II.

sumunt ab Autumno, uti alias monuimus, itemque in Libro II. Macchabæorum; at in Libro I. annus a Vere præcedente inchoatur. Media hujus Tabellæ Columna Regum nomina, verosque titulos exhibet, quorum Chronologica in Sacris Literis, Numisque fit mentio.

Annorum Notæ In Numis.	Regum Nomina, ac Tituli.	Annorum Numeri In Sacra Historia.
*112 . . . 117	Antiochus III. Magnus.	Hujus Antiochi, & Seleuci fit mentio (etsi sine anni nota) tanquam decessorum Antiochi IV. Lib. I. Macchab. Cap. VIII. & Lib. II. Cap. III.
136 *137	Seleucus IV. Philopator.	
144 *145 *147	Antiochus IV. Θεὸς, Epiphanes.	137. 143. 145. 147. varia ejus acta. Moritur 148. II. Macch. Cap. XI. Qui est Judæis an. jam 149. I. Macch. Cap. VI.
*153	Antiochus V. Eupator.	Adit regnum 148., seu Judaico 149. Necatur 150., seu Judaico 151. II. Macch. Cap. XIII. & I. Macch. Cap. VII.
154 158 159 *160 161 162	Demetrius I. Θεὸς. Philopator Soter.	Adit regnum 150., seu Judaico 151. I. Macchab. Cap. VII. Perit 162., ut colligitur ex I. Macchab. Cap. X.
162 163 164 *165 166	Alexander I. Theopator Evergetes.	Primum Ptolemaide Regulum agit 160. I. Macchab. Cap. X. Adit Syriæ Regnum 162. Ibidem. Necatur 166., seu Judaico 167. I. Macchab. Cap. XI.
167 168 *169 170 *171 *173 174	Demetrius II. Θεὸς, Philadelphus Nicator.	Adit proprie regnum Syriæ 167. I. Macchab. Cap. XI. Deinde varia ejus acta 169. 170. 172. Hoc anno in Mediam abit, deinde capitur; sed non dicitur eodem anno captus I. Macchab. Cap. XIV.
*168 . . *170	Antiochus VI. (vel VII.) Epiphanes Dionysus, Adolescentulus.	Regni partem adit post 167., uti colligitur ex I. Macchab. Cap. XI. Necatur 170. I. Macchab. Cap. XIII.
	Tryphon Autocrator, Tyrannus.	Loco Antiochi adolescentis regni partem usurpat 170. I. Macch. Cap. XIII.
*162 De hoc numero pluribus inferius agetur. 174 175 176 177 178 179 180 181 182 *183 *184	Antiochus VII. (vel VI.) Evergetes, vulgo Sidetes.	Capto Demetrio fratre regnum proprie adit 174. I. Macchab. Cap. XV. Necatur circa 186., uti colligitur ex II. Macchab. Cap. I.
(*180 *181. Hi Numi in captivi adhuc memoriam cusi.) *183 184 185 186 *187	Demetrius II. e captivitate redux.	Demetrius II. e captivitate redux, videtur regnum cum fratre Antiocho partitus esse, ut in Annalibus, & inferius hac parte Prolegomenorum dicetur. Sacra Macch. Historia nihil ultra Antiochi Evergetis necem commemorat.
184 185 187 Regnavit in parte una Syriæ, in altera Demetrius II.	Alexander II. vulgo Zebina.	

Annorum Notæ In Numis.	Regum Nomina, ac Tituli.	Annorum Numeri In Sacra Historia.
*174 *175 *184 *186	Cleopatra trium Regum Uxor, Mater Antiochi VIII., & Antiochi IX.	
187 188 189 190 191 192 193 194 193 197 *198 *199 *200 *205 *206 *212	Antiochus VIII. Epiphanes, vulgo Grypus, cum Cleopatra matre usque ad 191., deinde solus, in parte Syriæ posterioribus annis.	
*199 *200 *201 *203 *205	Antiochus IX. Philopator.	Antiocho VIII., & IX. inter se litigantibus, comparere incipiunt Urbium Syriæ Numi, sine Regis vultu, aut titulo; attamen annorum notis insignes, quarum aliquæ ad proprias Urbium epochas exigendæ sunt.
193 194 207 210 211 218 219 220 221 223 226 227 228 230 231 236 237 238 241 243 249	Urbium liberarum annis, ubi necesse erat, ad Æram Seleucidarum reductis etiam usi sumus.	

Ex hac Tabella (quantum inventi ad hæc tempora Numi consuadent) illud quisque facile observat: Numos Regum Seleucidarum, epochæ notis insignes, primum sub Antiocho III. Magno, ac postremo sub Antiochis VIII. & IX. comparere. Ejus rei probabilem rationem me dare posse existimo.

Regum Syriæ Numismata, quæ epochæ charactere insignia vidi, pene omnia vel in Phœnicia, Tyri potissimum, ac Sidone, signata esse observavi: vel pauca quædam Apameæ in Cœlesyria, aut Cyrrhi in Cyrrhestica regione percussa proferuntur. Ostendemus autem in Annalibus nostris, Phœniciam, ac Cœlesyriam usque ad Antiochi III. tempora Ptolemæis Ægypti Regibus fere obnoxias fuisse; porro subinde, Antiocho VIII. & IX. fraternas lites, ac civilia bella inchoantibus, Phœniciæ imprimis, ac Cœlesyriæ urbes aliam post aliam sese in libertatem vindicasse. Id pugnantes tum inter se Reges aut cogebantur dissimulare, aut ipsi ultro potentiores urbes privilegiis, ac immunitatibus ornabant, ut easdem suis partibus adjungerent. In aperto est itaque causa, cur ante Antiochi III., & post Antiochorum VIII., & IX. tempora Numos Regum epocha notatos non deprehendamus; quia urbes illæ, quibus epochas Numis inscribere solemne erat, istis duntaxat, & qui inter hos intercedebant, Regibus parebant. Potuit tamen etiam hic mos, Seleucidarum annos Numis insculpendi, primum sub Antiocho III. Magno introduci.

CAPUT III.

Plurima Seleucidarum Numiſmata conſignatarum in eis Epocharum ſubſidio diſcernuntur : alia aliter.

HOrum itaque Numiſmatum ope, quorum annos propoſita Tabella complectitur, & una Sacræ Hiſtoriæ ſubſidio jam certe diſcernere datum eſt Numos, & e Numis veros vultus, ac titulos ſeptem Antiochorum, nempe Antiochi III., IV., V., VI., VII., VIII., & IX., deinde Seleuci IV., & primorum duorum e Seleucidis Demetriorum; Demetrium enim Poliorceten hic non connumeramus. Duobus vero Demetriis diſcriminatis, tertius ultro ſeſe, ac inſigni præterea vultus, atque titulorum varietate diſtinguebat.

Ad reliquorum jam Antiochorum Numos veniamus. Antiocho X., quoniam ΕΥΣΕΒΟΥΣ. *Pii* titulus, & a Scriptoribus plerumque tribuitur, & idem in Ære veteri reperitur; res ea difficultate caret; etſi Chronico Numorum charactere deſtituamur. Antiochus XI. (quem conſtat Philippi fratrem gemellum, & ambos Antiochi VIII. *Epiphanis* filios fuiſſe) ſuis ſeſe titulis in Numis manifeſtat : nam ΕΠΙΦΑΝΗΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ. in monetis inſcriptus legitur, quibus ipſiſſimis titulis Philippi fratris Numi gaudent, quæ extra dubium ſunt. *Epiphanes* autem uterque ab Antiochi VIII. Patris titulo, *Philadelphus* a mutuo, quo ſe gemelli complectebantur, fraterno amore compellari volebant.

De Antiochi XII. Numis, quoniam erroris, dubiique aliquid apud Vaillantium ſubnatum eſt, ſeorſum ea de re inferius Capite V. hujus Partis agetur, atque una Antiocho XIII. ſua probabili ratiocinio Numiſmata tribuentur. Maxima nunc ergo difficultas eo redit, ut, expeditis reliquis, Antiocho I., & II., itemque quinque Seleucis ſua Numiſmata vindicentur. Quando Numi *Regis Antiochi* nomine inſcripti, neque titulum ullum, neque epocham præ ſe ferunt, atque alium ab cognitis jam Antiochis vultum repræſentant; ſunt illi utique in primos duos Antiochos diſpertiendi. Nonnulli hujus generis Numi Regis caput exhibent, ala ad aurem adpoſita; ii Antiocho I., Seleuci I. filio, adſcribuntur a Vaillantio propterea; quod Patris etiam caput alatum ſe deprehendiſſe putaret. At nonnulla hic per conjecturam, ut fere fit, Vaillantium peccaſſe, Numi ab Excellentiſſimo Fawkenero mecum comunicati, denique comonſtrarunt. Vidi Numum argenteum tetradrachmum, cujus accuratiſſimam iconem ad Annales dabo, inſcriptum ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ., qui diadematum Regis vultum exhibet talem fere, qualis Antiocho II. Θεῷ ab Haymio, & Vaillantio tribuebatur; cum antea nonniſi conjectura inter duorum Antiochorum, hoc nomine primorum, vultus diſcernere liceret. Ex hoc Numiſmate, quem alius æneus, eadem facie, & epigraphe pretioſus, confirmat, diſcimus : Antiocho I.

Sote-

Soteri restituendos esse Numos, quos Antiocho II. Deo Vaillantius, & Haymius adsignant, sed nasum paulo longiorem Soteri convenire, quam expressae in illis libris imagines repraesentent. Deinde ultro consequitur, Antiocho II. dandos esse Numos vultu macilento nonnihil & oblongo, qualem nos argenteum tetradrachmum elegantissimum, ac forte unicum possidemus cum typo Herculis sedentis, cujus iconismum accuratum proponemus, & cum quo vultu, sed adhuc tum aetatis minus provectae, satis congruit vultus, qualem Antiocho I. Soteri Haymius tribuit. Denique Numisma illud cum capite alato, ac diademato, in quo Antiochi I. Soteris vultum se legisse Vaillantius putabat, neutrius Antiochi Caput referre pro certo habeo. Vidi hoc Numisma elegantissimum apud Excell. Fawkenerum, & ejus iconem producam, meliorem ea, quae in Vaillantii Libro prostat; ea lineamenta cum neutrius Antiochi facie, etiam habita aetatis ratione, convenire possunt: Victoriae, aut Mercurii caput dicere mallem. Quod si Regis vultum dicere compellerer, Antiocho Hieraci, cujus vultum nondum e Numis noscimus, hunc adsignarem potius, quam Antiochorum alteri cuivis; sed haec incerta sunt.

Illa porro Numismata, quae sola ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. epigraphe, citra titulum, epocham, ac vultum Regis proferuntur, incerti fere sunt Regis, ac temporis; nisi aversae partis figura, aut fabricae, cum certi temporis Numis, insignis similitudo, aut symbolum quodpiam ejusmodi sit, ex quo singulare aliquid, & huic, illive Regi proprium illic repraesentari haud vana conjectura fiat. Quae hic de Antiochorum Numis, vultu Regis, epocha, titulove destitutis monuimus, eadem de Seleucorum ejuscemodi monetis dicta sunto.

Et sane Seleucorum quaedam Numismata haud minorem, quam Antiochorum modo discussa, difficultatem offerunt. Sex, uti diximus, erant Seleuci Reges: Quartum eorum ex epochae notis, Sextum ex adscriptis titulis ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ab aliis dignoscimus; is quippe *Epiphanes* a Patre Antiocho VIII. *Epiphane: Nicator* ab Avo Demetrio II. Philadelpho *Nicatore* dici voluit. Superant igitur sola *Regis Seleuci* epigraphe inscripti Numi, diversis, tamen vultibus insignes, qui ita dispescendi sunt, ut reliquis quatuor Seleucis, secundo, tertio, & quinto sui cuique obtingant.

Seleuco I. merito tribuitur Numus, qui caput Regis, ut habetur apud Haymium, cornutum, & alter qui galeatum fere simile exhibet. Cornuto capite non nisi primi post Alexandrum M. Reges, ejusque olim Satrapae, ac Duces in Numis effingi solebant, uti Antigonus, Lysimachus, Seleucus, Nicanor a quibusdam, ab aliis rectius Nicator dictus. Numos vero, qui caput pelle leonina tectum referunt, etiam cum ala, & cum *Regis Seleuci*

inſcriptione, etſi ad primum Seleucum omnino referam, Seleuci tamen non exhiberi caput, ſed Herculis, aut aliud, plane perſuaſum habeo, ob eam, quam paulo ante, & quam Capite I. hujus Partis expoſui, rationem.

Seleucus II. a Polybio (t) Πώγων, *Barbatus*, vulgi nempe dicterio, compellatus eſſe perhibetur. Solertiſſimus Haym (u) Numiſma detexit, *Regis Seleuci* nomine, & vultu Regis barbato, ac Pegaſo inſigne, quod huic Seleuco citra dubium adſcribendum cenſet. Vaillantium vero in ſuſpicionem adducit, quaſi is in ſua Seleucidarum Hiſtoria Numos quoſdam, qui imberbem Seleuci Regis vultum præ ſe ferunt, idcirco Seleuco II. tribuiſſet; ut Seriem Numiſmaticam Syriacorum Regum expleret.

Hic tamen ego Vaillantium erroris, aut vanitatis propterea inſimulare nolim, quod Numos vultu imberbi ſignatos ei Regi adſcriberet, cujus certi Numi barbatum vultum oſtenderent. Nam ut Romani commatis Numos prætereum, in quibus non modo M. Aurelii, Commodi, Caracallæ, ob diverſam ætatem, ſed etiam Macrini, intra Imperii biennium, alias barbata, imberbis alias facies deprehenditur; ſuppetunt domeſtica in Regum Syriæ Monetis exempla, quæ Vaillantii cauſam agant. Demetrii II., Antiochi IX., item X., & XIII., ipſo Haymio ſuffragante, producta ſunt Numiſmata, aliqua barbatum, imberbem alia vultum exhibentia. Quæ res cum in Demetrio II. ſit præcipue inſignis, id hic præterea congruit: Seleucum II. item, uti Demetrium II. a Parthis captum, & poſtliminio regno reſtitutum fuiſſe, ut in Annalibus comprobabitur. Quemadmodum ergo Demetrii II. reducis Numi quidam cum promiſſa barba, alii ſine ea vultum oſtendunt, ita de Seleuci Numis omnino pronunciandum videtur. Et ſane Seleuco II. adſignati a Vaillantio Numi, cum alio Cimelii noſtri æneo, vultum, ſi barbam demas, ei perſimilem referunt, quem expreſſa apud Haymium Numi imago repræſentat. Numo illi cum barbato vultu, & Pegaſo, quem Haymius protulit, ſimillimum, & pariter ex ære parvo poſſidet Excellentiſſimus Fawknerus.

Seleuci III. Numiſmata e lineamentis dignoſcimus, quæ ab aliorum Seleucorum vultibus abludunt; neque hic fere quidquam Seleucus V. obſiſtit, qui regnum anno non integro delibavit potius, quam obtinuit, Cleopatra Matre omnia conturbante. Hunc Seleucum V. quidam e Regum Syriæ Catalogo omnino excludunt: neque ejusdem Numus ullus a Vaillantio, vel Haymio adfertur. In Catalogo Muſei Theupòlitani Seleuco V. adjudicantur Numi, qui una ex parte epigraphen ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. exhibent: ex altera caput Cleopatræ referre creduntur. Operam dedi, & per literas edocear, utrum hiſce Numis certus Cleopatræ vultus extaret; ſed cum, neſcio quo caſu, nihil obtinuerim, rem in medio relinquo.

CAPUT

(t) Polybius Lib. 11. (u) Haym Teſoro Britannico: volume 1. Pag. XXXV.

CAPUT IV.

Quædam ex Antiochi Evergetis Numis enata dubia etiam Sacræ Historiæ ope expediuntur.

DIſpertitis in ſuas Claſſes Regum Syriæ Numis præcipuas quasdam controverſias ſeorſum diſcutere libuit, quæ Numos una, & Sacros Macchabæorum Libros involverent. Sæpius laudatus Haymius in ſuo Theſauro Britannico Numum produxit, una ex parte juvenili Regis vultu, ex altera hac epigraphe inſignem: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΒΞΡ. *Regis Antiochi Anno* CLXII. expreſſa etiam eſt Anchora gentilitium Seleucidarum ſignum. Hunc Numum non poſſe ad alium Antiochum, quam Demetrii I. Filium, ac Demetrii II. Fratrem natu minorem referri, anni nota, Regis vultus, & anchoræ ſymbolum manifeſto conficiunt.

Cenſet igitur Haymius, occiſo ſub Autumnum anni Seleucidarum CLXII. Demetrio I., Demetrium & Antiochum filiolos, a Patre quidem ante pugnam contra Alexandrum initam, in Gnidum dimiſſos, ab una tamen alterave fideli urbe, ut Regni hæredes, etſi per breve tempus agnitos, eorumque honoribus Numos aliquos eodem Autumno ſignatos fuiſſe, quos inter rariſſimus iſte recenſetur. Porro cum annus iſte CLXII. Sexennio antecedat initium Regni Antiochi Epiphanis Dionyſi, Filii Alexandri I. ſub Tutore Tryphone imperantis; Haymius, Numos ſecutus, Antiochum hunc Alexandri I. Filium, VII.mum ejus Nominis, Antiochum vero Evergetem (quem vulgo Hiſtorici Sidetem, vel Sedetem appellant) Demetrii I. filium, VI.tum Antiochorum conſtituit: qua in re a Vaillantii, & Hiſtoricorum communi ſententia diſceſſit.

At enim, hic injiciet aliquis, Numiſma iſtud, Antiochum Evergetem, Demetrii I. Filium, jam anno CLXII. Regem promulgans, cum Sacra Macchabæorum Hiſtoria non videtur conſentire, quæ diſerte doceat: (x) Antiochum hunc Evergetem anno demum CLXXIV. capto jam fratre Demetrio II. ad Regnum Syriæ perveniſſe, quod ipſe Demetrius primum anno CLXVII. adiiſſet. (y)

Sed integra ſibi hic etiam conſtat Numorum cum Sacris Literis conſenſio. Sacra Macchabæorum Hiſtoria, tum aliquem Regem Aſiæ, & Syriæ appellare, regnumque adiiſſe, agnoſcere ſolet, cum is aut in totius Regni, aut magnæ omnino partis publicam, & aliquanto tempore firmam poſſeſſionem veniſſet. Manifeſtum ejus rei exemplum habemus in ipſo Demetrio II. hujus Antiochi fratre; is jam anno CLXV. in terram Patrum ſuorum rediiſſe, & bella pro regno contra Alexandrum geſſiſſe ſcribitur: (z) neque tamen *regnaſſe* perhibetur, (a) niſi demum anno CLXVII., quo, victo Alexandro I., & mortuo Ptolemæo Philometore, totius fere Imperii potitus eſt. Ita

 ſane

(x) Lib. I. Macchab. Cap. XV. Verſu X.
(y) Lib. I. Macchab. Cap. XI. Verſu XIX.
(z) Lib. I. Macchab. Cap. X. Verſu LXVII.
(a) Lib. I. Macchab. Cap. XI. Verſu XIX.

ſane potiori ratione Demetrius II., & Antiochus Evergetes, occiſo Patre, in Gnido peregre degentes, & Alexandro I. Victore Syriam occupante, hi duo regni heredes nondum *regnaſſe* in Sacris Literis notantur, etſi eorum honoribus unus alterve Numus ab aliqua fideli urbe cum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. titulo ſignatus eſſet.

Contra vero præclara ſeſe hic effert potius Numorum cum Sacris Documentis concordia. Nam eodem plane anno, quo Demetrium II. *Regnaſſe*, hoc eſt, regnare cœpiſſe, & quo Antiochum ejus fratrem jam Regem agnitum in Syriam veniſſe, Sacer Scriptor commemorat, eodem inquam anno prima Demetrii II., & Antiochi Evergetis Numiſmata comparent, continua fere reliquorum regni annorum ſerie in utriusque Numis conſpicua; dum Numus ille unicus anno CLXII. extra ordinem ſignatus, & cujus rationem ex Hiſtoria eorum temporum facile reddimus, nullis proxime ſequentium annorum notis continuantur: uti hæc omnia in Tabella Capite II. hujus Partis propoſita, contueri licet.

Aliud ſimile exemplum Sacra Hiſtoria ſufficit, cum Numis facili negotio conciliandum. Alexandri I. prima Numiſmata habentur ſub Autumnum anni CLXII. ſignata. De hoc Rege ita Sacer Codex : (b) *Et Anno centeſimo ſexageſimo aſcendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus eſt Nobilis, & occupavit Ptolemaidem, & regnavit illic.* En quam accurate Alexander nondum in *Aſiæ, ſive Syriæ Imperio*, ſed tantum circa Ptolemaidem *Illic* regnaſſe ſcribatur. Ipſum enim Syriæ Imperium non niſi victo Demetrio I. anno CLXII. Alexandrum adiiſſe, ex Hiſtoriæ Sacræ tota narratione (c) manifeſtum eſt, quo nempe ipſo anno primi ejusdem Numi ſignati producuntur.

Antiochi (VI. ſeu VII.) Evergetis, vulgo Sidetis, uti initia, ita finis regni, vitæque e Numis dubii aliquid ſecumfert. Eſt in Cimeliarchio Cæſareo-Regio Vindobonenſi Numiſma argenteum primi moduli, quod una ex parte caput diadematum Antiochi Evergetis, ex altera aquilam refert, cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ ΙΕΡ. ΑΣΥ. & epocha diſtincte expreſſa ΓΠΡ. anno CLXXXIII. Eſt item in Cimelio noſtro Numiſma argenteum mediocris moduli, quod una ex parte Antiochi Evergetis vultum, ex altera hanc inſcriptionem exhibet: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤιοχου. ΤΥΡ. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΔΠΡ. *Regis Antiochi: Tyri Sacræ Aſylo gaudentis: Anno CLXXXIV.* Hoc, & proxime præcedente anno Antiochorum alius Syriæ Rex non fuit, neque certis faciei bene expreſſæ lineamentis alius hoc in Numo repræſentatur, quam Antiochus Evergetes. Igitur ſaltem in Autumno anni Græcorum ineuntis CLXXXIV. etiam vixit, & a Tyriis Regio titulo honoratus eſt hic Antiochus.

At

(b) Lib. 1. Macchab. Cap. x. Verſu 1. (c) Lib. 1. Macchab. Cap. xi. Verſu xlix. usque liv.

At enim Antiochum hunc Evergetem conſtat ſub initium anni CLXXIV. Regnum Syriæ proprie obtinuiſſe: eique novem tantum, &, ut reor, nec expletos, Imperii annos tribuunt Euſebius & Porphyrius: atque veteres Hiſtorici quoque plerique omnes Antiochum hunc eodem, aut proximo anno (occaſione infelicis prælii) interiiſſe ſcribunt, quo Demetrius II. ab Arſace Parthiæ Rege ex captivitate dimiſſus eſt; quæ omnia in annum Ære Seleucidarum CLXXXII. conſpirare videntur. Quo igitur pacto Numus Cæſareo-Regius annum CLXXXIII., & noſter annum CLXXXIV. cum hoc Antiocho referre poſſunt? Hic rurſum ad ſacram Anchoram, Macchabæorum nempe Libros, confugiendum erat.

Libro II. Macchabæorum Capite I. Epiſtola recitatur, a Judæis Palæſtinæ incolis ad Judæos in Ægypto agentes exarata, cui mox ſubnectitur altera, ſcripta anno centeſimo octogeſimo octavo Æræ Seleucidarum. Annum enim hic notatum ad alteram hanc Epiſtolam, non ad priorem referunt, interpunctione arbitra, Codices Græci, ad Biblia Polyglotta Complutenſia, Antverpienſia, & Londinenſia adhibiti, item Codex Syriacus; Latina porro exemplaria omnia, Tirino teſte, in commentario in hunc locum. In hac poſteriore Epiſtola narratur: Antiochum Regem, Judæorum perſecutorem, qui vel eductis e Perſide copiis, * vel expeditione in Perſiam ſuſcepta, ipſos afflixiſſet, in templo Naneæ apud Perſas a Sacerdotibus interemptum fuiſſe, cum deprædari illud templum, affectata cum Deæ ſimulacro deſponſatione, tentaſſet.

Hæc narratio Antiochorum alteri, atque Evergeti noſtro, convenire nulla ratione poteſt. Antiochus III. Judæorum non perſecutor erat, ſed fautor, & nimium remotum eſt ejus mortis tempus. Antiochus IV. (uti & V.) alio longe mortis genere ſublatus eſſe perhibetur Libro utroque Macchabææ Hiſtoriæ. (d) Antiochus Adoleſcens, Alexandri I. filius, Tryphonis aſtu per Medicos occiſus eſt, teſte ſacra, & profana Hiſtoria, ut in Annalibus comprobabitur. Antiochus VIII. annos XXVIII. regnum tenuit, quod anno CLXXXVIII, nec antea, Numis teſtibus, quod Annales oſtendent, adivit. Reliquus eſt igitur ſolus Antiochus Evergetes: de cujus, quippe olim perſecutoris ſui, obitu cum læti Judæi fratres ſuos tanquam de recenti caſu certiores reddant, conſequens eſt: Antiochum in Perſia circa annum CLXXXVI. interemptum eſſe. Recte igitur Numus Cæſareo-Regius annum CLXXXIII., & noſter annum CLXXXIV. ad Antiochi Evergetæ vultum adſignatum referunt.

Hiſtoricorum veterum de morte hujus Antiochi tanta eſt diſſenſio, ut ea ipſa argumento ſit, eos a veritate devios in alia omnia abiiſſe. Antiochum itaque in prælio occiſum eſſe Julius Obſequens, (e) Ju-

M

* Conferri poteſt Græcus Codex cum Latino vulgatæ lectionis.
(d) Lib. I. Macchab. Cap. VI. Verſu XVI. & Lib. II. Cap. IX.

(e) Justinus, (f) & Josephus (g) tradunt: Appianus (i) narrat eum sibi ipsi violentas manus intulisse: Ælianus (l) ex alto sese præcipitem dedisse perhibet: Eusebius (m) ab Arsace interfectum prodidit. Athenæus ex Posidonio refert: Antiochum interfectum, sepulturæ ab Arsace mandatum fuisse; non tamen addit, a quo, aut qua ratione occisus sit: nisi quod per temulentiam etiam periisse videatur. (mm)

Tanta Historicorum discordia ex eo nata videtur, quod Demetrius II., Antiochi frater, propudiosam hujus necem omni modo celare studuisset; atque adeo varii de Antiochi in Oriente obitu rumusculi spargerentur, quorum alii ab aliis Historicis collecti sunt.

Libet hanc sententiam vel errore aliquo comprobare, sed ex quo veritas non obscure eluceat. In Libello Βασιλέων Δυναστεῖαι apud Scaligerum in Thesauro Temporum, ubi Syriæ Reges recensentur, post Antiochum Sidetem, seu Evergetem ponitur Demetrius II. redux e captivitate, deinde Alexander II.; ac tum ante Antiochum Grypum, seu Epiphanem inseritur: Αντιόχος ὁ Σωτηρ, οὗτος ἐν Πάρθοις ἀπέθανεν. *Antiochus Soter: iste apud Parthos mortuus est.* Antiochum Syriæ Regem, inter Sidetem & Grypum, novum fingere non licet; porro Antiochum Sidetem *Soterem* etiam cognomine dictum fuisse, Josephus memorat, quem hic libellus sequitur, dum eundem Sidetem cum Josepho Eusebem quoque appellavit. Deinde Antiochi Sidetis mortem nullo verbo hic libellus indicat; ac denique Antiochum Sidetem, seu Evergetem apud Parthos, seu Persas (quæ duo vocabula nonnunquam confunduntur) obiisse, ex Libro II. Macchab. Cap. I. deducitur. Cum verro libelli hujus Collector alicubi legisset Antiochum post Alexandri II. initia apud Parthos, seu Persas decessisse: plerique vero Scriptores Antiochum Sidetem antea mortuum fuisse perhiberent; novum sibi aliquem Antiochum Soterem, a Sidete diversum, statuendum esse putavit, qua in re erravit ita, ut aliqua nobis veritatis vestigia relinqueret.

CAPUT V.

Aliæ de Numis difficultates, & controversiæ excutiuntur.

Antiochi Evergetis Numismatis jungimus Demetrii II. fratris monetas, in quibus anni CLXXIII., & CLXXIV. apud Harduinum, (n) & Vaillantium (o) leguntur. At enim Sacræ Literæ tradunt Demetrium istum anno CLXXII. Parthicam expeditionem suscepisse; atque in eadem continua, brevique narratione sacer Historicus (p) commemorat: captum esse Demetrium. Egregie

(e) Libello de Prodigiis. (f) Lib. XXXVIII. Cap. X. (g) Lib. XIII. antiquit. Cap. VIII. (i) In Syriacis. (l) Lib. de animalibus Cap. XXXIV. (m) In Chronico prior., & in Canone Chronico. (mm) Athenæus Lib. X. ex Posidonii Lib. XVI. *Item*, Athenæus Lib. XII. ex Posidonii Lib. XIV. (n) In Chronologia Veteris Testamenti. (o) Vaillant. Historia Regum Syriæ. (p) Lib. I. Macchab. Cap. XIV. initio.

gie quidem hunc nodum solvit Vaillantius, dum observat: annum CLXXII. in Macchabaea Historia adnotatum, ad initium ejus belli referri, non item ad gesti, finitique omne tempus exporrigi. Sed neque hac interpretatione, etsi minime improbanda, uti necesse est; cum dici possit: eos Numos a fideli tum etiam populo, aut Cleopatrae jussu quosdam, aut etiam Antiochi fratris imperio ita signatos esse, ne capti, charique fratris immemor videretur. Ita sane sentiendum consuadent Numi ejusdem Demetrii II., annis CLXXX., & CLXXXI., & quidam forte CLXXXII. signati, quibus annis captivus etiam detinebatur Demetrius, ut in Annalibus stabiliemus.

His porro extremis duobus ante libertatem Demetrio restitutam annis rursus, captivi licet adhuc Demetrii nomine, procudendos Numos curavit Antiochus; quod facto hisce annis ingenti bellico apparatu jam quasi certam spem liberandi talis fratris sibi polliceretur, qui primus e Seleucidis *Philadelphi*, id est, *fratrem amantis* titulo compellari voluisset, quod Numismata nos docent.

Aliorum jam etiam Antiochorum Numismata dispiciamus. Vaillantius in discernendis duorum Antiochorum Numis aliquid peccavit; sed primus etiam ipse fuit, qui errorem deprehensum palam retractaret, atque emendaret, praeclaro candoris, & eruditae sedulitatis exemplo. Vaillantius itaque in Historia Regum Syriae Numos inscriptos: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. qui frequentes sunt, Antiocho duodecimo tribuerat. Flavius Josephus in fraudem induxit virum eruditum; nam Antiochum XII. Josephus (q) *Dionysium* cognominatum esse perhibet. Sed miror Josepho ita facile fidem habitam, qui aliis quoque Regibus Syriae titulos affingit, de quibus nihil copiosa Numismata prodidere.

Hic error Vaillantii alterum traxit: ut Antiocho Adolescentulo, (vulgo Sexto) Alexandri I. filio Numum adscriberet, in quo legitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Verum utrumque hunc errorem inspecto subinde unico Numo ponendum docuit alibi (r) Vaillantius, in quo legebat: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. cum epocha ΗΞΡ. *anno* CLXVIII. ex quo certum fit, hosce Numos ad Antiochum (VI. vel VII.) Alexandri I. filium referri oportere. Confirmat id similis Numus apud Begerum (s) cum epocha ΟΡ. *anno* CLXX., qui fuit hujus Antiochi Adolescentis vitae postremus; eandem anni notam cum Dioscurorum icone Numisma Excell. D. Fawkeneri exhibet. Mutuo item sese comprobant Numi Tryphonis, & Antiochi, Dionysi, qui a Tryphone regno datus, & ereptus est; nam in solis horum duorum Numis galeae typus, adposito cornu deprehenditur, estque fabricae species omnino similis.

(q) Josephus Lib. XIII. antiq. Cap. XV. initio. (r) Ptolemaeorum Aegypti Regum Historia Pag. C.
(s) Thesaurus Brandeburg. Tomo I. Pag. CCLIX.

Vindicata sic sunt equidem Antiocho Adolescentulo (seu VI., seu VII.) sua Numismata, *Epiphanis*, *Dionysi*, titulis conspicua, ipsoque tenello, quem exhibent, vultu (quidquid isthic obmoveat Spanhemius, Numos forte non integros nactus) cujus sint, de se testantur; utrum vero mutatis, ut ajunt, clypeis Numus ille Antiochi cum titulis ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. ad Antiochum XII. transferendus sit, pronunciare olim vix audebam. Monuit enim Haymius hunc ipsum singularem Numum a Domino Masson erudito Anglo in Cimeliarchio Florentino inspectum esse, qui deprehendit: epigraphen non ita eadem serie (uti habet Numi typus apud Vaillantium) in ipso Numo comparere, sed τὸ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. sub effigie Jovis, *victoriam ferentis* (Νικηφόρȣ) seorsum insculptam legi. Suspicari igitur pronum erat: ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. titulum, Jovis Idolo potius, quam Regi Antiocho deberi: atque adeo Numum istum ob titulos ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Antiocho IV. vel VIII. restitui oportere, nisi vultus lineamenta reclament.

Mihi tamen vero similius videbatur τὸ ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ. Regis potius, quam Jovis hic esse titulum. Nam cum hac Jovis Antiocheni, victoriam gestantis, effigie nihil fere frequentius in Syriæ Regum Numis sese offerat; nusquam tamen Jovi titulus iste adscribitur. Deinde in Antiochi V. Eupatoris Numismate, apud Vaillantium, etiam τὸ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. seorsum a Regis Nomine, & sub Jovis sedentis imagine insculptum habetur; certissimum tamen est, vel ex ipsa sacra Historia, eum titulum Regi illi Antiocho, non Jovi competere. Denique Vaillantium, in dignoscendis Numis longe versatissimum, Antiochi IV. vultum non dignovisse, quem ex tot aliis Numis probe perspectum haberet, mihi vix fiebat credibile. Ista conjecturis cum assequerer; ecce forte fortuna nactus sum accuratissimam imaginem Numismatis hujus rarissimi, in quo ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. legitur: eum Numum possidet excellentissimus Fawkenerus, qui hanc, quam sisto imaginem mihi pro exquisita humanitate sua præbuit, ex qua certi simus: vultum hujus Antiochi haud quaquam ita teneram ætatem præ se ferre, ut Vaillantii icon refert, & Antiocho IV., vel VIII. nec crispum hoc caput, neque faciem convenire.

Porro autem etsi jam certa ratione Numisma hoc Antiochi, *Nicephori* titulo insigne, Antiocho IV., & VIII. abjudicemus; lis tamen aliqua inter Antiochi XII., & XIII. Numos decidenda superat. E Vaillantii, Haymiique sententia Antiocho XIII. (qui vulgo Asiaticus, & Commagenus dici solet) illi Numi tribuendi sunt, qui titulos ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. Regis Antiochi nomini adjunctos exhibent. Subinde Haymio obvenit Numus Antiochi istius, in quo, præter jam recensitos, etiam ΔΙΟΝΥΣΟΥ. titulus legebatur. Quoniam vero, uti paulo ante diximus, Flavius

Jo-

Josephus Antiochum XII., Grypi filium, *Dionysium* compellatum fuisse perhibet; ambigere quis posset: an non Numi illi Antiochi *Epiphanis*, *Philopatoris*, *Callinici*, quibus *Dionysii* titulus nonnunquam jungeretur, Antiocho XII. potius essent adscribendi?

Sola Josephi auctoritas haud maximi apud me momenti est, præcipue in cognominibus Regum Syriæ, in quibus, ut supra monui, Josephus a Numis antiquis non raro refellitur. Præterea Numisma Antiochi Dionysi, Epiphanis, Philopatoris, Callinici Haymius protulit vultu barbato. Barbam porro eos potissimum Syriæ Reges in Numis promissam ostentare, qui aliquo tempore exules, aut regno pulsi, capti fuissent, Capite tertio hujus partis adnotavimus; Antiochum vero XIII. longo tempore paterno regno privatum, exulemque vixisse, in Annalibus ostedemus; regno denique recuperato magnificos illos titulos sibi adscripsisse videtur Antiochus, seque *Dionysum Callinicum*, ob victorias: *Epiphanem.*, ob avitam, & restitutam in thronum Seleucidarum Nobilitatem: *Philopatorem* a simili Patris & Avi sui Antiochi IX. ac X. titulo, compellari voluit. Omnibus itaque inter se compensatis Numos Antiochi Dionysi, Epiphanis, Philopatoris, Callinici, Antiocho XIII. confirmandos existimo, tametsi id quoque timide, nec sine spe, ubi plures Numi prolati fuerint, rem felicius definiendi. De Numismate Antiochi, cum *Nicephori* titulo sic statuo: id cum Vaillantio sese corrigente, Antiocho XII. adscribendum esse, cui etiam Doctissimus Masson non abjudicavit.

CAPUT VI.

Regum Syriæ Catalogi duo exhibentur.

DIsquisitis jam, & in ordinem redactis, quantum licuit, Regum Syriæ Numis, potuit eorundem Regum Chronologica Series, ac titulorum notitia, ex Historicis Veteribus primum affecta, horum instrumentorum ope perfici, & adsignatis veris Regum cognominibus, atque emendatis initi, finitique regni annis, multis in locis illustrari. Ut itaque disquisitionum nostrarum fructum aliquem, atque Annalium compendiarium quoddam specimen hic exhiberemus, duos Regum Syriæ Catalogos deinceps proferimus: alterum e communi fere Historicorum, & Chronologorum sententia, qui ante Vaillantium scripsere: alterum nostrum. Priorem ex P. Riccioli Chronologia reformata desumere placuit, qui a Seleuco I. inchoatur.

REGES SYRO-MACEDONES, SEU SELEUCIDÆ IN SYRIA.

	Init Anno ante Christum	*Regnat Annos.*
SELEUCUS NICANOR. - - - - - - -	312	32
ANTIOCHUS SOTER, Seleuci Filius. - - - -	281	19
ANTIOCHUS II. Θεὸς, filius Soteris. - - -	262	15
SELEUCUS II. CALLINICUS, Antiochi Θεȣ̃ filius. - -	247	20
SELEUCUS III. CERAUNUS, Callinici filius. - -	227	3
ANTIOCHUS III. MAGNUS, Cerauni Filius. - - -	224	36

	Init Anno ante Christum	Regnat Annos.
SELEUCUS IV. PHILOPATOR, Antiochi Magni filius. -	188	12
ANTIOCHUS IV. EPIPHANES, id eſt, Illuſtris, Antiochi Magni filius.	176	11
ANTIOCHUS V. EUPATOR, Epiphanis filius. - -	164	2
DEMETRIUS SOTER, Seleuci Philopatoris filius. - -	162	11
ALEXANDER BALA, inſititius. - - - - -	151	5
DEMETRIUS II. NICANOR, Demetrii Soteris filius. - -	146	5
TRYPHON DIODOTUS, Tyrannus. - - - -	141	2
ANTIOCHUS VI. SIDETES, Demetrii Soteris filius. - -	139	9
DEMETRIUS II. iterum. - - - - - -	129	4
SELEUCUS V. - - - - - - -	125	1
ANTIOCHUS VII. (reipſa VIII.) GRYPUS, Demetrii II. filius.	124	12
ANTIOCHUS VIII. CYZICENUS, Antiochi Sidetis filius. -	113	18
SELEUCUS VI. Grypi filius. - - - - -	96	1
ANTIOCHUS IX. EUSEBES, Antiochi Cyziceni filius. -	95	1
PHILIPPUS, Antiochi Grypi filius. - - - -	94	omnes tres ſimul añis.
DEMETRIUS III. Grypi filius. - - - -		
TIGRANES, a Syris electus. - - - -		
ANTIOCHUS XI. aliis XII. Aſiaticus, Euſebis Pii filius. - -	68	19

*Catalogus ſequens, a nobis confectus, omnes Syriæ Reges, ac Tyrannos exhibet, etiam qui Seleucidæ non erant, quos tamen * Aſteriſco diſtinximus. Adſcripti ſunt anni Æræ Seleucidarum Juliani, in quorum Autumno nempe incipit ejuſdem numeri annus ſecundum Syromacedones, in Vere autem annus ejuſdem numeri ſecundum Judæos.*

REGES SYRIÆ, & ASIÆ
POST ALEXANDRUM MAGNUM.

	Initium Regni ante Æram Seleucidarum Anno	Finis Regni ante Æram Seleucidarum Anno
* PHILIPPUS (ARIDÆUS, ſeu ARRHIDÆUS) Philippi II. Regis Macedoniæ e Philinna filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ.	12	5
* ANTIGONUS Ptolemæo Soteri partem Syriæ eripit.	3	
Sed cum Regis titulo Aſiæ, & Syriæ,	ab Æra Seleucidarum Anno	ab Æra Seleucidarum Anno
* Collega DEMETRIO Poliorcete filio, dominari incipit. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ., & ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ.	7	12
SELEUCUS I. Nicanor, vulgo: rectius NICATOR cum Strabone, Porphyrio, &c. Antiochi Clari Ducis filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.	Babilonicum Regnum adit 1 Syriæ, & Aſiæ. 12	32
ANTIOCHUS I. SOTER dictus ab Appiano, Euſebio, Porphyrio, S. Hieronymo, &c. Seleuci Nicatoris filius, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. & ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ.	vivo patre in Oriente Rex 20	51
Ptolemæo filio ſuo, ante Patrem mortuo, regni partem in oriente ceſſiſſe videtur: tempus ejus rei incertum.	ſolus 32	
ANTIOCHUS II. Θεός, DEUS dictus a Mileſiis apud Appianum, & a Græcis apud Joſephum; Item apud Euſebium, Porphyrium, S. Hieronymum. Antiochi Soteris filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ.	51 vel 52	66
SELEUCUS II. CALLINICUS, apud Juſtinum, Euſebium, Strabonem, S. Hieronymum, apud Polybium etiam Πώγων Barbatus, dicterio vulgi. Antiochi Θεȣ̃ filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.	66 octo annos circiter captivus fuit apud Parthos: redit paulo ante mortem	86 vel 87 vincitur
ANTIOCHUS HIERAX, *ſeu* ACCIPITER *vulgo dictus, frater Seleuci Callinici, triennio Regno Syriæ inhiat, aliqua cum poteſtate Regem ſe fert.*	70	72
* PTOLEMÆUS EVERGETES, Ægypti Rex, Syriam obtinet. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΡΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.	67 Extruſo Seleuco II.	
In Libello Βασιλέων Δυναστεῖαι: poſt Græca Euſebii apud Scaligerum, inter Seleucum II., & Antiochum Magnum interponitur Alexander, loco Seleuci III., velut Quintus a Seleuco Nicatore Syriæ Rex. Sed error eſſe videtur, uti in Euſebii Chronico priore, ubi Seleucus Callinicus etiam Antiochus, & Seleucus III. Alexander compellatur.		69 Reſtituitur Seleucus II.

	Initium Regni	Finis Regni.
SELEUCUS III. Ceraunus apud Eusebium, Porphyrium, & S. Hieronymum. Seleuci Callinici filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.	87	89
ANTIOCHUS III. Magnus appellatus in sacra Scriptura & vulgo: a Polybio quoque. Seleuci Callinici filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Et alibi ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ.	89 vel 90	126
* ACHÆUS Tyrannus, Agnatus Antiochi III. in Asia sibi regnum format contra Antiochum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΧΑΙΟΥ.	93	98
SELEUCUS IV. Philopator, apud Eusebium, Porphyrium, & S. Hieronymum: apud Josephum Soter: Antiochi Magni filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.	126	137
ANTIOCHUS IV. Deus, Epiphanes, id est, Nobilis, vel Illustris, vel Præsens, sive Conspicuus; ita apud Josephum a Samaritanis compellatus: Epiphanes tantum in S. Scriptura, & apud Diodorum Siculum, Appianum, & ipsum Josephum &c. apud Athenæum Epimanes, seu Insanus, dicterio vulgi. Antiochi Magni filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.	137	149
ANTIOCHUS V. Eupator, ita S. Scriptura, Appianus, Josephus, Eusebius, Porphyrius, Antiochi IV. filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ.	149	151
DEMETRIUS I. Deus, Philopator, Soter. Apud Appianum, Eusebium, & Porphyrium Soter tantum. Seleuci IV. filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ.	151	162
ALEXANDER I. Theopator, Evergetes. Apud Eusebium Bala vocatur: aliis vulgo Balas, aut Veles, Balles. Antiochi IV. filius, teste S. Scriptura; a profanis Historicis pro spurio, aut supposititio habetur. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.	Ptolemaide 160 In tota Syria 162	167
* PTOLEMÆUS Philometor Ægypti Rex, Syriæ, & Asiæ Rex proclamatur, paulo post moritur. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ.	167	167
DEMETRIUS II. Deus, Philadelphus, Nicator. Apud Appianum Nicator tantum, Soter & Nicanor apud Eusebium. Demetrii Soteris filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ.	Delibat titulum Regis 162 Regnat 167	Capitur a Parthis 172 vel 174
ANTIOCHUS VI. (vel VII.) Epiphanes Dionysus. In sacra Scriptura Νεώτερος Junior, vel Adolescens, propter ætatem: a Josepho Θεὸς appellatur. Alexandri I. filius, regnat Tryphone Moderatore, a quo sublatus est. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ.	168 in parte Syriæ	170
* TRYPHON Autocrator, seu Imperator, Tyrannus, antea Diodotus dictus apud Strabonem, & Appianum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ.	170 in parte Syriæ	175
ANTIOCHUS VII. (vel VI.) Evergetes. Apud Trogum, Eusebium, Porphyrium, &c. Sidetes vel Sedetes & Soter compellatur, apud Josephum Eusebes & Soter. Demetrii Soteris filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.	Delibat titulum Regis 162 Regnat fratre capto 174	circiter 186
DEMETRIUS II. e captivitate Parthica redux, Siderites a Syncello dictus, & apud Eusebium. Collega fratre Antiocho Evergete.	183	187
* ALEXANDER II. vulgo appellatur Zebina, apud Porphyrium Zabinas, Ζαβινᾶς, obtrusus pro Antiochi IV., vel Alexandri I. filio. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.	185 In parte Syriæ	191

	Initium Regni.	Finis Regni.
ANTIOCHUS, Soter *Cognomine, hic ponitur a Libello Βασιλέων Δυναστεῖαι. Sed Antiochus Evergetes is est, quem apud Parthos, seu Persas mortuum esse hic Libellus notat.*		
SELEUCUS V. Demetrii II. e Cleopatra Ægyptia filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.	187 in parte Syriæ.	187 vel 188
ANTIOCHUS VIII. Epiphanes, vulgo Grypus, ob nasum aduncum: apud Josephum, & Porphyrium Aspendius, & Philometor. Demetrii II. filius e Cleopatra, cum qua, vel sub qua initio regnavit. Biennio exulavit. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΘΕΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Item, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.	Cum Matre. 188 Solus. 191 post exilium. 202 in parte Syriæ cum fratre.	exul fuit. 200 necatur. 216
ANTIOCHUS IX. Philopator. Apud Justinum, Josephum, Eusebium, Porphyrium, & vulgo Cyzicenus, Antiochi Evergetis ex Cleopatra Ægyptia filius, Antiochi VIII. frater uterinus. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.	199 in parte Syriæ, ut reliqui Reges.	218
SELEUCUS VI. Epiphanes Nicator. Antiochi VIII. filius. Hic, & sequentes Reges Seleucidæ de Imperii fragmentis inter se bellabant. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ.	216	219
ANTIOCHUS X. Eusebes Philopator. Apud Appianum, & Josephum Eusebes, seu Pius tantum. Antiochi IX. filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.	218 Redit. 223	221 Fugit ad Parthos. 229 Pellitur a Tigrane
ANTIOCHUS XI. Epiphanes Philadelphus, Antiochi VIII. filius, vulgo Didymus, seu Gemellus, nempe Philippi, qui sequitur. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ.	220	220
PHILIPPUS Epiphanes Philadelphus, Antiochi VIII. filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ.	220	229 Pellitur a Tigrane.
DEMETRIUS III. Philometor Evergetes Callinicus. Apud Appianum & Josephum Eucærus. Antiochi VIII. filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ.	221	225
ANTIOCHUS XII. (Deus, Epiphanes, Nicephorus) Apud Josephum Dionysius. Antiochi VIII. filius. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ.	226	228
* TIGRANES Regum Rex in Armenia, a Syris ultro accersitus. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ.	229	247 Cedit Syria.
* ARETAS Philellen, seu Græcorum amicus, Arabiæ Regulus, Damasco accepta in vicinia regnat. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΤΟΥ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ.	229	
ANTIOCHUS XIII. Dionysus Epiphanes Philopator Callinicus. Apud Historicos vulgo Asiaticus & Commagenus. Antiochi X. filius ex Cleopatra Selene. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ.	244	249 Syriam perdit.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. {ΣΕΛΕΝΗΣ. / ΣΗΛΗΝΗΣ.} Reginæ Selenes Matris hujus Antiochi XIII. atque adeo uxoris Antiochi X. Pii; antea fuerat uxor Ptolemæi Lathuri fratris sui, Ægyptii Regis, & Antiochi VIII. & (si Appiano credimus) etiam Antiochi IX. Patris Antiochi X.

Seleucidarum Genealogiam seorsim damus ad finem Annalium.

PARS

PARS QUARTA.

Chronologo-Hiſtoricorum Controverſiæ quædam in examen vocantur.

CAPUT I.

R. P. Harduini Syſtema Seriei Regum Syriæ compendio exponitur.



Ropoſita a nobis Regum Syriæ Chronologica Series firmanda porro eſt adverſus objectiones quasdam, quibus nonnulli noſtri temporis Chronologi, Numorum veterum, & Hiſtoricorum teſtimoniis freti, ſtatutum a nobis, aliisque Regum ipſorum, temporumque ordinem intervertere poſſe videntur. Primo hos inter adducendus eſt loco R. P. Joannes Harduinus S. J., qui in Chronologia Veteris Teſtamenti Syriæ Reges in alium longe, atque nos fecimus, ordinem digeſſit. En illum! Hiſtoricis antiquis omnibus adverſantem.

SERIES REGUM SYRIÆ SELEUCIDARUM
EX MENTE R. P. HARDUINI.

SELEUCUS NICATOR, regnavit annis LIV.
ANTIOCHUS I. Seleuci filius.
PTOLEMÆUS Antiochi filius.
SELEUCUS II. Antiochi filius.
ANTIOCHUS II. Magnus Seleuci II. filius.
SELEUCUS III. Epiphanes Nicator, cum Laodice Matre, Antiochi M. filius.
ANTIOCHUS III. Θεὸς Epiphanes, Antiochi Magni filius.
ANTIOCHUS IV. EUPATOR, Antiochi III. filius.
DEMETRIUS I. SOTER, Seleuci III. filius.
ALEXANDER I. THEOPATOR EVERGETES, Antiochi III. filius.
DEMETRIUS II. Demetrii I. filius
ANTIOCHUS V. DIONYSUS, Alexandri I. filius.
TRYPHON Ἀυτοκράτωρ.
ANTIOCHUS VI. EVERGETES, Demetrii I. filius.
DEMETRIUS III. Θεὸς NICATOR, Antiochi Magni filius.
ALEXANDER II.
DEMETRIUS IV. PHILOMETOR EVERGETES CALLINICUS, Antiochi VI. filius.
ANTIOCHUS VII. cum Cleopatra Matre, Demetrii II. filius.
DEMETRIUS V. Θεὸς PHILADELPHUS, Demetrii III. filius.
ANTIOCHUS VIII. EPIPHANES PHILADELPHUS. } Demetrii III. filii.
PHILIPPUS EPIPHANES PHILADELPHUS. }
ANTIOCHUS IX. PHILOPATOR EPIPHANES CALLINICUS, Antiochi VI. filius.

Conferamus jam in pauca vim omnem argumentorum, quibus Eruditissimus Auctor Seriem hanc, & Genealogiam stabilire contendit.

PRIMO: Itaque Seleucum I. Nicatorem annis LIV. regnum tenuisse asserit propterea, quod in Regis Seleuci Numo deprehendisset literas ΔN. quæ valore numerico LIV. indicant; unde conficitur, ab Æra Seleucidarum totidem annis Seleucum imperasse.

SECUNDO: Ut porro ratio annorum usque ad Antiochum Θεὸν Epiphanem elapsorum (quæ tempora ex Numis, & Sacra Historia definita habemus) sibi recte constaret; e duobus Seleucis, qui Antiochum Magnum præcessere, alterum expungit. Sed hæc Plinii auctoritate roborat, qui ita habet: (t) *Charax oppidum conditum est primum ab Alexandro Magno - - - - postea Antiochus restituit, Quintus Regum.* Ut igitur Antiochus Magnus, de quo hic Plinius agere videtur, Quintus Regum Syriæ esse queat; præcedentium Regum unus (nam duo Antiochi, ac tres Seleuci præiisse feruntur) loco dejici debuit, quæ sinistra sors Seleucorum alteri obtigit.

TERTIO: Antiochi I. filium Patri superstitem, & in Regno Successorem non statuit Antiochum II., sed Ptolemæum; unde fit, ut Antiochorum quoque hic aliquis omittatur. Nempe audiendus iterum est Plinius, qui de Erasistrato Medico, ex Aristotelis filia genito, ista narrat: (u) *Hic, Antiocho Rege sanato, centum talentis donatus est a Rege Ptolemæo filio ejus.* Accedit alter Plinii locus de hoc Ptolemæo Rege. (x) *Eandem scientiam in Cleombroto Ceo Ptolemæus Rex Megalensibus Sacris donavit centum talentis, servato Antiocho Rege.* Colligitur autem ex Erasistrati ætate hic agi de Antiocho I.; quare filium ejus & Regii tituli heredem Ptolemæum oportet, & non Antiochum appellare.

QUARTO: Quorum Regum neque Sacræ Literæ, neque Plinius meminissent, eos e solis Numis, & observata in iis quadam titulorum consensione, aut varietate, in ordinem redigere conatus est. Ita e Numis Demetrii, quales omnes nos (cum Vaillantio) Demetrio II. adscripsimus, P. Harduinus tres Demetrios elicit. Nam cum Demetrii Numi imberbi vultu alii, alii cum promissa barba compareant, sintque epocharum notæ satis longo temporis intervallo ab sese disjunctæ; jam hinc duo Demetrii statuuntur. Porro cum idem (ex nostra sententia) Rex Demetrius aliis in Numis Philadelphus, in aliis Θεὸς Nicator compelletur; rursum divisionis adest occasio, ac Demetrius Philadelphus Antiochi XI. & Philippi frater esse debet: quia hi duo gemelli Philadelphi pariter cognomine in Numis gaudent; quapropter Demetrius (nobis tertius) Philometor Evergetes alio transferri, aliumque Patrem nancisci debuit, quam nos statuerimus.

QUINTO: Antiochum (nobis XIII.) Epiphanem Philopatorem Callinicum non distinguit ab Antiocho Philopatore (nobis IX.) neque ab Antiocho X. Eusebe Philopatore; eam opinor ob causam, quod ho-

(t) Plinius Historiæ naturalis Lib. VI. Cap. XXXI. (u) Idem Lib. XXIX. Cap. I.
(x) Plinius Historiæ naturalis Lib. VIII. Cap. XXXVII.

horum Numi comunem Philopatoris titulum consignatum habeant. Hic itaque duo alii de Serie nostra Antiochi extruduntur: ut nihil hoc loco de Antiochi XII. Numo cum Nicephori titulo dicamus, cui *certum* in Serie etiam nostra locum vix sumus ausi tribuere.

SEXTO: Denique Seleucum Epiphanem Nicatorem (nobis sextum ejus nominis) cum Seleuco Antiochi Magni filio (ex nostra sententia Quarto) eundem facit: Seleucum vero (nobis Quintum) omnino prætermittit, quia certos ejusdem Numos non deprehendit. Omnia porro Numismata, inscripta ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. sine titulo, vel epocha, Seleuco II. adsignat. Itaque e sex Seleucis, quos Numorum, ac Scriptorum Veterum ope dignovimus, P. Harduinus tres tantum adoptavit; Seleuco nempe nobis III. jam antea Plinii causa eliminato.

De Regni annis, Regi cuivis adsignatis, nihil hic referre libuit, præter Seleuci I. enormem Imperii diuturnitatem: & infirmato alioqui, convulsoque novo isthoc Regum ordine, temporum quoque nexus, ubi Numi deerant, pro libitu constitutus, sua sponte solvetur. Omisi etiam, quæ P. Harduinus ad Plinii Lib. XXXIV. Sect. XIX. adnotavit de Alexandri M. triginta Regni annis; nam ea incertis Numorum Characteribus, & Ecclipsi ad libitum applicata cum nitantur, confutatione non egent.

CAPUT II.

Expositum novum Regum Syriæ Systema refellitur.

QUo ordine P. Harduini argumenta adduxeram, eo servato ad singula respondebo. PRIMO itaque de LIV. imperii annis e Numo Seleuco I. adsignatis, repono: eas notas Δ N. non esse numeros epochæ indices; id ego eodem jure nego, quo adseritur. Nam in Syriæ Regum Numis varias occurrere literas, sive monogrammate colligatas, sive singulas, binasve, quarum significatio etiamnum Oedipo opus habeat, nemo harum rerum vel mediocriter peritus ignorat. Est nobis Numus ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. cum litera Ξ igitur sexaginta annis Seleucum Nicatorem regnasse arguam, si P. Harduini argumentum recipitur. Illud quoque in Numis me observasse superius (y) commemoravi: ante Antiochi Magni tempora nullas in Regum Syriæ Numis epochas offendi. Denique Veterum Scriptorum scio neminem, neque aliud ullum vetustatis instrumentum prolatum est, e quorum testimoniis LIV. regni anni Seleuco I. Nicatori adsignari possint. Omitto Justinum, Eusebium, Porphyrium, aliosque; unus Polybius satis est, qui (z) diserte circa Olympiadem CXXIV. Seleucum vivere desiisse nos docet, cujus Olympiadis annus postremus anno Æræ Seleucidarum XXXII. majori ex parte respondet. Quodsi hæc Auctori novi Systematis faven-

(y) Parte III. Prolegomenorum Cap. II. (z) Polybius Lib. II. sub finem.

ventes non moveant; minus, ut arbitror, Eruditos prope omnes movebit pro lubitu excogitata incertarum literarum explicatio.

AD SECUNDUM: Quamquam Antiochum Magnum Plinius Quintum Syriæ Regem appellarit; non continuo tamen eorum Seleucorum alterum expungendum esse committam, qui Antiochum Magnum deinceps præcessere. Plinio fidenter oppono Polybium, Scriptorem Antiocho Magno, & Epiphani Synchronum, Demetrio Soteri familiarem, in ejus temporis negotiis publicis versatum, Syriacarum rerum apprime gnarum, deque iis bene multa ex proposito commemorantem; dum contra Plinius, Vespasiano Imperatore scribens, & alia omnia agens, Historiæ suæ vix pauca quædam, ex aliis raptim decerpta, de Syriacis Regibus aspersit. Oppono Trogum Pompejum, & Appianum, quorum alter Plinio ætate superior, alter suppar, ambo ex instituto Historiam Syriæ etiam pertractarunt. Oppono in scientia temporum Eruditissimos Eusebium, Porphyrium, & S. Hieronymum, quorum omnium sententia post Seleucum I. duo Antiochi, post hos duo Seleuci deinceps constituuntur, quos Antiochus III. Magnus denique consequitur. Ita quidem certe Antiochus Magnus Sextus, non Quintus Syriæ Regum dicendus erit; nisi ad Plinianum Oraculum Auctorum omnium testimonia comparata, nugæ meræ, lyræque sint habendæ.

Quod si auctoritas Plinii tanti est, dispiciamus etiam, nullamne viam invenire liceat, qua conciliari Plinius cum reliquis Scriptoribus possit; Quintus Regum dici potuit Antiochus Hierax Seleuci II. frater natu minor, qui Regem se in Mesopotamia gessit, testibus Justino, (a) Trogo, (b) & Polyæno. (c) Quid si Quintum Regum dixit Plinius ita, ut subaudiret: Regum ejusdem nominis? Ita ad Antiochum V. Eupatorem instauratio Characis, cujus tempus aliunde non constat, referenda esset. Sed vero simillimum mihi videtur, a Plinio Quintum Regum Antiochum Soterem, Seleuci I. filium dici; Plinius enim ab ipso Alexandro M. Reges supputare videtur, dum ait: (d) *Charax oppidum conditum est primum ab Alexandro M. . . . . postea Antiochus restituit Quintus Regum.* Fuit autem Quintus Regum, cum præcessissent Alexander M., Philippus Aridæus, Antigonus, & Seleucus. Neque vero solus ita Reges numerat Plinius; proximus eidem Scriptor Appianus, in fine libri de bellis Syriacis, Syriaci Regni tempus omne colligens, ab Alexandro Magno etiam calculos subducit.

AD TERTIUM: Ex allatis Plinii verbis aliud nihil certo deducitur, quam Antiochi I. filium fuisse Ptolemæum, eundemque Regio titulo insignem. Qua in re egregie puto Plinii narrationem cum ceterorum Historicorum sententia conciliari, ac mutuo illustrari posse: itaque necesse non fore, ut Antiochus II. loco depellatur, quo a nobis tanquam Antiochi I. filius, & in regno Successor constitutus erat. Trogus Pompejus (e) refert: Antiochum I. senem decessisse: *altero filio*

(a) Justinus Lib. XXVIII. & XLI. (b) Trogus in Proëmio Lib. XXVIII. (c) Polyænus Lib. IV. Stratagem.
(d) Plinius Lib. VI. Cap. XXXI. (e) Trogus in Proëmio Libri XXVI.

filio (cujus nomen tacetur) *occiso, altero Rege nuncupato Antiocho*. Alter ergo ille e Plinio Ptolemæus nominandus est, qui Patre Antiocho sanato, magna Erasistrato præmia elargitus est. Rex appellatur a Plinio, sive quod Regis esset filius, sive quod regnum affectaverit, aut potius parte regni a Patre donatus sit, quemadmodum ipse Antiochus I. a Seleuco Patre regna Orientis accepit, & multos annos eo vivo regnavit. Hunc vero Ptolemæum, ante mortem Patris Antiochi I. occisum, alterumque filium Antiochum II. Regem designatum fuisse, quod omisit Plinius, e Trogo docemur. Nemini porro mirum videri debet de hujus Ptolemæi nomine, & fato Historicos ceteros altum silere; posteaquam Justinus (f) jam olim nos monuit: Antiochi I. gesta pene omnia tenebris obsita jacere.

Sed aliud hic sese offert e Plinii verbis, quibus restitutam Antiocho I. valetudinem perhibet, animadversione non indignum. Plinii verba, superius relata, (g) hæc sunt de Erasistrato Medico: *Hic Antiocho Rege sanato centum talentis donatus est a Rege Ptolemæo filio ejus*. Quæ locutio tum illico datum (ob recens restitutam valetudinem) ingens pretium innuit. Igitur hoc Plinii testimonium referri non potest ad eum morbum, quo Antiochus amore Stratonices Novercæ æger decubuerat; eo tamen retulere Usserius, & Vaillantius. Nam dum Stratonicem deperibat Antiochus, nec uxorem ei, neque regnum fuisse constat; sed utrumque ei tum a Patre datum esse contestantur Appianus, (h) Lucianus, (i) Plutarchus, (l) & Valerius Maximus, (m) & Julianus Augustus Adolescentem appellat. (mm) Quo pacto ergo filium, eumque Regem tum habere potuit Antiochus? Alium igitur hunc, de quo isthic Plinius, morbum fuisse opportet, quem cum Erasistratus ab Antiocho jam seniore depulisset, sit a Ptolemæo Antiochi filio, jam tum Rege, munifica mercede donatus.

Ad Quartum: Quæ ad multiplicandos e Numis Demetrios conjecturæ a P. Harduino prolatæ sunt, etsi silentio itidem, ut prolixa oratione dilui possent; juvat tamen suis in adversarium telis pugnare, & e solis Numis illam Demetriorum divisionem refellere.

Numisma apud Haymium, (n) accuratissimum Antiquarium, ita inscriptum profertur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΗΞΡ. Aliud in Catalogo Musei Theupoli ita exhibetur: ΒΑΣΙΛΕΟΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΗΞΡ. Tertium rursum Haymio debemus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΗΞΡ. Imo autem in unico Excellentissimi Domini Fawkeneri Cimelio tres ejuscemodi Numos ipse vidi. En autem Epocha teste, eodem anno CLXVIII. eundem utique Regem Demetrium, cum iis tamen titulis, quos P. Harduinus in tres Demetrios partitur: en alium hic utique Demetrium Philadelphum, quam qui Philippi, & Antiochi geminorum

(f) Justinus Lib. XXVI. Cap. I. (g) Capite præcedente ex Plinii Lib. XXIX. Cap. I.
(h) Appianus in Syriacis. (i) Lucianus de Dea Syria. (l) Plutarchi Parallelæ vitæ, in Demetrio.
(m) Valerius Max. Lib. V. sub finem. (mm) Juliani Misopogon.
(n) Haym. Tesoro Britannico Tomo II. pag. 68., & Tomo I. sub initium.

frater esse per temporum intervalla possit. Si hos Numos in Cimelis extare scivisset P. Harduinus, nullus dubito quin ad aliam Regum Syriæ, & imprimis Demetriorum ordinandam Seriem animum adjecisset.

Ad Quintum: Quemadmodum sola titulorum varietas diversos Reges non semper indicat in Demetriis; quia in aliis Numis alia, plura nonnunquam, alibi pauciora, & etiam nonnulla ejusdem Regis cognomina signata sunt; ita in Antiochis ejusdem tituli in diversis Numis expressio non continuo arguit, Numos illos omnes eundem Regem referre: ubi præsertim præter variam, ac frequentem unius cognominis cum alio compositionem, vultus quoque manifesta se prodit discrepantia, ac totidem porro diversi Reges a vetustis Scriptoribus recensentur. Quæ omnia in Antiochorum digerendis Numis in Serie nostra sibi constare partim ostendimus, (o) partim per Annalium decursum exequemur, ne hic Lectorem moremur. Unum hic rogare liceat: Ecquid in Constantiniani ævi Numis e vultu diverso, & adjecto nonnunquam alio cognomine, diversos illico Constantinos se recte agnoscere putet P. Harduinus: (p) in Antiochorum vero Monetis idem argumentum non valeat? cum in aperto sit, Constantinianos Numos cum Syriacorum Regum Numis, si accuratam præcipue lineamentorum faciei expressionem spectes, in comparationem venire nullo modo posse: cumque Constantinis illis antiqui repugnent Historici, pugnent pro Antiochis.

Ad Sextum: Vetat quoque lineamentorum vultus difformitas in Numis deprehensa, ne Seleucorum Numi omnes ad tres duntaxat hujus nominis Reges reducantur. Illud potissimum miror: Seleucum IV. Philopatorem, cum Seleuco Epiphane Nicatore in unum confundi; quando Seleuci Philopatoris Numisma cum epocha, & eo ipso Philopatoris titulo, & Regis vultu detexit Haymius, cum quo Seleuci Epiphanis Nicatoris neque titulus, neque facies conciliari potest. In reliquis Seleucorum Numis dispescendis, quam ab ipsis Numis non habemus, a Scriptoribus antiquis lucem mutuamur: quibus si quis fidem habere non vult, sibi imputet, si paria patiatur.

CAPUT III.

De Seleuci I. & Antiochi I. regni annis nova Viri Eruditi opinio proponitur.

Post P. Harduini tentamina, quibus omnem Syriæ Regum Chronologiam, atque Genealogicum ordinem reformare aggressus est, alius Vir Eruditus extitit, qui saltem in Seleuci I., ejusque filii Antiochi I. regni annis sibi a communi, nostraque sententia discedendum putabat. Nempe in Commentariis Academiæ Regiæ Inscriptionum & amœniorum Literarum, quæ Parisiis floret, (q) erudita Dissertatione con-

(o) Prologom. parte III. Cap. III. (p) P. Harduini Opera selecta: De Numis Ævi Constantiniani.
(q) Histoire de l'Academie Royale des Inscriptions Tom. VII. Dissertation de M. de la Nauze sur la durée du regne de Seleucus Nicator.

contenditur: Seleucum I. Nicatorem quinquaginta amplius annis (ab Æra Seleucidarum inchoando) regno præfuiſſe: porro filium ejus Antiochum I. Soterem ante Patrem obiiſſe, atque adeo Succeſſorem Seleuci I. fuiſſe Antiocum Θεὸν (nobis Secundum) quem item non Antiochi I. Soteris, uti nos, ſed Seleuci Nicatoris filium Adverſarius appellat.

Primo itaque Seleuci Imperium eſſe ultra quinquaginta annos ampliandum, exiſtimat ex Actis Lyſimachi Regis, ejusque filiorum fatis deduci poſſe. Illud ante cetera in confeſſo eſſe ait: Demetrium Poliorcetem anno ab Æra Seleucidarum XXIX. e vivis diſceſſiſſe, qua in re eidem libenter adſtipulamur. Porro autem contendit: Lyſimachum ab eo tempore in Aſia, & Macedonia multa bello egregia patraſſe: eundemque Lyſimachum, mortuo demum Demetrio, ex Arſinoë Uxore Ægyptia liberos ſuſcepiſſe, quorum e numero filius natu maximus annorum ſedecim fuiſſet, cum Ptolemæi Cerauni juſſu trucidaretur. Cum vero (nobis quoque idem ſentientibus) extra dubium ſit, Ptolemæum Ceraunum poſt interfectum ab ſe Seleucum Nicatorem, non niſi biennio ſuperfuiſſe, rem facile pro ſua ſententia confici arbitratur. Quod ſi enim (uti communis, & noſtra fert opinio) Seleucus Nicator anno Æræ ſuæ XXXII. vel XXXI. occidiſſet, non potuiſſet profecto Lyſimachi filius, ex Arſinoë poſt annum XXIX., aut eo exeunte natus, jam ſedecim ætatis annos numerare, cum a Cerauno occideretur anno ad ſummum XXXIV. Æræ Seleucidarum, id eſt biennio poſt mortem Seleuci Nicatoris. Deinde varia illa Lyſimachi bellica geſta intra duos circiter annos concludi poſſe non videntur; quod dicere tamen neceſſe eſſet, ſi Seleucus Nicator anno XXXII. interemptus ſit; nam ex Polybio (r) diſcimus: Seleucum poſt Lyſimachum, intra tamen ejusdem anni ſpatium deceſſiſſe; Lyſimachi vero bella illa poſt Demetrii mortem, id eſt, annum XXIX. peracta eſſe ſuperius ſtatutum eſt. Dictorum fidem ut faciat Auctor, Scriptorum Veterum adnotavit loca, quibus iſta ſtabiliantur: nempe Juſtini, (s) Memnonis apud Photium, (t) & Pauſaniæ. (u)

Secundo: Eundem Numum Seleuci, cum notis Δ N. ſuppetias vocat, quem P. Harduinus protulerat, atque ex ejus epochæ numeris annos regni LIV. Seleuco tribuit. Addit argumentum ex Æra Aradiorum, quæ circa annum ab Æra Seleucidarum LII. inchoaſſe perhibetur; ad quod uſque tempus vixiſſe Seleucum contendit, propterea, quod non niſi vel mortuo, vel morbis & ſenio fracto Seleuco I. Aradii auſi fuiſſent propriam epocham inſtituere, & libertatis aſſertæ indicem, monetis publicis conſignare. Denique ipſas res a Seleuco geſtas, tantas, tamque eſſe diverſas, ac multiplices arbitratur, ut eas omnes XXXII. annorum intervallo complecti velle, hiſtoriæ fidem excedat.

Tertio: Quoniam Seleuco Nicatori annos regni quinquagenis plures novus Chronologus adſignavit, cogitur undeviginti annos,

 qui-

(r) Polybius Lib. II. ſub finem. (s) Juſtinus Lib. XVI. Cap. III., cui addo Lib. XVII. Cap. I. & Lib. XXIV. Cap. II. & III. (t) Memnonis excerpta in Bibliotheca Photii, Cap. VII. & VIII.
(u) Pauſanias in Atticis Cap. IX. & X.

quibus Antiochus Soter a morte Patris imperasse nostra, & vetere sententia creditur, ab Antiocho ad Seleucum transferre, ac statuere: Antiochum Soterem in pugna contra Gallos equo lapsum ante Patrem occidisse; cumque ea pugna commissa sit anno Seleucidarum XXXVIII., quo etiam vivebat Seleucus: illud ultro consequitur, Seleuco Nicatori mortuo in regno non successisse Antiochum Soterem, sed Antiochum Θεὸν, quem novus Auctor Seleuci, non Antiochi I. filium pronunciat.

Hæc vero Justini, atque Solini testimoniis comprobare studet. Primum Justinus (x) post Seleuci Nicatoris vitam, & res gestas ennarratas, unius duntaxat Antiochi mentione facta, continuo ad Seleucum II. sermonem transfert. Unum igitur tantum inter duos Seleucos Antiochum intercessisse conficitur. Deinde Solinus (y) Antiochum I. Soterem post pugnam adversus Galatas, seu Gallos initam equo lapsum interiisse perhibet. Igitur ex anno hujus pugnæ, ut paullo ante retulimus, constat, vivo adhuc Patre Seleuco Antiochum Soterem occubuisse.

Trogum & Plinium sibi aperte contrarios, noster Criticus emendandos censet. Trogi quidem, dum scribit: (z) *Antiochum Soterem decessisse, altero filio occiso, altero Rege nuncupato Antiocho:* ita immutandam esse sententiam, ut loco *Antiochi Soteris*, substituatur *Seleucus Nicator*, atque adeo Trogum dicere voluisse: *Seleucum Nicatorem decessisse*, altero filio occiso (nempe Antiocho Sotere) altero Rege nuncupato, Antiocho (nempe Secundo, qui Θεὸς appellatur.) Deinde Plinii locus, (a) superius jam memoratus, qui sic habet de Erasistrato Medico: *Hic Antiocho Rege sanato centum talentis donatus est a Rege Ptolemæo ejus filio.* Ita corrigendus est, ut pro: *a Rege Ptolemæo ejus filio*, subrogetur: *a Rege Seleuco ejus Patre.* Emendationis utriusque ratio redditur ex Appiano, (b) qui ambos Antiochos Soterem juxta ac Θεὸν Seleuci Nicatoris filios fuisse testetur, quique Seleuco XLII. regni annos adsignet, quod tempus jam ultra illam Antiochi Soteris cum Gallis pugnam excurrit. Atque hæc sunt præcipua omnia, quantum ego quidem assecutus sum, novi nostri Chronologi argumenta.

CAPUT IV.

Propositæ novæ de Seleuco I., & Antiocho I. opinionis argumenta diluuntur.

REspondeo ad PRIMUM: Si Lysimachus Rex ex Arsinoë uxore filium illum, qui a Ptolemæo Cerauno occisus est, *mortuo demum Demetrio Poliorcete* suscepisset, atque si tum denique varia illa bella ab Lysimacho omnia gesta essent; non diffiteor nodum hunc fore explicatu difficillimum. Verum diligenter excutienti mihi indicatos antiquos Scriptores, omnis illico exemptus est scrupulus. Nego itaque

(x) Justinus Lib. XVII. & Lib. XXIV. & Lib. XXVII. (y) Solinus Cap. XLV.
(z) Trogus in Prooemio Lib. XXVI. (a) Plinius Lib. XXIX. Cap. I. (b) Appianus in Syriacis.

itaque e laudatis Auctoribus colligi posse: Lysimachum ex Arsinoë *post mortem Demetrii Poliorcetis* liberos omnes denique genuisse. Justinus quidem certe hac in re (ut sæpe alias) nullam temporis mentionem facit. Pausanias aliud nihil perhibet, nisi Lysimachum jam grandem natu, ob susceptorum liberorum copiam (nam quindecim eorum ante Patrem periisse Justinus quoque refert) fortunatum habitum esse: Ἐις τὸς παῖδας αὖτος τε νομιζόμενος ἐυδαίμων verba sunt Pausaniæ, quæ quidem huc faciant.

Memnonis excerpta, dum de Lysimachi cum Arsinoë nuptiis agunt, verbo nullo Demetrii meminere. Has tamen res circumstantes addit Memnon: Mortuo Dionysio Heracleæ Tyranno, & Antigoni fæderato, cum idem Antigonus Heracleæ negotia negligenter tractaret, Amastridem Dionysii viduam Lysimacho nupsisse: Lysimachum deinde relicta, aut repudiata Amastride Arsinoëm duxisse.

Ea narratio nostræ potius sententiæ suffragatur. Nam cum ex his constet, vivo Antigono Amastridem nupsisse Lysimacho, Antigonus vero anno Seleucidarum undecimo in prælio perierit: decimo jam ad minus ejusdem Æræ anno Amastris Antigoni uxor fuit. Dabo quadriennium integrum Amastridi Lysimachum convixisse, ac tum demum cum Arsinoë matrimonio junctum fuisse; neque enim de eo tempore quidquam certi habemus. Itaque ab anno Seleucidarum XIV., aut etiam XV. usque ad XXXII. potuit utique primogenitus Lysimachi ex Arsinoë filius jam sextum decimum ætatis annum agere, quo a Ptolemæo Cerauno interemptus esse perhibetur. *

Deinde pariter inficias eo, ex adductis Historicorum testimoniis comprobari: varia illa Lysimachi bella, *post mortem Demetrii*, in Asia & Macedonia confecta fuisse. Justinus hic quoque rei gestæ definitas temporis notas non adjungit; sed posteaquam Seleuci bellum cum Demetrio, & hujus adversos casus ac mortem ennarasset, subjungit: *Dum hæc geruntur*, *&c.* ac tum Lysimachi bella recenset, de quibus isthic disceptatur. Ubi probe tenenda est ea locutio: *Dum hæc geruntur*, non vero: *postquam hæc gesta sunt*; neque: *post mortem Demetrii.* Pausanias aperte a nobis facit; nam bellum Macedonicum a Lysimacho inchoatum esse *post captum Demetrium*, diserte scribit, non autem *post mortem Demetrii.* Captus est ab Seleuco Demetrius anno Æræ Seleucidarum XXVII., a quo, usque ad annum tricesimum primum, satis omnino temporis fuit Lysimacho, parata arma habenti, ut Macedoniam vix resistentem subigeret, Epirum vicinam tentaret, & Heracleotas in Asia impeteret. Pausaniæ omnino consentit Plutarchus in vita Pyrrhi. **

AD SECUNDUM: Numum illum notis Δ N. insignem inter incognitos jam superius cum ratione rejecimus. De Aradiorum Æra, qua

Q ex

* Usserius egregius Chronologus Nuptias Arsinoës refert ad annum ante Æram Christi CCC., qui est annus Æræ Seleucidarum XIII. Atque Seleuci Nuptias cum Stratonice, Demetrii filia, anno sequenti tribuit: quæ omnia ex Memnone, Justino, Strabone, & Plutarcho, atque ex tota rerum gestarum Serie recte collegit. Nos plus etiam concessimus adversæ sententiæ. ** Ita Plutarchus: Τέλος δὲ Δημητρίου καταπολεμηθέντος ἐν Συρίᾳ Λυσίμαχος ἐπ' ἀδείας γενόμενος, καὶ σχολάζων, ἐυθὺς ἐπὶ τὸν Πύῤῥον ὥρμησε.

ex causa eam urbs illa usurpare cœperit, res est omnino incognita. Neque probabile videtur, ob mortem, vel infirmitatem Seleuci aliquid ausuros fuisse Aradios, cum successor instaret filius, eadem potentia formidandus. Itaque Æræ istius causa, aut ad gratiam aliquam referenda est, quam ab Antiocho II. Aradii extorsere, concusso post mortem Antiochi I. regno, ut mox dicemus: aut inter incognitas potius origines est res tota rectius rescribenda. Res a Seleuco gestas quod attinet: ipse Annalium nostrorum ordo luculenter comprobabit, non ea modo, quæ Historici prodidere, sed his plura etiam triginta duorum annorum intervallo patrari potuisse.

Ad Tertium: Ajo enim vero Justinum utriusque post Seleucum Nicatorem Antiochi meminisse. De Antiocho I. Sotere agit Lib. XVII. & XXIV. & XXV. De Antiocho II. (Deo dicto) initio Libri XXVIII. brevem mentionem facit; quod de rebus ab eo gestis nihil fere memoria dignum occurreret. Porro autem Justinus ipse aperte Libro XLI. Seleucum II. Seleuci I. Nicatoris Pronepotem appellat: quo pacto autem Pronepos fuisset, si Seleucus I. Antiochum II. hic Seleucum II. genuisset? juvat Justini verba ipsa exscribere, e quibus statuta a nobis Seleuci I. successio contra novum Auctorem egregie confirmatur; de Parthis ita Justinus: *A Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho, & Successoribus ejus possessi, a cujus Pronepote Seleuco primum defecere.* Constat porro ex Justino ipso, aliisque Historicis (uti Annales testabuntur) sub Seleuco II. Parthos omnino a Seleucidis defecisse. Probe autem observanda sunt illa verba: *ab Antiocho, & Successoribus ejus*; qui tandem *Successores* fuere Antiochi, si unus post Seleucum I. Antiochus fuit, ac post eum Seleucus II., a quo Parthi jam defecere? Itaque Successores Antiochi I. Soteris fuere Antiochus II. & Seleucus II., idem vero Pronepos Seleuci I. appellatur, quod Antiochi II. filius, Antiochi I. Nepos, ac Seleuci I. ita denique Pronepos fuisset.

Quod vero Adversarius noster Trogi atque Plinii sententiam contra omnium forte manuscriptorum Codicum fidem in alia omnia immutandam censet, idque solius Appiani causa; nescio sane, utrum Criticorum hac in re sit assensum obtenturus. Dico solius Appiani causa; nam Trogum cum Plinio Capite II. jam conciliavimus; porro autem Solini narratio hic nihil conficit. Antiochum Soterem quidem in pugna adversus Gallos (non autem post eam, ut habet Solinus, qui sæpius peccat) periisse, Plinii (c) quoque & Æliani (d) testimoniis edocemur. At enim ingentem de Gallis ab Antiocho I. Sotere reportatam victoriam Appianus, (e) & Lucianus (f) potissimum deprædicant. Est igitur duplex Antiochi I. cum Gallis admittendum prælium, prius illud, quo Gallos vicit, quod in annum Seleucidarum XXXVIII. incidisse cum aliis statuimus: alterum, in quo occubuit Antiochus, anno LI. contigisse censemus. Trogus ipse, etsi mortis genus, qua Antiochus I. sublatus sit, non prodat, satis illis verbis

cladem

(c) Plinius Lib. VIII. Cap. XLIV.
(d) Ælianus Historiæ Animalium Lib. VI. Cap. XLIV.
(e) Appianus in Syriacis.
(f) Lucianus in Zeuxi & Antiocho.

cladem innuit: Antiochum I., cum prope Ephesum (ubi prælium hoc commissum est) antea felix, & senex decessisset; *Regnum reliquisse non deterius, sed tamen metu concussum.* Metu nempe concussum ob victum & necatum Regem: non deterius tamen; quod Galli victoriam prosequi aut nollent, aut non auderent. Atque hæc ad illustrandam potius Antiochi Soteris Historiam dicta sunto, quam ad refutanda Adversarii argumenta, quæ omnia eo nituntur: Seleucum Nicatorem adhuc tum vixisse, cum Antiochus Soter contra Gallos pugnaret. Id porro superius ostendimus sustineri non posse, & nova isthic ratiocinatione convellemus.

Fingamus itaque Seleucum Nicatorem annis amplius quinquaginta regnasse: Regni ejus initium, communi consensu, etiam nostro Auctore annuente, ducitur ab anno primo Æræ Seleucidarum, quæ cœpit ante Æram Christi anno CCCXII., anno vero ab obitu Alexandri M. XII. Seleucus I. ex mente Appiani periit anno ætatis LXXIII., e sententia Justini anno LXXVIII. Sumamus autem, fiducia veritatis, ea, quæ adversæ sententiæ plurimum favere possint: Regno præfuerit Seleucus tantum in annum LII. vixerit annos LXXVIII. Primo itaque regni, & Æræ suo anno numerasset ætatis annum vicesimum sextum: atque subductis duodecim annis usque ad obitum Alexandri Magni; egisset tum Seleucus ætatis annum decimum quartum. Verum quo pacto adolescentem XIV. annorum inter principes Alexandri Magni Duces habitum, atque Equitatui Macedonico jam tum Præfectum fuisse credibile sit? quæ res tamen, & aliæ quoque Heroi propriæ actiones, & munera gesta Seleuco Nicatori, etiam ante obitum Alexandri aliqua, a Justino, Diodoro Siculo, Appiano, aliisque adscribuntur.

Quod si jam, ex illo Numismate, LIV. regni annos Seleuco demus, ætatis autem LXXIII. cum Appiano, cui Criticus noster alias perlibenter acquiescit; habebimus Seleucum Puerulum simul, & Belliducum Clarissimorum æmulum.

Colligamus in pauca disceptationem omnem: quidquid e priscis Scriptoribus, ad extendendum ultra quinquaginta annos Seleuci I. regnum proferebatur, nihil concludebat, imo aliqua in contrariam partem inclinabant; contra vero Seleuco Nicatori, si ab Æra Seleucidarum initium, etiam Adversario annuente, sumatur, XXXII. regni annos tribuunt Eusebius, Porphyrius, Sulpitius Severus, & qui instar omnium esse debet, Polybius; imo vero ipse quoque Appianus, uti ostendo. Polybius diserte mortem Seleuci, & Lysimachi circa eandem Olympiadem CXXIV. contigisse refert: cui egregie consentit Appianus, dum Lysimachum (computatis, ut ipse Appianus monet, Satrapiæ annis) regnasse memorat annis XL., vixisse LXX., quod utrumque circiter, ut fere in Appiano, accipiendum est. Jam vero, in prima post mortem Alexandri regnorum partitione, Thraciæ Satrapiam Lysimacho obtigisse, omnes consentiunt. Porro post

mortem Alexandri ab Olympiadis CXIV. anno secundo usque ad tertium Olympiadis CXXIV., anni effluxere XL. Tum igitur mortuus est Appiano & Polybio conspirantibus Lysimachus & Seleucus. (g) Nam Appianus quoque, Lysimacho sublato, Seleucum εὐθὺς *statim* interfectum esse perhibet. Amplius confirmat hæc omnia Appianus, & secum concordat, dum Seleuco perinde, ac Lysimacho XL. regni annos tribuit. Satrapiæ nempe annos computat in Seleuco, uti fecit in Lysimacho. Cum ergo & Satrapiam aliquam ambo eodem anno, mortuo Alexandro, obtinuerint, & ambo eodem anno, aut intra anni unius spatium obierint, utique recte Appianus Seleuco & Lysimacho XL. circiter regni annos (ita Latini Codices Frobenianæ editionis, & Stephani, sed Græcus Stephani XLII. annos) adscripsit. Quod deinde idem Appianus Antiochum II. non Antiochi I. sed Seleuci I. filium faciat, unus est contra omnes: neque vero ex eo, si etiam daretur, ulla ratione consequens esset, Antiochum II. Seleuco I. in regno proxime successisse; nisi prior illa de producto ultra annos L. Seleuci Regno fabula recineretur. Ipse denique Appianus distincte oppositum narrat: Seleuco Patri *defuncto* successisse hos duos Filios, Antiochum Soterem primo, deinde Antiochum Θεὸν dictum.

CAPUT V.

De Seleuci II. Historia & Chronologia Controversia nova discutitur, ac de Antiochi II. morte dubium profertur.

Eruditissimus Vaillantius in sua Regum Syriæ Historia (h) perhibet: Seleucum II. duas in Arsacem Parthiæ Regem, sibi rebellem, expeditiones bellicas suscepisse, priorem quidem anno Æræ Seleucidarum LXXVI., quæ tamen altero mox anno conquieverit: alteram anno LXXXV., quo ipso anno captus sit ab Arsace Seleucus, atque anno sequente in libertatem, ac regnum restitutus, paullo post, eodem durante anno LXXXVI. equo lapsus, vitam finierit: Arsacem porro, ex Justini (i) mente, existimat Regnum sibi tum plenius formasse, cum Seleucus Secundus post primam illam expeditionem motibus Asiæ domum revocaretur.

Contra vero Theophilus Bayerus, Vir multa eruditione percelebris, contendit: (l) bellum unicum ab Seleuco Secundo adversum Parthos esse gestum, eundemque Seleucum anno Seleucidarum LXXII. victum in Arsacis potestatem venisse: sequente porro anno LXXIII. ab Arsace Regnum Parthicum formatum, & Æræ Parthicæ tertiæ initium datum esse: Seleucum vero post multos annos captivitate solutum, tum denique, Justino teste, (m) motibus Asiæ revocatum esse.

Ut Scriptoris utriusque fundamenta perspecta sint, Historicorum veterum, Justini præprimis, verba ipsa adferam, e quibus alia in rem suam

(g) Vide dicta Cap. II. hujus Patris, sub initium. (h) Pagina LXI. (i) Justinus Lib. XLI. (l) Bayeri Historia regni Græcorum Bactriani, Tomo V. Commentar. Academiæ Petropolitanæ. (m) Justinus Lib. XLI.

ſuam Vaillantius, alia Bayerus deduxit. De Arſace, ac Theodotis Bactrianorum primo, & ſecundo rege, ita Juſtinus: (n) *Sed cito morte Theodoti metu liberatus* (Arſaces) *cum filio ejus, & ipſo Theodoto fœdus, ac pacem fecit; nec multo poſt cum Seleuco Rege, ad deſertores perſequendos veniente, congreſſus, victor fuit: quem diem Parthi exinde ſolemnem, veluti initium ſuæ libertatis obſervant.* Continuat hanc narrationem Juſtinus, uti ſequitur: *Revocato deinde Seleuco novis motibus in Aſiam dato laxamento, regnum Parthicum format* Arſaces.

Quoniam hoc loco victum duntaxat, ac domum revocatum Seleucum a Juſtino perhiberi cenſet Vaillantius: tum porro ex Athenæo, ipſoque Juſtino conſtet: Seleucum Parthico in bello libertatem cum regno amiſiſſe; diverſa duo adverſum Arſacem bella a Seleuco II. ſuſcepta fuiſſe, recte Vaillantius (mea quidem ſententia) conſtituit. En Athenæi (o) teſtimonium: Ὡς εἰς Μηδίαν ἀνελθὼν, καὶ πολεμῶν Ἀρσάκει ᾐχμαλωτίσθη ὑπὸ τοῦ βαρβάρου, καὶ ὡς πολὺν χρόνον παρὰ τῷ Ἀρσάκει διέτριψεν, ἀγόμενος βασιλικῶς. Id eſt: *Quomodo in Mediam aſcendens* (Seleucus) *& bellum inferens Arſaci, captus ſit a barbaro, & quomodo multum temporis apud Arſacem conſumpſerit, ab eo regie habitus.* Juſtinus vero mortem Seleuci II., & fratris Antiochi Hieracis ita enarrat: (p) *Seleucus quoque iisdem ferme diebus amiſſo regno equo præcipitatus finitur.*

Equidem Athenæus diſerte non memorat: Seleucum ab Arſace dimiſſum, pacemque inter utrumque coaluiſſe; attamen illa verba: πολὺν χρόνον, *multum temporis:* ſatis indicare videntur, non omne, ſed longum tempus vitæ ſuæ, poſt infelicem illam pugnam, Seleucum apud Arſacem exegiſſe. Unum eſſe hic exiſtimo, in quo non ſatis Vaillantium inter, & Athenæum conveniat: tempus captivitatis Seleuci *diuturnum* vocat Athenæus; Vaillantius unico anno definit.

Jam vero Bayerus unicum Seleuci adverſus Arſacem admittit bellum: atque Juſtini verba illa: *Revocato deinde Seleuco novis motibus in Aſiam, dato laxamento, regnum Parthicum format Arſaces;* ita accipienda putat: Ut Arſaces laxamentum captivitatis dederit Seleuco, quo in Aſiam novis motibus revocato Arſaces regnum ſibi conſtabiliverit. Cauſam porro, cur Seleucum anno LXXII. Æræ Seleucidarum captum fuiſſe ſtatuat, hanc dat Bayerus: quod motus illos in Aſia, qui Seleucum revocaſſent, alios eſſe non credat, quam quos Attalus Pergamenus, regnum ſibi firmaturus, conciviſſet. Comprobatur hoc ex Olympionicarum collectione apud Scaligerum; (q) quæ nos docet: Attalum intra annum Seleucidarum Julianum LXXIV. & LXXV. Eumeni ſucceſſiſſe, neque vero auſum fuiſſe regnum ſibi in Aſia adſerere, ac ſtabilire, niſi eo tempore Seleucus apud Arſacem captus detineretur. Accedit: Æram Parthicam (quam tertiam Bayerus vocat) quæ poſt captum Seleucum, ob firmatum regnum Parthicum, inſti-

(n) Juſtinus Lib. XLI. Cap. IV. in fine, & Idem ibidem initio Cap. V.
(o) Athenæus Dipnoſophiſt. Lib. IV. ex Poſidonii Lib. XVI. (p) Juſtinus Lib. XXVII. Cap. III.
(q) Ὀλυμπιονικῶν Ἀναγραφὴ, ſeu Ἱστορίων Συναγωγή. Apud Scaligerum in Theſauro temporum.

tuta eſt, cœpiſſe anno Seleucidarum LXXIII., teſte eodem Olympionicarum catalogo. E quibus omnibus conſequi cenſet Bayerus: anno LXXII. bellum Arſaci intuliſſe Seleucum, captumque fuiſſe, eundem libertati reſtitutum eſſe non ante annum LXXVI., quia tantum ſaltem temporis tribuere oporteat Attalo, qui ſibi interea ita regnum firmaſſet, ut Seleuco reduci vires, animusque ad infeſtandum Attalum jam non ſuppeterent.

In plerisque Doctiſſimo Bayero aſſentirer, ſi ex adductis Juſtini verbis elici poſſe crederem: unicum tantum bellum Seleucum inter, & Arſacem exarſiſſe; ſed perſuaderi nullo modo poſſum, ut ea mens Juſtino fuerit. Nam, aut mirum in modum cæcutio, aut ea verba: *Revocato deinde Seleuco novis motibus in Aſiam, dato laxamento, regnum Parthicum* (Arſaces) *format*; ita intelligo: Victum nempe (quod ipſum antea narrabat Juſtinus) ab Arſace Seleucum, ac tum quoque de novis in Aſia motibus edoctum, rediiſſe in Syriam, Aſiamve, eoque abſceſſu laxamentum dediſſe Arſaci, qui & victor, & eo metu, quo Seleucum antea (Juſtino ipſo id paullo ante profitente) timuiſſet, repente ſolutus, regnum Parthicum formavit. Multa pro hac expoſitione noſtra pugnant: Primum, nullam Juſtinus tota hac narratione de capto Seleuco mentionem fecerat; ut *laxamentum* pro liberatione a captivitate intelligi poſſet. Deinde ſimilis plane locutio eſt apud Livium, (r) ſed quæ talem ſententiam manifeſte complectatur, quali nos Juſtini verba accipimus. Livius itaque non de captis, ſed liberis hoſtibus ita ait: *Minutius nihil deinde laxamenti hoſtibus dedit.* Denique non video, cur motibus in Aſia opus eſſet, ut Seleucus, bonis pactis libertati reſtitutus, in regnum ſuum revocaretur: neque ſatis prudenter Arſaces laxato demum, quam capto hoſte regnum formaret, atque hoc negotium infidis cum laxato Rege pactis conficeret.

Mediam igitur ego Vaillantium inter, ac Bayerum viam inire conſtitui, atque in Annalibus meis ea amplexus ſum, quæ uterque magis probabilia ſuggeſſit. Itaque Seleucum II. bina adverſus Arſacem bella geſſiſſe conſtituo: prioris belli tempus ſtatuo, annum Seleucidarum Julianum LXXIV. exeuntem, & ſequentem LXXV., quo Seleucus ab Arſace victus, & novis motibus, ab Attalo concitatis, revocatus eſt; (s) dum nempe abſente Seleuco Attalus, Eumenis novus ſucceſſor, in Aſia regnum ſtabilire, & amplificare cœpiſſet. (t) Arſaces quoque interea Parthicam novam Æram inſtituit, dum regnum ſibi corroborat. (u) His anno LXXV., & LXXVI. geſtis, & rebus in Aſia vel deſperatis, vel a Seleuco compoſitis (neutrum enim Hiſtorici prodidere) eodem anno LXXVI. Seleucus in Arſacem bellum inſtaurat, ab eodem capitur, ac regie habetur: (x) denique circa annum LXXXVI. libertatem cum regno recuperat (quod mox novo argumento ex Polybio confirmabimus) ſed eodem anno paullo poſt equo lapſus vitam amittit. Seleu-

(r) Livius Lib. xxxv. Cap. xix. (s) Juſtinus Lib. xli. Cap. iv. v. (t) Olympionic. Collectio.
(u) Juſtinus Lib. xli. Cap. iv. v. Ex Olympionic. Collectione de tertia Æra Parthica nihil certi colligitur.
(x) Athenæus Lib. iv. ex Poſidonii Lib. xvi. (y) Juſtinus Lib. xxvii. Cap. iii. & Porphyrius in fragmentis Græcis apud Scaligerum, & Euſebius in Chronico. Et Polybius Lib. v.

Seleucum II. Callinicum circa annum Seleucidarum LXXXVI. obiisse, ex Porphyrio & Eusebio, itemque ex Polybio conficitur, (z) is quippe Seleucum III., Seleuci Callinici filium circa Olympiadem CXXXIX. mortuum esse testatur: quem tres annos non integros regnasse ex Appiano, Porphyrio, & Eusebio constat. Porro Polybius Libro V. narrat: Seleucum II. ante mortem suam Rhodiis terræ motu afflictis, quo & Solis colossus prostratus est, multa largiter donasse. Igitur & liber, & Rex tum fuit Seleucus. Sed caute legendus Polybius, & Latinis interpretibus minime hac in parte fidendum. Nam Polybius Libro V. Antiochi III. acta una serie, usque ad pugnam Rhaphiensem executurus, narrationem istam omnem orditur (quod probe teneri velim) a morte Seleuci II., pauca de Seleuco III. subjicit, quem Antiochi Magni fratrem recte appellat; sequuntur res ab Antiocho Magno gestæ, & pugna ad Rhaphiam. Adjungit istis Rhodiorum cladem a terræ motu illatam, & recenset dona, quæ a regibus Rhodiis obvenere, inter quæ referuntur illa, quæ *Seleucus Antiochi pater* Rhodiis est elargitus. Est autem hic sermo de Seleuco II., qui Polybio ipso teste Antiochi Magni pater fuit, de quo Antiocho hic pariter agitur.

Jam vero hanc ipsam de Rhodiis narrationem Polybius ita incipit: Ῥόδιοι δὲ κατὰ τὺς προειρημένυς καίρυς &c. *Rhodii autem circa tempora antea memorata &c.* Tempus vero *antea memoratum* in hac narratione de Seleuco II. nullum erat nisi tempus mortis; igitur paullo ante mortem suam Seleucus dona illa regia misit Rhodiis; fuit ergo tum liber, & regni possessor.

Erravit igitur una Olympiade Eusebius in Chronico, & Orosius Libro IV., qui ruinam colossi Rhodii in Olympiadis CXXXIX. annum alterum submovent; cum Seleucus II. jam obierit anno secundo Olympiadis præcedentis, qui est annus Seleucidarum octogesimus sextus. Chronologi magno agmine Eusebium hac in re sequuntur, & Polybium testem adscribere audent; sed a Latinis interpretibus in fraudem inducti videntur. Cum enim continenter post Antiochi Magni acta Rhodiorum clades referretur, & narrationis ejus initium: Ῥόδιοι δὲ κατὰ τὺς προειρημένυς καίρυς Latinus Interpres unus ita redderet: *Per idem tempus Rhodii:* alter pejus: *Hisce diebus Rhodii.* Antiochi Magni temporibus hæc accidisse crediderunt lectores, qui aut Græco textu non sunt usi, aut ad Seleuci II. dona animum non adverterunt: unde factum, ut Chronologi quidam etiam post pugnam Antiochi ad Raphiam, id est, etiam ultra Eusebii tempus, colossi Rhodii lapsum referendum putarent.

Ex Athenæo alium scrupulum injecit Doctissimus Bayerus: Antiochum II. Θεὸν ab Arsace Medo interemptum suspicatur idcirco, quod apud Athenæum, Antiochi, qui ab Arsace sepulturæ datus sit, meminisset Posidonius Lib. XVI.; porro eodem Libro Posidonius (Athenæo teste) Seleuci II. res persequitur, qui Antiochi Θεῦ successor

(z) Polybius Lib. v: & Lib. II.

cessor fuit; Antiochi vero IV. Epiphanis Θεȣ̃ idem Posidonius Lib. XXVI. mentionem facit. Itaque is Antiochus, qui in Media periisset, videtur dici debere Seleuco II. proximus, & Antiocho IV. multo anterior, quæ in Antiochum Θεὸν quadrant. Fatetur Bayerus ipse, non esse hoc aliud, quam suspicionem aliquam, ac scrupulum, quem sibi eximi velit; novit enim Antiochi Θεȣ̃ aliud mortis genus ab Appiano, Valerio Maximo, Plinio, S. Hieronymo, & si qui sunt alii, ennarrari. Posidonius utrum ordine chronologico Syriacas res conscripserit, non constat; quod si id fecisset etiam, tamen nonnunquam quædam aut repetiisse, aut inter se comparasse videtur. Nam idem Posidonius Lib. XVI., & item Lib. XIV. eandem de Antiocho, & Arsace narrat historiam apud Athenæum Lib. XII., & Lib. X.

De aliis Historicorum veterum controversiis, quæ præcipue in adsignandis cuilibet Syriæ Regi regni annis occurrunt, hic nihil porro attingemus; nam ea res a Torniello, Saliano, Petavio, Usserio, Vaillantio est jam feliciter pertractata, & in nostris Annalibus ad cujusvis Regis exitum ejuscemodi dubia paucis dissolvere studebimus.

CAPUT VI.

De initio, & fine regni Syriaci, deque postremis e stirpe Seleucidarum Regibus disceptatio.

INitium regni Syriaci aliud ab Antigono Asiæ, Syriæque rege, aliud a Seleuco, ejusque æræ principio ducitur. De utroque initio mentionem fecere Porphyrius in fragmentis Græcis apud Scaligerum, & Eusebius in Chronico posteriore. Nos initio supputato ab æra Seleucidarum, Syriæ regnum sub Seleucidis fuisse sæculis duobus, cum dimidio non omnino expleto, cum Vaillantio constituimus, usque ad Pompeji in Syriam adventum. Quem ipsum annorum numerum regno Syriæ tribuit non quidem Porphyrius,(a) qui XXXIX., sed Eusebius,(b) qui L. supra ducentos annos computat, initio quoque ab Seleuco Nicatore deducto. At enim finem regni hujus Porphyrius juxta, ac Eusebius Philippo Philadelpho Antiochi VIII. filio adscribunt, eique duos duntaxat regni annos concedunt. Enimvero ab æra Seleucidarum ad alterum Philippi Philadelphi regni annum, nequaquam alterutrum annorum numerum exæquari, Annales commonstrabunt. Quod si porro e Porphyrii fragmentis (c) rem expedire tentemus, ubi post Philippini regni biennium, aliorum Seleucidarum de regni laciniis contentiones proferuntur; ne id quidem calculo rite subducendo opportunum inveniemus. Equidem Porphyrius Philippum regno pulsum, postliminio reversum, & Ægypti regnum tentasse perhibet, ab Ægyptiis invitatum; sed a Gabinio Roma-

(a) Ἀπὸ δὲ Σελεύκȣ τȣ̃ Νικάτορος ἔτη σλθ. (b) Ἡ Συρίας ἄρχη κατελύθη διαρκέσασα ἔτη σν. (c) Καταλύεται δὲ ϗ Φίλιππος . . . . ϗ κατιέναι θέλοντα αὐτὸν εἰς τὴν Αἴγυπτον . . . . Γάβινιος ὁ τῆς Συρίας ἄρχων Ῥωμᾶιος Ἔπαρχος ὢν τȣ̃ Πομπείȣ Ἐπέσχε· ϗ ὅτως ἡ βασιλικὴ διαδοχὴ ἡ κατὰ Συρίαν ἄχρι τȣ́των φθάσασα κατελύθη.

Romano Syriæ Præside prohibitum fuisse; ac tum Philippum satis concessisse, atque ita Syriacorum regum seriem, quæ usque eo pertinuisset, solutam esse commemorat. Verum quando Gabinius Syriæ præfuit, Philippum Ægypto abstinuit, octavo anno post, quam Pompejus Syriam in provinciam redegisset, atque ad istud usque tempus jam certo duo sæcula, atque dimidium processere, si ab æra Seleucidarum ordiamur; aliquid isthic Porphyrium peccasse fatendum est.

Porro Appianus de bellis Syriacis librum concludens, (d) recte quidem finem regni Seleucidarum constituit, uti & nos fecimus, in Antiocho XIII. Asiatico, Antiochi X., & Selenes filio, cui Pompejus Syriam abstulit, eamque in provinciam redegit; at regnum Seleucidarum idem (e) constitisse male memorat annis CCLXX. etiam, Appiano monente, Tigranis annis XIV. calculo exclusis. Nam si vel a morte Alexandri M. cum Appiano initium sumam, tamen usque ad Pompejum, Syria potitum, non nisi annos CCLXII. conficiam. Neque hic octo annos illos usque ad Philippi Philadelphi obitum, quos Porphyrius numerat, adjungere licet, qui denique numerum CCLXX. explerent; quando diserte tum finem Syriaco imperio Appianus imponit, cum Pompejus Antiochum Asiaticum Syria privavit. Quod si Appianus Antiochi XIII. reliquos vitæ, & regni Commagenes annos computasset; non pugno, quin fortasse isthic ab errore saltem crassiore exculpari posset.

Quamquam & satis certus omnino non sit annus, quo primus Commagenes Rex Antiochus vitam, regnumve finierit; & illud ipsum in dubium vocent Viri pereruditi: fueritne idem Antiochus Syriæ rex Antiochi X. Pii filius, cum Antiocho primo Commagenes rege.

Mihi quidem, Antiochum Pii filium, eundem Syriaco regno finem, & Commageno initium dedisse, propemodum certum videtur. Nam primum, Commageni regis Antiochi nulla usquam, imo ne regni quidem proprii mentio fit ante id tempus, quo Lucullus post captam Tigranocerta, ut habet Dio Cassius: (f) *Regem Commagenæ regionis, hoc nomen est Syriæ ad Euphratem fluvium, Antiochum: præterea regulum quendam Arabiæ Alchaudonium nomine, aliosque nonnullos per legatos secum paciscentes in fidem recepit.* Nulla mentio de Antiocho Syro. Deinde Justinus de Antiocho Syro, *Pii filio* (ita enim corrigendus Justinus) hæc habet, nulla Commageni Antiochi facta mentione: (g) *Igitur Tigrane a Lucullo victo, rex Syriæ Antiochus, Cyziceni* (corrige Pii) *filius, ab eodem Lucullo appellatur; sed quod Lucullus dederat, postea Pompejus ademit.* Hic sane idem a Dione, & Justino rex Antiochus appellari videtur, cum alioqui constet e Plutarcho, (h) omnia Luculli acta Pompejum rescidisse. Appianus quoque in Syriacis, ut paullo

S ante

(*d*) Καὶ τὸν υἱὸν ἐκείνου (Εὐσεβοῦς) τὸν ἐκ τῆς Σελήνης αὐτῷ γενόμενον, ἐν Ἀσίᾳ τε τραφέντα, καὶ ἀπὸ τοῦδε Ἀσιατικὸν ἐπίκλην, Πομπήϊος ἀφείλετο τὴν Συρίαν ἀρχήν, ὥς μοι λέλεκται.

(*e*) Appianus de bello Syr. ad finem · Ἡ δὲ ἀρχὴ τῶν Σελευκιδῶν ἐς Ἑβδομήκοντα ἐπὶ διακοσίοις ἐνιαυτοὺς πρoῆκατo.

(*f*) Dio in fragmentis Lib. 35. sub initium.

(*g*) Justinus Lib. 40. Cap. 2.

(*h*) Plutarchus in Lucul. pag. 516., & in Pompejo pag. 635. Editio Græco-Lat. Francofurt. 1620.

ante meminimus, (i) Antiochum, filium Antiochi Pii, Aſiaticum dictum, a Pompejo *regno Syriæ* orbatum ſcribit. Atque idem in Mithradaticis (l) *Antiochum Commagenum* a Pompejo bello impetitum perhibet, donec & is in amicitiam receptus ſit.

At enim, injiciet aliquis, idem Appianus eodem in loco, (m) ubi *Antiochum Commagenum* a Pompejo amicitia honoratum ſcribit, poſt aliquot verſus: *Antiochum Pii filium* a Pompejo, Syriam tum ſine certamine ſubjugante, paternum regnum nequidquam oraſſe perhibet; quod Pompejus jure belli Syriam ad Romanos pertinere arbitraretur, quam Tigranes Antiocho, Romani Tigrani eripuiſſent. Duos itaque Antiochos Appianus ſtatuere hic videtur, quando Antiochum alterum Κομμαγηνὸν *Commagenum*, bello impetitum, & in amicitiam receptum, alterum Antiochum Εὐσεβοῦς *Pii filium* compellat, qui Pompejum in Syria ſupplex pro avito *Syriæ* regno convenerit.

Verum nihil opus eſt hac quidem de cauſa duos Antiochos procudere; nam Antiochus Aſiaticus, Pii filius cum Selene matre in Cilicia, & vicina in Commagene quædam poſſidens, illicque aliquo tempore Tigranis impetum declinans, Commageni nomen obtinuerit; ſubinde Tigrane e Syria copias educente, ut Lucullo reſiſteret, in Syria quædam, ejusque parte Commagene pleraque recepit Antiochus, jam Luculli favore ſe liberius regem Syriæ ferens. Hic Pompejo ex Iberis in Syriam, ſuperato Tauro per Commagenem tendenti aliquantulum forte obſtitit; aſt videns ſe imparem, Pompejo in Syriam venienti ſeſe ſupplicem ſtitit, atque Syriæ quidem regno exutus, Commagenes vero rex a Pompejo appellatus, atque in amicitiam receptus eſt.

Hæc ita plane conciliari poſſe nemo ibit inficias; at ne e cerebro meo hæc enata quis cauſetur, ſingulis argumenta dicam. Primum: Commageni nomen ideo apud ſcriptores, & vulgo tuliſſe Antiochum Pii filium, quod in Commagene partim, partim in Cilicia latuerit; res eſt omnino his temporibus imprimis congrua. (n) Antiochus VII. Evergetes, quod Sidæ in Pamphylia moratus eſſet, *Sidetes*; Antiochus VIII. Epiphanes, quod, etſi ne biennio quidem, Aſpendi, regno pulſus, degeret, *Aſpendius* dictus eſt. Antiochus IX. Philopator, noſtri Antiochi avus, ſimilem ob cauſam *Cyziceni* cognomen tulit. Quin ipſe Antiochus noſter idcirco etiam *Aſiaticus* appellatus eſt, (o) quod in Aſia enutritus eſſet.

Antiochum vero in Commagene fuiſſe e duobus colligo. Primo, quia apud Juſtinum (p) objicitur Antiocho: *Eum XVIII. annis, quibus Tigranes Syriam tenuit, in Ciliciæ angulo latuiſſe.* Eſt autem Commagene ad Ciliciæ fines μικρά τις *exigua regio*, ut loquitur Strabo, (q) ut merito pro Ciliciæ angulo haberi poſſit.

Altera

(*i*) Vide Appiani locum in *d.* relatum.

(*l* & *m*) Appianus in Mithradaticis pag. 244. Editio Henrici Stephani Græco-Lat.

(*n*) Vide hæc in noſtro Catalogo Regum Syriæ Prolegom. Patre IV. Cap. VI. ad finem.

(*o*) Appianus in Syriacis ſub finem, vide ſupra in d.

(*p*) Juſtinus Lib. 40. Cap. 2.

(*q*) Strabo Lib. 16. Pag. 1086. Edit. Amſtelodam. 1707.

Altera ratio e Strabonis integro loco patebit: (r) *Commagene exigua regio est, ... illic pons est Euphratis, ad quem Seleucia sita est, castellum Mesopotamiæ, quod a Pompejo Commageno regno adscriptum est, in quo Selenen (Cleopatram dictam) Tigranes occidit, conclusam aliquamdiu, postquam Syria excidisset.* Nam Josepho teste, (s) Ptolemaide antea obsessa Selene, inde fugit, cepitque Tigranes Ptolemaiden, & Selenen Seleuciam usque insecutus est.

Cum itaque certum sit, Selenen Antiochi nostri matrem Seleuciam, Commagenes veluti clavem, & Euphratis trajectum in potestate habuisse, atque in Ciliciæ, quæ ex opposita plaga Commagenen claudit, angulo Selenes filium Antiochum egisse, quin Commagenen quoque, ejusque partem obtinuerit, aut saltem illic diversatus sit, negari nequit. Neque sane iisdem temporibus novum aliquem Commagenes regem Antiochum, diversum a Syriæ rege Antiocho fingere fas est; cum Commagene constanter ad Syriæ regnum pertinuerit, neque ullum usquam vestigium instituti novi regni Commageni apud historicos appareat; neque vero ea res mea quidem sententia tum licuisset, seu per Tigranem, seu per Selenen, & Antiochum ejus filium. Porro autem vel ex ipso Appiano in Mithradaticis (t) unus tantum *Antiochus rex*, de quo Pompejus gloriari posset, fuisse demonstratur; nam triumphum Pompeji narrans Appianus, titulum profert, publice circumlatum, quo descripta singulorum regum a Pompejo subactorum nomina recensentur; unus illic *Antiochus Commagenus* legitur; cum tamen certum sit *Antiochum Pii filium* se Pompejo dedisse, eodem Appiano teste; idem ergo est Antiochus Commagenus, & Pii filius Syrus, cum constet, quam sollicite ad triumphi materiem regum nomina conquirerentur, qui Romanis Belli-Ducibus obnoxii facti essent.

Et vero credibile non est, Pompejum, qui, ut Plutarchus (u) de eo, & Dio (x) contestantur, omnes sibi homines, regesque inprimis æquitate, & clementia demereri studebat, ita omnibus regnis exuisse Antiochum Pii filium, qui, ut Appianus loquitur, nullius culpæ reus esset, ut ei ne parvam quidem regni portionem, titulumque regis relinqueret; contra Antiocho Commageno, homini novo, & heri nato regi, aut potius tyranno, qui bello cum Romanis experiri ausus esset, regnum, & amicitiam daret; idque præ Antiocho, cujus nobilissimam stirpem, & avitam Syriaci imperii possessionem Roma omnis pernosset; quippe de quo Antiocho, ejusque fratre, hæc Cicero in Romano foro elocutus sit: (y) *Nam reges Syriæ Antiochi filios pueros scitis Romæ nuper fuisse, qui venerant, non propter Syriæ regnum, nam id sine controversia obtinebant, ut a patre, & a majoribus acceperant, sed regnum Ægypti ad se, & ad Selenen matrem suam pertinere arbitrabantur.*

 Deni-

(r) Strabo Lib. 16. Pag. 1086. Edit. Amstelodam. 1707. (s) Josephus Lib. 13. antiquit. Cap. 16.
(t) Appianus in Mithradat. Pag. 253. (u) Plutarchus in Pompejo. (x) Dio Lib. 37.
(y) Cicero Lib. 6. in Verrem Pag. 174. Editio Caroli Stephani anni 1554.

Denique Antiochum Aſiaticum primum Commagenæ regem fuiſſe oſtendit numiſma *Commagenorum regis Antiochi Epiphanis*, quem primum a noſtro Commagenæ regem Eruditi fuiſſe arbitrantur, apud Haymium Tomo I., & in Cimelio noſtro, in quo numiſmate cum *anchora* ſignata ſit, e ſtirpe Seleucidarum fuiſſe Antiochos Commagenos comprobatur; cum proprium Seleucidarum gentilitium ſignum fuerit anchora, neque alium Antiochum Seleucidam fingere liceat, regni Commageni autorem.

Relatus Ciceronis locus aliam nobis quæſtionem ſuppeditat: ecquod alteri Antiochi Pii, & Selenes filio nomen fuerit? Seleucum, agnomine Cybioſacten, appellatum fuiſſe, non improbabile arbitror. Nam, cum de alio ullo, qui de Seleuci ſtirpe poſt Syriam in provinciam redactam eſſet reliquus, præterquam de Philippo Philadelpho, ſi Porphyrium audimus, deque Antiocho Pii filio, illiusque, de quo agimus, fratre notitiam habeamus, porro autem aliquot ab amiſſa Syria annis, Berennice Ptolemæi Auletis filia, teſte Dione: (z) *Acccerſito quodam Seleuco, qui regiæ ejus ſtirpis, quæ in Syria quondam floruerat, eſſet, eum & maritum appellavit, & regni, bellique conſortem fecit. Ubi nullius pretii hominem videt, occiſo eo Archelaum .... ad ſe pertraxit.*

Rem porro eandem dum narrat Strabo Lib. XVII. (a) nomine *Cybioſactis* loco *Seleuci*, Berenices ſponſum compellat, eumque non præciſe aſſerit e ſtirpe Seleucidarum fuiſſe, ſed προσποιησάμενον τȣ̃ γένȣς εἶναι τῶν Συριακῶν Βασιλέων, *qui ſe de genere Syriacorum Regum eſſe ferret.* Ejusdem obiter meminit Suetonius, (b) ac Cybiotaten, vel Cybiotandem, niſi exſcribentium lapſus ſubeſt, appellat.


Ægyptii nempe, Ptolemæo Aulete abſente, e Seleucidarum ſtirpe Berenicæ maritum quærebant, qui e matre Ægyptia oriundus eſſet. Nam ſi Porphyrio (c) adſtipulamur, Antiochus ipſe Aſiaticus, Pii filius (non vero Antiochus Pius, uti eſt in Porphyrio) e Cleopatra Selene Ægyptia genitus, *per legatos ab Alexandrinis Menelaum, Lamponem, & Callimandrum vocatus, ut abſente ab urbe Alexandria Ptolemæo Dionyſo* (Aulete vulgo) *ipſe veniens Ægypto præeſſet cum filiabus Ptolemæi; morbo correptus expiravit. Moritur autem & Philippus, Grypi, & Tryphænes, Ptolemæi octavi filiæ filius, de quo ſuperius dictum; atque ipſum in Ægyptum iter molientem* (*nam hunc quoque Alexandrini ad regnum invitabant*) *Gabinius Syriæ Præfectus Romanus, Pro-Prætor Pompeji, prohibuit. Atque ita regia in Syria ſucceſſio, quæ uſque huc pertinebat, diſſoluta eſt.* Græca, ſi libet, inferius adſcripta lege. (d)

His

(z) Dio Lib. 39. Pag. 72. Editio Latina Oporini Baſileæ 1558. (a) Strabo Lib. 17. Pag, 1146.
(b) Svetonius in Veſpaſiano Cap. 19. (c) In fragmentis Græcis apud Scaligerum.
(d) Πεμψάντων δὲ ἐπ᾽ αὐτὸν Μενέλαον ϗ Λάμπωνα, ϗ Καλλίμανδρον Ἀλεξανδρέων, ὅπως Πτολεμαίȣ τȣ̃ Διονύσȣ, τῆς Αλεξανδρείας ἐξςαντος αὐτὸς ἐλθὼν τῆς Αἰγύπτȣ βασιλεύσῃ μετὰ τῶν θυγατέρων τȣ̃ Πτολεμαίȣ, νόσȣ συσχεθεὶς ἐτελεύτησεν. Καταλύεται δὲ ϗ Φίλιππος ὁ τȣ̃ Γρύπȣ ϗ Τρυφαίνης τῆς Πτολεμαίȣ τȣ̃ ὀγδόȣ ὑὸς ὁ προειρημένος. ϗ κατιέναι θέλοντα αὐτὸν εἰς τὴν Αἴγυπτον (μετεπέμψαντο γὰρ ϗ τȣ̃τον τότε οἱ Ἀλεξανδρεῖς) Γαβίνιος ὁ τῆς Συρίας Ἄρχων Ῥωμαῖος Ἔπαρχος ὢν τȣ̃ Πομπείȣ, ἔπεσχε, ϗ οὕτως ἡ βασιλικὴ διαδοχὴ ἡ κατὰ Συρίαν ἄχρι τȣ́των φθάσασα κατελύθη.

His igitur, ſi cum Ciceronis, Strabonis, atque Dionis Caſſii laudatis locis conferantur, exitum poſtremorum trium de ſtirpe Seleucidarum Principum docemur; nempe Antiochum Aſiaticum, eundemque Commagenum ab Alexandrinis accerſitum, morbo periiſſe. Fratrem ejus Seleucum, ex eodem patre Antiocho X. Pio, & matre Cleopatra Selene genitum, Ægypti thronum, & Berenices thorum inſcendiſſe quidem, ſed ob ſorditiem mox e medio ſublatum eſſe. Denique Philippum ad idem Ægypti regnum capeſſendum vocatum, & queis perveniret, vias rimantem, a Gabinio Syriæ Præſide prohibitum, paullo poſt vitam finiiſſe. Succeſſit in Ægyptum Archelaus, Comanus Pontifex. (e) Quoniam vero Gabinium Syriæ præfuiſſe, ex egregie conſtituta ab Uſſerio, ac Petavio hiſtoriæ Romanæ ſerie conſtat annis ante æram Chriſtianam quinquageſimo ſeptimo, ſexto, & quinto; atque poſtremo hoc anno Gabinius Archelaum, qui poſtremus Berenices, & regni Ægyptii procus erat, debellavit, & Ptolemæum Auletem, ſeu Dionyſum in avitum ſolium reſtituit; conſequens eſt, Philippum anno proxime præcedente (nam ſex menſes Archelaus, Pontifex Comanus, Ægypto potitus eſt) circiter obiiſſe. Ex quo porro pronum eſt deducere: Seleucum aut eodem anno, quo Philippus, aut præcedente, cum Antiocho Commageno germano ſuo e vivis exceſſiſſe; ſi tamen Antiochus in Ægyptum vocatus ſit.

Poſtremi itaque e ſtirpe Seleucidarum Reges fuere, Antiochus XIII. Aſiaticus & Commagenus, & frater ejus germanus Seleucus, agnomine Cybioſactes, (f) ex Antiocho X. Pio, & Cleopatra Selene Ægyptia geniti; qui circa annum ante æram Chriſtianam quinquageſimum ſeptimum, Periodi Julianæ 4657., Æræ Seleucidarum 256. extincti ſunt. Tum Philippus Epiphanes Philadelphus, Antiochi VIII. Epiphanis, & Cleopatræ Tryphænes filius, cujus obitus e mente Porphyrii in ſequentem annum congruet. Hæc tempora, reſque in iis propter Ægypti regnum geſtas, quod Annalium noſtrorum fines excederent, ad Seleucidarum tamen complendam notitiam facerent, hic ſaltem aliqua in luce ponenda exiſtimavi.



(e) Dio Caſſius Lib. 39. pag. 72.)(Strabo Lib. 17. & Lib. 12.


(f) De hoc agnomine Κυβιοσάκτης variant Eruditorum ſententiæ. Dicterio vulgi, Seleucum deteſtantis, hoc nomen ortum eſſe, nemo dubitat; quidam exponunt: Teſſera, ſeu ſorte alia inductus. Alii ſcribunt: Παρείσακτος, ſubdititius, quia ob ſorditiem vere e regia familia oriundum credere nolebant. Aliis: Κοκκὺξ εἴσακτος, Cuculus inductitius ſcribendum videtur.

PARS QUINTA.

De Numis Hebræorum.

CAPUT I.

De Charactere, quo inſcripti ſunt vere antiqui, & adulterini Hebræorum numi.



Uoniam Annales noſtros antiquis omnis generis numiſmatibus illuſtrare conſtituimus; Græcis Regum, & Urbium Syriæ monetis Hebraici numi adjungendi erant, qui Macchabæorum temporibus ſignati, aliquid lucis ejus ætatis rebus, in Judæa geſtis, afferre poſſent. Qua in re ut more meo vera a falſis, certa a dubiis, quoad poſſem, benevoli lectoris commodo ſecernerem; de Hebræorum numis, ſinceris juxta, atque adulterinis, univerſe quædam, alia proprie ad Annales noſtros facientia in medium afferam. Novi equidem, quam copioſe, ac erudite hæc materia ſit a multis ventilata, ac perlubenter fatebor, me plurima debere iis, qui ante me hunc agrum excoluere, quorum præcipui ſunt: Waſerus, (a) Villalpandus, (b) & Kircherus (c) ambo e Societate Jesu, Hottingerus, (d) Morinus, (e) Cellarius, (f) Relandus, (g) Schikardus, (h) Waltonus, (i) Spanhemius, (l) Eiſenſchmidius, (m) Calmetus, (n) Harduinus, (o) & Soucietus (p) uterque e Societate Jesu. Horum plerisque ita uſus ſum, ut tamen poſtremam hanc operam a me impenſam non omnino inutilem fore mihi pollicear, nec meram recoctam cramben obtrudam.

Numos Hebræorum nomino, qui Hebraico charactere inſcripti producuntur. Eſt vero duplex Hebraicus character, quo ſignata invenimus numiſmata: alter appellari ſolet Samaritanus, ſeu Hebraicus antiquus; alter Hebraicus quadratus, quo Judæi hodieque Sacra Biblia ſuis uſibus deſcribunt, quemque Aſſyrium compellant. Utriusque characteris formas exhibemus *Tabula* XVII. *de Numis Hebræorum;* adjunximus Alphabetum aliud Samaritanum, quo Sacra Biblia exarata habemus: item Alphabetum Rabbi Azariæ, & Vaticanum, quæ Doctiſſimus Villalpandus edidit: denique vetus Alphabetum Græcum, quo ejusdem ab Hebraico vetere origo pateret.

Charactere Samaritano inſcripti ſunt numi omnes ſub Macchabæis ſignati, quales tenemus citra dubium antiquos. Contra vero numiſmata Aſſyrio charactere inſignia, quotquot ego viderim, vidi autem complura, omnia recentioris eſſe manus fabricam deprehendi,

&

(*a*) De antiqu. Hebræorum num. (*b*) Commentar. in Ezechiel. Tom. II. (*c*) Oedipus Ægypt. Tom. II. Claſſ. II. (*d*) De Num. Hebr. (*e*) Exercitati. in Pentat. Samar. (*f*) Hiſtor. Samar. (*g*) De Num. Samarit. (*h*) De Num. Hebræor. (*i*) Prolegom. ad Biblia Polyg. (*l*) De uſu & præſtant. vet. num. Tom. I. (*m*) De pond. & menſ. Cap. IV. (*n*) Diction. Bibl. (*o*) Chronolog. Vet. Teſtam. (*p*) Diſſertation ſur les medailles Hebraiques.

& procul ab ea, quam epigraphe mentitur, vetuſtate. Inveſtiganda igitur eſt ratio, cur Samaritanus, & non Aſſyrius character ad ſignandos olim numos fuerit adhibitus? quae utriusque vocabuli ratio, quæque ipſius characteris vetuſtas?

Hebræis duplicem jam olim characterem fuiſſe, & aliarum gentium vetuſtiorum more, & Hebræorum propriis teſtimoniis comprobatur. Ægyptiis fuiſſe ſacrum characterem alium, alium profanum, ſeu civilis uſus, Diodorus Siculus (q) adnotavit: ſimilia de Phœnicibus Philo, (r) de Æthiopibus Heliodorus, (s) & Laërtius, (t) de Græcis Theodoretus (u) prodidere. Et habemus noſtrorum temporum luculentum exemplum in charactere Latino, qui fere omnium toto orbe Catholicorum ſacer eſt character, & lingua. Hebræis quoque duplicem jam olim characterem fuiſſe, ſacrum unum, quo legem ſcriberent, civilis uſus alterum, vel ex eo conficitur, quod numi veteres Hebræorum alio inſcripti charactere inveniantur, quam ſit ille, quo Sacra Biblia conſtanti, ac memoriam omnem excedente more reſcribunt.

Sane quoties mecum reputo, quam pertinaces in conſervandis quibusdam ritibus, quos a majoribus accepere, ſint prope omnes Judæi, quantaque religione omnes totius orbis Hebræi eodem Hebraico quadrato, ſeu Aſſyrio charactere expingere Sacra Biblia ſoleant; id mihi vivum quoddam, ac diſertum eſſe videtur argumentum, characterem hunc ab ipſo Moyſe populo electo traditum, & ab eo uſque tempore ſancte conſervatum fuiſſe. Sed accedat huic ratiocinationi aliud quoddam teſtimonium, quo etiam ratio vocabuli *Aſſyrii* characteris, & *Samaritani* reddatur. Rabbi Obadias a Bartenora, (x) a Kirchero prolatus, ita habet: *Scriptura Hebraica ea eſt, quæ venit e regione trans flumen: Cuthüm autem, qui ſunt Samaritani, eam ſcribunt in hunc uſque diem; Iſraël autem utebatur iſta ſcriptura in rebus profanis, & moneta argentea, quæ nunc hodie reperitur in manibus noſtris, & percuſſa eſt tempore regum Iſrael* (errat Rabbi: Macchabæorum tempore percuſſa eſt) *& ſignata eadem ſcriptura. Scriptura autem, qua nos ſcribimus libros hodie, dicitur ſcriptura Aſſyria, eſtque ſcriptura Tabularum legis.* Deinde ſubdit, cur is character tabularum אשורי *Aſſyrius* appelletur; & vult non ideo ita dici, quod ab Aſſyria regione allatus ſit, ſed a radice אשר *beatum reddidit:* quaſi beatos reddat, qui legem ſcribunt, & legunt; & quod ab ipſo DEO ad inſcribendam tabulis legem ſit uſurpatus.

Multa hic Rabbi complexus eſt: primum duplicem fuiſſe Judæis characterem, profanum unum, eumque Samaritanum, & Hebraicum (veterem) dictum, quo numi ſignabantur: ſacrum alterum, quo legem ſcriberent *Aſſuri, beatum* appellatum, ab Autore, & a fructu legis, ſi rite ſervaretur. Equidem utrum iſta aut vera ſit, aut unica τȢ *Aſſyrii* origo, polliceri non auſim; digna quidem certe videtur mirabili

(q) Libro III. (r) Philo a Bocharto adductus in Geographia Sacra Lib. II. Cap. XVII.
(s) Lib. IV. (t) Libro IX. (u) Quæſtione LXI. in Geneſim.
(x) R. Obadias a Bartenora Commentar. in Miſchnaiot I. Maſſechet Jadaim, Cap. IV.

illa legis promulgatione. Poterat tamen is character *Assyrius* idcirco etiam dici, quod eum olim Abraham ex Mesopotamia (Assyriæ latius acceptæ provincia) in terram Chanaan attulerit; quo ipso deinde DEUS ad legem filiis Israël præscribendam usus sit. Hoc vero non admittent ii, qui putant Abrahamum non ex Mesopotamia, aut ex Chaldæa in terram Chanaan venisse. * Civilem deinde Judæorum characterem, *Hebraicum veterem* dictum existimo; quod is a primis Hebræorum, in terra Chanaan degentibus, una cum usitata apud Chananæos lingua assumptus sit, retento tamen etiam proprio illo Assyrio charactere, & idiomate, si quo ante Moysen diverso, & sacro usi sunt. Characterem itaque Macchabæorum numis insculptum, pervetustum in terra Chanaan usu receptum fuisse arbitror, quem ad civiles usus cum aliis ejus terræ incolis Hebræi communem habuere. Porro hic antiquus, & civilis Hebræorum character e regione trans flumen venisse a Rabbi Obadia creditur; quod ipsi Chananæi Assyriorum, aut Chaldæorum coloni essent. Et sane ipse vetus hic numorum character, ab Assyrio illo, si primarios ductus spectemus, vix quidquam abludit: ut ambos ex eadem, aut e vicinis regionibus esse allatos vix dubitare liceat.

Quamobrem vero Chananæus iste, & Hebræorum *civilis antiquus* character, numisque insertus, *Samaritanus* dicatur? conjecturis, dum alia desunt, agendum est, ut aliquid vero proximum assequamur. Character iste hoc vocabulo: *Samaritanus*, multo antiquior est; cum Samaria ipsa sub Amri rege Israëlis denique condita sit, (y) circa annum ante æram CHRISTI nongentesimum vicesimum tertium. Samaria subinde bis a Salmanassare capta, Israëlitis in Assyriam traductis, (z) Assur-Haddon rex Chutæos, & alios ex Babylone, Media, & Persia, Samariam deduxit. (a) Chutæi a leonibus infestati in lege Dei instituti sunt per sacerdotes Hebræos, (b) etsi successu plane infelici. Novi isti Incolæ sensim etiam Chananæorum linguam, & literas usurparunt, quippe pauci ipsi inter plures ejus regionis populos collocati. Sub Macchabæis Principibus novi isti Samaritani sæpe victi, & pars a Judæis subacti sunt: ipsaque Samaria ab Hyrcano occupata, & eversa est. (c) Subjecti ergo Judæis vicini Samariæ populi, & alioqui terræ, quam incolerent, lingua, & moribus, literisque imbuti, nullus dubito, quin Chananæo etiam, seu Hebraico civili charactere omnino sint usi. Eversis denique sub Tito, & Hadriano, atque varias in terras dispersis Judæis, apud eosdem civilis hæc lingua, & character exolevit; cum ejus regionis, in qua viverent, civili lingua, & charactere uti cogerentur, quin tamen sacrum alterum characterem, arcte religioni illigatum, unquam oblivioni darent. At *Samaritani* isti, qui tum se Judæos esse negabant, quippe origine, &

* Paucorum recentiorum hæc sententia plus fortasse novitatis habet, quam veritatis.

(y) Lib. III. Regum Cap. XVI. Versu XIV. (z) Libro IV. Regum Cap. XVII. & XVIII.

(a) Lib. IV. Capite XVII. Versu XXIV. (b) Ibidem Versu XXV.

(c) Josephus variis in locis, præcipue Lib. XIII. antiq. Cap. X.

& ſchiſmate religionis a Judæis alieni, ſuis in ſedibus relicti, uſitatum ad id uſque tempus characterem retinuere: atque hanc eſſe veram cauſam arbitror cur, poſt Judæorum diſperſionem character ille Hebraicus antiquus, civilis, & numis illatus, *Samaritanus* ſero denique ab Hebræis diceretur.

Non ignoro, eſſe Viros doctos, qui diverſa ſentiant, quique Aſſyrium characterem ex Aſſyria captivitate ab Esdra allatum, vel inventum, & ad ſcribendas Sacras Literas inductum putent.

Equidem S. Hieronymus in Prologo Galeato: *Certum eſſe*, ait, Esdram Scribam, Legisque Doctorem poſt inſtaurationem templi ſub Zorobabele alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur; cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint. Tum porro & Hieronymus, & ante eum Origenes (teſte Montfauconio Palæographiæ Græcæ Lib. II. Cap. I.) in Græcis Sacri inſtrumenti codicibus melioribus, nomen DEI Tetragrammaton Samaritano charactere expreſſum ſe deprehendiſſe memorant; quæ res argumento eſt: Sacrum etiam characterem Samaritanum veteribus Hebræis fuiſſe.

Sed, ut candide dicam, quod ſentio, plus me S. Hieronymi autoritas, quam illa Divini Nominis ſcriptura movet. Nam quid vetat, codices illos Græcos a Samaritanis ad Chriſtum converſis, & Græce doctis exaratos fuiſſe? Certi ſane nihil inde confici poſſe exiſtimo. Porro autem S. Hieronymi ſententiam de Esdra ita accipio, ut reperiſſe creditus ſit characterem, quem priſtino nitori, ac puritati reſtituerit. Profecto Sacræ Hiſtoriæ de inventis ab Esdra literis altum ſilentium, & religioſa Judæorum, tum DEO fidelium, in ſervandis Sacrorum ritibus, & ſignis etiam externis pertinacia faciunt, ut de novo omnino inducto charactere merito dubitetur.

CAPUT II.

Hebraici numi ſinceri qui vetuſtiſſimi? & quorum manibus ſignati?

ILlud iſthic diſceptandum ſuſcipimus: ecquandonam Hebræi monetam propriam ſuo charactere inſignem, procudere cœperint: deinde quorum id opera, manibusque præſtitum ſit? Sacræ Scripturæ teſtimonia quædam ab eruditis proferuntur, e quibus conficere volunt: jam inde ab Abrahami temporibus monetam Hebraicam eſſe accerſendam. Geneſis Capite XXIII. Verſu XVI. *Argenti probatæ monetæ publicæ* (d) quadringentos ſiclos Abraham appendiſſe refertur.

Eodem Geneſeos libro, Capite XXXIII. ſub finem: Jacob agrum emiſſe narratur centum agnis; ſed ejus agri emptio in Actis Apoſtolorum Capite VII. Verſu XVII. argento transacta refertur; quare agni

U illi

(d) In Hebraico eſt: הכסף עבר לסחר: argenti tranſeuntis ad negotiatorem, in Chaldaico pariter: quadringentos ſiclos argenti, quod recipiebatur pro mercimoniis in unaquaque provincia. In Græco ſimiliter: Ἀργυρίȣ δοκίμȣ ἐμπόροις.

illi in argento ſignati intelligendi videntur. Deinde proferuntur numiſmata quædam Davidis, & Salomonis regum nominibus inſcripta, quæ illis ſaltem temporibus propriam Hebræis monetam fuiſſe perſuadent: præterquam quod veriſimile eſſe non putent, populum admodum opulentum, & negotiationibus mire deditum, adeo longo tempore uſque ad Macchabæos Principes, moneta propriæ ſignaturæ caruiſſe.

Me tamen hæc omnia non adducunt, ut valde probabile putem, ante Macchabæorum ætatem Hebræos propriam ſuo charactere monetam ſignandam curaſſe. Sacri Libri aut de argenti Siclo, ſeu pondere loquuntur, atque idcirco fere *appendi* eas pecunias perhibent, non numerari: * aut ſi quando de veris, ſignatisque numis agitur, nuſquam adjungitur: eam Hebræorum monetam fuiſſe; ſed Hebræorum pretia ſiclis, & ſicli partibus, id eſt aſſe, & unciis libræ exprimuntur. Aliorum porro populorum monetis Hebræos libere, ac citra religionis violandæ metum uſos fuiſſe, etſi humanæ in eis imagines expreſſæ haberentur, luculenter Divini Servatoris probat exemplum; qui, dum Cæſaris monetam inſpiciens, rogaret præſentes: cujus ea eſſet imago? illique, Cæſaris eſſe reponerent; ſubjecit: *Date ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt DEI, DEO.* (e)

Quod numos quosdam Viri etiam eruditione percelebres produxerint, Davidis, Salomonis, aut, ſi Superis placet, etiam Samuelis, Jobi, Moſis, imo ipſius Adami nominibus inſcriptos: ii numi maximam partem adulterini ſunt, præcipue, qui Aſſyrium characterem oſtentant: alii infeliciter lecti ſunt; quod ſine præſtantiſſimorum quorundam Virorum imminutione famæ dictum velim, quorum non modo eruditis conatibus, ſed ipſis etiam erroribus debemus, ſi minus jam erramus. Sane, re numaria Hebraica ad clariorem tandem lucem promota, recentiſſimi ſcriptores Harduinus, & Soucietus, alios, quam Simeonis Macchabæi numos certos, & vere antiquos ſuis catalogis nullos intulere. Unum, & alterum infelicis lectionis exemplum inferius dabimus, ubi numos Hebraicos percenſebimus, quibus adulterinos quoque ſubnectemus.

Quod additur de incommoda apud negotioſam, divitemque gentem appendendi pretii ratione tanto tempore vix admittenda: repono Chinenſium morem, quantæ, quam opulentæ gentis! quæ (ut perhibet R. P. du Halde S. J. in ſuo elegantiſſimo opere (f)) jam ter mille annorum tempore merces prope omnes argenti infecti, ſeu non ſignati pondere compenſat, præter paucas quasdam monetas æneas, quibus minuta pretia perſolvuntur. Hebræis vero vicinorum populorum monetæ plus etiam præſtare poterant, quam ænei illi aſſes Sinarum commerciis famulentur. Compenſatis itaque momentis omnibus certi nullo modo ſumus, ante Macchabæorum Principum ætatem

* Vide notam *d.* ubi in codice Græco, Hebraico, & Chaldaico nihil de ſignata moneta. Igitur probatæ monetæ, exponendum eſt: probati valoris argenti, vel ponderis, recepti apud mercatores. (*e*) Matthæi Cap. XXII. Verſu XX. (*f*) Du Halde Deſcription de l'Empire de la Chine: Tom. II. page CXCVII. edition d'Hollande.

tem Hebraicos numos, proprio gentis typario, & charactere signatos fuisse; quando nec a Sacro Instrumento, nec e numis ipsis testimonium afferri pro antiquiore moneta satis firmum potest; ast pro Macchabæorum numis utrumque potest. *

De Macchabæorum igitur numis, quorum certissima constat ætas, si porro quæramus: cujus populi manibus, atque opera conflati, percussique fuerint; mirum fortasse cuiquam videbitur, ecquid ambigatur: an ab alio demum, quam Hebræo populo Hebraici numi essent efformati? sed scrupulum istum injecit Eruditissimus Harduinus, (g) qui Simeonis Macchabæi, aliosque ejuscemodi numos a Samaritanis elaboratos, sed Hebræorum tamen jussu, & usui id factum arbitratur. Sententiæ huic firmandæ e Sacris Literis argumentum petitur illo Exodi præcepto: (h) *Non facies tibi sculptile, &c. & non adorabis ea.* P. Harduinus cum nonnullis censet, Judæos duo sibi vetita credidisse: unum, ne SIBI sculptile facerent: alterum, ne a quovis factum adorarent. Prius præceptum cæremoniale, ac temporarium: alterum Divini juris, ac æternum fuisse arbitratur. Atque id causæ datur, quamobrem Simeon Macchabæus monetæ signandæ labores Samaritanis, tum sibi subjectis, commiserit; ut nempe Samaritani (qui eadem Moysis lege, etsi ἑτερόδοξοι tenebantur) efformarent quidem, ac procuderent numos, sed non SIBI, verum Hebræis: Hebræi autem uterentur moneta sua, sed ab aliis elaborata. Porro hinc in aperto esse, ait P. Harduinus, cur Hebraïci numi Samaritano charcctere inscripti compareant; quin sit opus ad duplicem Hebræorum characterem, aut incertam aliquam literarum transmutationem confugere.

Subtiliter hæc animadversa esse lubens agnosco: sed sunt non pauca, quæ huic sententiæ adversentur. Nam primo rerum earum formas sculpere, quæ nihil animatum referrent, quæque ad ornatum, aut sacrorum apparatum facerent, nunquam sibi Hebræi religioni duxere. Imperata ab ipso Deo, ac designata sacrorum ornamentorum fabrica id luculenter comprobat. (i) Porro Macchabæorum tempore id licitum sibi etiam religiosissimum Principem Simonem censuisse invicte demonstrat Mausoleum Macchabææ familiæ ab ipso Simone constructum, in quo constituit *arma in memoriam æternam: & juxta arma naves sculptas, ut viderentur ab omnibus navigantibus mare.* (k) Quando igitur in sinceris Hebræorum numis nullam rei animatæ imaginem insculptam offendimus; haudquaquam necesse est Samaritanos numorum Hebraicorum fabros comminisci. Deinde de Simone mihi id persuadere non possum, ea aliis, ut facerent, imperaturum fuisse, quæ facere sibi, suisque nefas duceret. Denique Samaritani illi, qui numos Hebræorum fabricassent, aut Hebræis subjecti fuissent, aut sui juris? Si primum: cur non Hebræo charactere (diversum quippe ab Hebraico civili videtur P. Harduinus characterem Samarita-

* Vide Caput sequens, & numos ipsos. (g) Chronologia Veteris Testamenti. (h) Exodi xx. Cap. Versu iv. & v. (i) Exodi xxv. Capite, & Lib. iii. Regum Capite vi. &c.
(k) Lib. i. Macchab. Cap. xiii. a Versu xvvii. usque ad xxx.

num credere) Hebræorum dominorum numi ſignantur? Si alterum; ſane nunquam Samaritani liberi, & Judæis ob ipſum templum infenſi ſculpſiſſent: *Jeruſalem Sancta*, quippe qui negabant, Hieroſolymis DEUM eſſe adorandum. (l)

Itaque numi Hebraici Macchabæorum tempore procuſi, & charactere, quem poſteri Samaritanum dixere, ut præcedente Capite oſtendi, ſed reipſa Hebraico profano inſignes, ipſorum Judæorum opera, manibusque ſalva religione ſunt fabricati. Unum hic de quorundam numorum ætate ſolvendum eſt dubium. Numiſmata illa, quæ ipſum *Simonis* nomen, aut *Redemptionis Sion*, vel *Liberationis Jeruſalem* epigraphen oſtentant, extra dubium eſt, ad Macchabæorum ætatem referri oportere. Verum aliæ quædam ſinceræ item Hebræorum monetæ, in quibus legitur: *Siclus Iſraël*, & *Jeruſalem ſancta*, nonnullis Viris eruditis (m) videbantur non poſſe ad Macchabæorum, aut iis vicina tempora revocari, propterea, quod populus electus e captivitate redux, ad ſolam fere tribum Juda redactus, *Judæorum* potius ab eo tempore nomen ferret, quam *Iſraëlis*. Sed obſervatiunculam iſtam aperte refellunt Sacræ Literæ, & numi. In libris Esdræ, & Macchabæorum totidem propemodum vicibus *Iſraëlis*, quot *Judæorum* vocabulum uſurpatum deprehendimus. Numiſma præſtantiſſimum, e cimeliarchio regis Galliarum protulit Eiſenſchmidius in præclaro illo de menſuris, & ponderibus libello, (n) quod idem, aut aliud ei perſimile vidit P. Harduinus, (o) & ſuo loco proferemus; id ita habet: *Simeon Princeps Iſraël*, & altera facie: *Anno primo Redemptionis Iſraël.* Eſt igitur Iſraël nomen Hebraico populo etiam Macchabæorum tempore publico in inſtrumento adſcriptum. Itaque, ſi quis me audiat, numos Hebraicos, quorum catalogum inferius dabimus, id eſt: omnes, quos ad hoc tempus productos novi, Simeonis Macchabæi ætati adſcribere oportet; alios quidem certo, & ob id, quod ipſi offerunt, inſcriptionis indicium: alios probabiliter, propter fabricæ, & epigraphes ſimilitudinem; atque propter ea quoque, quæ de quatuor duntaxat annis, monetæ Hebraicæ inſculptis, ſequenti Capite diſceptabuntur.

CAPUT III.

Simeonis Macchabæi numiſmata, aliaque ſimilia, quo anno æræ Seleucidarum ſignari cœperint, quo deſierint?

CErtiſſima Simeonis Macchabæi numiſmata primas aliquot alphabeti Samaritani literas ſeorſim, epochæ more, inſculptas habent, quibus anni numerum indicari e Sacris Libris mox deinde demonſtrabimus. Quanquam id ipſum alia id genus numiſmata ſatis conteſtentur, in quibus diſerte: *Anno primo &c.* legitur. Quoniam vero monetæ illæ, quæ annorum notis ſignatæ ſunt, has fere inſcriptiones præ ſe ferunt: *Simeon Princeps:* item: *Redemptionis Iſraël*, vel *Liberationis*

(l) Joannis Cap. IV. Verſu XX. (m) Waltonus in Prolegomenis ad Biblia polyglotta Londinenſia.
(n) Sectione I. Cap. IV. & Tabella I. (o) Annales Vet. Teſtam. de Moneta Hebræor. §. I. & II.

nis, seu *Libertatis Jerusalem:* vel denique *Redemptionis Sion.* Epocha, unde anni in numis supputantur, vel Simeonis ipsius, vel liberationis Jerusalem dici potest, neque quidquam refert, utrum eligas. Illud vero diligentius inquirendum, quo æræ Seleucidarum anno, quove rege Syriæ indulgente, adserta in libertatem urbe numos proprios Simeon flandos, feriundos primum curarit.

Duobus in locis ejusdem Libri I. Macchabæorum mentio saltem implicita, fit de indulta a Syriæ regibus Simeoni signandi proprii numismatis potestate; qui cum in speciem alter cum altero pugnent, utrumque afferre, atque ita consensum patefacere libuit. Libro I. Macchabæorum Capite XIII. ita legimus epistolam a Demetrio II. ad Simeonem scriptam: Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, & amico regum, & senioribus populi Judæorum salutem. Coronam auream, & bahem, * quam misistis, suscepimus: & parati sumus vobiscum facere pacem magnam, & scribere præpositis regis, remittere vobis, quæ indulsimus. Quæcunque enim constituimus, vobis constant. Munitiones, quas ædificastis, vobis sint. Remittimus quoque ignorantias, & peccata usque in hodiernum diem, & coronam, quam debebatis: & si quid aliud erat tributarium. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, & sit inter nos pax.

Finita epistola ita sacer historicus narrationem prosequitur: „ Anno CLXX. ablatum est jugum gentium ab Israël, & cœpit populus Israël scribere in tabulis, & gestis publicis: Anno primo sub Simone sacerdote magno, Duce, & Principe Judæorum.

Hæc omnia, modo recensita, gesta sunt anno æræ Seleucidarum Juliano CLXXI. ante veris initium. Deinde post veris initium mense secundo capta arce Sion, ac celebratis idcirco solemnibus festis, constabilita est liberatio Jerusalem, & firmatus Simonis principatus. Tum igitur signari cœptos Simonis numos existimo, in quibus manifeste ea expressa leguntur, quæ sacra Historia ad hæc tempora enarrat: atque adeo annus primus epochæ numorum Hebraicorum respondet anno Seleucidarum CLXXI. tam Juliano, quam Judaico, Syromacedonico vero CLXX. Neque obstat: recitato paullo ante loco haberi: *Anno CLXX. ablatum est jugum gentium ab Israël, & cœpit populus Israël scribere &c.* Nam non additur: eo ipso mense scribere cœpisse populum *anno primo &c.*; sed intra idem anni civilis spatium, quod numi demonstrant; qui cum *Liberationis Sion* mentionem distinctam faciant cum anni notis; Sion vero mense secundo, seu in vere anni Judaici CLXXI. occupata sit, (p) patet initium hujus epochæ incidere in annum æræ Seleucidarum Judaicum CLXXI. Syromacedonicum vero labentem CLXX.

Equidem statutum hoc epochæ numorum Hebraicorum initium cum Capite XII. Libri I. Macchabæorum mirabiliter concordare ex ipsis Hebræorum numis inferius clare dispiciemus, ** sed obturbare

X aliquid

* In Græco habetur βαΐνην, id est ramum, nempe aureum, offerri solitum.
(p) Lib. I. Macchab. Cap. XIII. sub finem. ** Capite V. hujus Partis.

aliquid videtur ejusdem Libri I. Caput XV. Referuntur illic ſplendida promiſſa, quibus Antiochus Evergetes, Demetrii II., ab Arſace jam capti, frater populum Judaicum ſibi devincire, & a Tryphone avertere contendebat. Verba Antiochi regis ad Simonem Macchabæum ſcripta ita habent: *Nunc ergo ſtatuo tibi omnes oblationes, quas remiſerunt tibi, & permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua.*

Hoc loco diſerte exprimitur *permiſſio proprii numiſmatis*, de qua in epiſtola Demetrii II. ad Simonem verbum nullum. Hæc vero Antiochi Evergetæ epiſtola data eſt anno Seleucidarum vel CLXXIII., vel CLXXIV. Huc igitur initium epochæ in Simonis numis ſignatæ ſubmovendum videtur. Accedit huic ſententiæ aliud e numis ipſis momentum. Simonis Macchabæi numiſmata tantum primum, alterum, tertium, & quartum æræ novæ annum exhibent; cum tamen Simon ab expugnata arce Sion per annos octo Hebræis præfuerit, quippe, ut in Annalibus oſtendemus, anno demum CLXXVIII. a Ptolemæo ſocero ſuo interfectus. Itaque ſi a capta arce Sion epochæ novæ Hebraicæ initium in numis etiam ducatur, ratio dari poſſe non videtur: eccur quatuor primos duntaxat ab iſta æra Simonis annos numi, at e conſequentibus quatuor nullum omnino commonſtrent? ubi contra, ſi numorum Hebraicorum epocham anno CLXXIV. affigamus, ultro ejus rei ſeſe cauſa manifeſtat; cum in quatuor non amplius annos vitam ſuam Simon ab hoc tempore produxiſſet.

Standum tamen eſſe priore illa ſententia, quæ numorum Hebraicorum æram ab anno CLXXI. ſupputat, ex peculiari illo numorum cum Capite XIII. Libri I. Macchabæorum conſenſu citra dubium colligo; neque ſane numorum æra ſejungi ab illa poteſt, cujus diſerte ſacra Hiſtoria meminit: eandem eſſe inſtrumentis publicis uſurpatam. Porro difficile non eſt, hunc ſacræ Hiſtoriæ locum cum antea laudato conciliare. Nam quod Antiochus ad Simonem ſcripſerit: *Permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis:* fecit hac in re, quod nonnulli reges ſolent: ſua autoritate factum videri volebat, quod alioqui fiebat: atque illud indulſiſſe optabat, quod ita facile tollere non poſſet.

Quanquam confirmabat potius a fratre Demetrio II. jam indulta Antiochus, quam nova conferebat beneficia; illa quippe verba: *permitto tibi*, e præcedentibus exponi debent, ubi iterato ea ſe dare, ac remittere profitetur, quæ alii ante ſe reges contuliſſent. Hæc explicatio Latini interpretis ad Græci codicis ſententiam plane accommodata eſt; ſic enim laudato loco Græcus interpres: (q) Νῦν ȣ̃ν ἵςημί σοι πάντα τὰ ἀφαιρέματα, ἃ ἀφῆκάν σοι οἱ πρὸ ἐμȣ̃ βασιλεῖς· ϗ ὅσα ἄλλα ἀφέματα ἀφῆκάν σοι, ϗ ἐπέτρεψάν σοι ποιῆσαι κόμμα ἴδιον νόμισμα τῇ χώρᾳ σȣ. Hæc ad verbum ita latine ſonant: *Nunc ergo ſtatuo tibi omnes ablationes, quas remiſerunt tibi reges ante me: & quaſcunque alias remiſſiones remiſerunt tibi,* & PERMISERUNT *tibi facere percuſſuram proprium numiſma regioni tuæ.*

Deinde

(q) Lib. I. Macchab. Cap. XV. Verſu V.

Deinde ratio ſatis congrua ex ipſa ſacra Hiſtoria peti poteſt, quamobrem quatuor duntaxat priores anni in Simonis moneta ſignati compareant, reliqui quatuor non item. Antiochus Evergetes egregia quidem promiſſa Judæis obtulit, data ad Simonem epiſtola intra annum CLXXIII. & CLXXIV. Sed pacta omnia illico violavit, cum vix anno CLXXIV. Syriam tenuiſſet; nam & munera a Judæis oblata reſpuit, & arcem Sion, aliaque munita loca repetiit, additis minis, ni imperata facerent: quæ omnia Libro 1. Macchabæorum (r) enarrata habentur. Equidem Simon Macchabæus, quæ injuſte repoſcebantur, nequaquam Antiocho cedere conſtituit; ſed ne alienatum regis præpotentis animum amplius irritaret, & ſpem aliquam reſtituendæ pacis interea foveret: a ſignandis porro propriis monetis abſtinuit; quod abſolutæ libertatis, ac poteſtatis quaſi regiæ indicium illud monetæ propriæ feriundæ exercitium præ ſe ferret. Fortaſſe etiam ſcrupuli aliquid apud Judæorum primores ſubnatum eſt, qui nimia religionis cura anxii quererentur: ſculptilium fabricam, & uſum hiſce monetis procudendis populo ſancto nimium familiarem fieri; ut ita Simeonem a numis ſignandis multi amplius abſtraherent. Sane conſequentium principum, regumque Judææ nulla ſunt inventa numiſmata, quæ quidem certa ſint, uſque ad Herodem Idumæum, aut forte Antigonum; Herodis numi Græco charactere inſignes proferuntur. Sileo hic de numo Simeonis, cujus cum anno VI. Spanhemius meminit: ſed is numus nuſquam viſus eſt, nec Sphanhemius (hic minus, ac alias accuratus) cimelium ullum nominat.

CAPUT IV.

De veteris Hebræorum monetæ nominibus, materia, forma, pondere, valore.

ANtequam vetera Hebræorum numiſmata ordine recenſeamus, ad majorem de iisdem notitiam lectori prævie explanandam hic quædam prælibare viſum eſt. Hebraicæ monetæ, eademque ponderum nomina ſunt: *Siclus*, *dimidius ſiclus*, *tertia pars ſicli*, ſeu triens: *quarta pars*, ſeu quadrans *ſicli*. Demum *Obolus*, Hebraice *Gbera*.

Siclus שקל vocabulum *eſt ponderi* proprium, a radice שקל *ponderavit*. Primum enim, ac diuturno tempore pondere argenti, aut æris pretia rerum apud Hebræos appendebantur, uti apud Romanos, & haud dubie apud alias itidem gentes olim eſt factitatum. Subinde idem *Sicli* vocabulum monetæ inditum, quæ ſicli pondus, aut pretium æquaret, uti numi librales, ſeu Aſſes primi apud Romanos. Sicli Hebræis erant numi argentei, & æenei. Nonnunquam loco ſicli argentei ponitur tantum *argentum* Hebraice כסף *Keſeph*; attamen hoc vocabulum ante Macchabæorum tempora uſurpatum, vel de rudis argenti pondere, vel de argentea aliarum gentium moneta accipiendum cenſeo. Nonnulli ſiclum integrum vocant *ſiclum majorem*, vel *ſiclum ſanctuarii*; & volunt

 eun-

(r) Lib. 1. Macchab. Cap. xv. Verſu 1. &c. item Verſu xxv. &c.

eundem *a profano ſiclo*, quem ſacri dimidium faciunt, omnino fuiſſe diverſum. Sed hæc jam ſunt egregie ab aliis confutata, atque inter eruditos ſatis convenit: ſiclum integrum unius generis fuiſſe; qui nonnunquam ſiclus ſanctuarii appellaretur, quod in ſanctuario offerretur: aut quod pondus primarium in templo aſſervaretur; quemadmodum apud Romanos pondus Capitolinum eandem ob cauſam dictum eſſe, ipſa antiqua pondera ſua inſcriptione (s) conteſtantur.

Siclus integer (Græce Στατὴρ *Stater* dictus) pondus granorum CCXXIX. quam proxime exæquat; Grana vero hic ſumimus libræ Venetæ, quæ eadem Norimbergenſis, pharmacopolis etiam noſtratibus uſitata, qua deinceps velut ponderum comparandorum regula utemur. Eſt iſta libra diviſa in uncias XII. more Romano, uncia in drachmas VIII. drachma in grana LX. Siclus igitur numiſma erat Τετράδραχμον, quatuor drachmarum, quale etiam a Flavio Joſepho (t) nomen ſiclo tribuitur. Sed aliquid tamen Joſephus peccat, dum ſiclum quatuor drachmas Atticas appendere adſerit: cui ſententiæ frequentes numi Attici argentei Τετράδραχμοι (quales & nos ponderavimus) aperte refragantur, qui granis LV. Hebraici ſicli pondus fere excedere obſervantur.

Dimidius ſiclus חצית שקל appendit grana memoratæ libræ CXIV. cum dimidio fere.

Tertia pars ſicli שלישי שקל eſt pondere granorum LXXVI. cum una tertia quam proxime.

Quarta pars ſicli רבעי שקל granis LVII. cum una quarta grani parte ſatis reſpondet. Utrum vero in ſacris literis Hebraicum illud: דרכמון (u) & alterum אדרכון (x) melius vocabulo: *Drachma*, aut *numus Daricus* exprimatur, inter nonnullos lis eſt; forte Daricus numus aureus drachmam appendit unam, vel plures. Quare cum drachma ſit quarta pars ſicli, modo adſcripta vocabula Hebraica *Darchmon*, & *Adarchon* hic non erant prætereunda.

Obolus, Hebraice גרה *Ghera*, aut אגורה *Agora* (cui plane congruit Græcum ἀγορὰ *emptio*) erat viceſima ſicli pars, atque adeo pondere granorum XI. ac dimidii, quam proxime. Ea Oboli ad ſiclum ratio in ſacro Codice perſpicue docetur. (y)

Hodie vetus Hebraica moneta argentea habetur pondere ſicli, dimidii item ſicli, ac tertiæ, & quartæ partis. Ænea numiſmata etiam ſiclo graviora producta ſunt, repertumque eſt, quod ſeſqui tertium ſiclum appenderet. Minores porro ex ære numi varias obolorum ſummas, vel ſicli partes pondere exæquant, quæ varietas ad rerum minutarum diverſa pretia perſolvenda multum commodi afferebat.

In

(s) Vide Montfaucon Antiquit. Tom. III. Item Sponii Miſcell. Item Fabretti Inſcript. &c.

(t) Joſephus Lib. III. antiquit. Jud. Cap. VIII.)(In Græcis Bibliis nonnunquam ſicli loco ponitur: Δίδραχμον, duæ drachmæ: ſed huic verſioni numi reclamant; niſi drachma dupli ponderis eſſe ſtatuatur, quam fere ſoleat ſtatui. (u) Lib. II. Eſdræ Cap. VII. Verſu LXX. (x) I. Paralipom. Cap. XXIX. Verſu VII. & I. Eſdræ Cap. VIII. Verſu XXVII.

(y) Exodi Cap. XXX. Verſu XIII. & Levitici Cap. XXVII. Verſu XXV. & Numeror. III. Verſu XLVII.

In æſtimanda ponderum Hebraicorum ratione ſecutus ſum ſententiam doctiſſimi P. Villalpandi, cum quo ſolertiſſimus Eiſenſchmidius conſentit. Propria vero experientia id mihi confirmare conſtitui, quod iſti ante adſeruiſſent. Itaque expendimus ad libram Norimbergenſem pharmacopolis uſitatam ſiclum argenteum perpulchrum cimelii bibliothecæ Windhagianæ Viennæ Auſtriæ, qui grana CCXV. juſtis momentis ſuſtinebat: deſunt quidem grana fere XIV. ad CCXXIX. Sed facile vetuſtate tantillum deteri, aut monetarii incuria negligi potuit. Appendimus quadrantem ſicli argenteum cimelii noſtri, in cujus una facie *Simeon* ſcriptum intra lauream, in altera duæ tubæ: is multum attritus, aut potius ab avara manu fere tertia ſui parte mutilatus eſt; unde ponderabat tantum grana XXXVIII. abſumptis, quæ deerant, granis XIX.

Examinati ſunt etiam æneï numi: primus medii moduli noſter, palmam arborem, & folium, vel radicem ex altera parte exhibens, qui erat pondere granorum CLXIII., qui cum attritus ſit, videtur olim appendiſſe XV. Obolos, id eſt grana CLXXII. cum dimidio. Alter, medii item moduli numus noſter, in quo legitur: *Redemptionis Sion anno quarto*, æquabat pondus granorum XCV., quæ a dimidio ſiclo granis circiter XIV. deficiunt. Hic numus, cum omnino integer ſit, docet nos, monetarii negligentia pondus ſemiſicli exactum non fuiſſe, exiguo in æneis monetis diſpendio. Hanc monetariorum negligentiam plane comprobat numus noſter alius, ſed ſimillimus modulo, ære, ac typarii forma numo modo relato; hic poſterior tamen, etſi aliquantum attritus, integro illo priore gravior eſt granis XVI. Alius noſter, parvi moduli, botrum hinc, inde palmam oſtendens, grana ſiſtebat LXXIII., fuit igitur ſicli triens, a quo abeſt granis III. Bibliothecæ Windhagianæ numus æneus mediæ formæ, & noſtro primo ſimilis, pari fere erat pondere, nempe granorum CLXVI., igitur etiam XVI., vel XV. obolorum fuit. Denique parvulus æneus *anno ſecundo* inſcriptus, modicum attritus, qui appendit grana XXXVI., triobolaris erat.

Quoniam ad accuratiorem rei monetariæ, & ponderum Hebraicorum cognitionem non parum confert, probe exacta habere complura numiſmatum Hebraicorum pondera; adſcribam pondera numorum aliquot, quæ Eiſenſchmidius Pariſiis obtinuerat, plumbo compenſata. Erant numi ænei ſex, I.mus ponderabat grana libræ Pariſinæ ordinariæ CCCVI. II.dus CCLXVIII., III.tius CCXVI., IV.tus CVIII., V.tus XLVII., VI.tus LXXXI. Porro ut Pariſina grana ad grana libræ Norimbergenſis, ſeu Venetæ, qua nos uſi ſumus, reduci poſſint; animadvertendum eſt, unciam libræ hujus noſtræ eſſe ad unciam libræ Pariſinæ, teſte Eiſenſchmidio, ratione ponderis, ut 562. ad 576. Noſtra deinde uncia complectitur grana noſtra 480; Pariſina contra conficitur ſuis granis 576. Igitur pondere ipſo grana noſtra quotcunque erunt ad grana totidem Pariſina, ut 562. ad 480., & Pariſina grana ad noſtra, ut 480: 562.; quod ita breviter demonſtro. Sit granum unum unciæ Pariſinæ = p, &

unum item granum unciæ Norimbergensis = n; ratio unciarum 576:562 sit = a: b, denique 480. = c. Igitur, uti ex hypothesi, & experimentis habetur, erit:

576 p: 480 n = a: b. (seu) a p: c n = e: b

Jam dividendo utrumque antecedens per a erit:

p: c n = 1: b

Multiplicando media, & extrema, p b = c n.

Solvendo hanc æquationem in analogiam p: n = c: b.

Id est: granum Parisinum ad Norimbergense = 480: 562., vel brevius, ut 340: 281. Et invertendo; Norimbergense ad Parisinum = 562: 480., vel brevius, uti 281: 240. q. e. d.

Jam vero datum quemvis numerum granorum Parisinæ libræ ad numerum granorum libræ Norimbergensis (ita ut idem pondus sit utrobique) facile reducemus, statuendo: ita numerum datum granor. Paris. fore ad quæsitum; ut est 281: 240., vel 562: 480. Exempli causa: Eisenschmidius sicli pondus ad libram Parisinam exactum definit granorum 268. Si idem pondus velis in granis Norimbergensibus, ponenda, erit hæc proportio directa, 562: 480. = 268: x, vel 281: 240. = 268: x, erit x numerus granorum libræ Norimbergensis siclo æquiponderantium, nempe $x = \frac{240.268}{281} = 229.$ fere. Si Norimbergensium granorum numerum ad Parisiensia grana reducere velis, patet, terminos proportionis invertendos esse. Sed de ratione ponderum satis.

Valor monetæ argenteæ Hebræorum (nam de aurea nihil certi compertum habeo) omissis minutiarum, ac dubiorum tricis, optime definitur, si siclus argenteus integer æquo esse pretio statuatur cum duabus libris Gallicis (II. *Livres, ou* II. *Francs*) quæ hisce annis æstimabantur simul sumptæ XVI. grossis Cæsareis, seu Austriacis. Ita semisiclus valet unam libram Gallicam, seu octo grossos Cæsareos, ita reliqua cum proportione. Argenteæ juxta, ac æneæ monetæ valor ad obolos quinque redigi, atque ita commode cum Gallicis solidis (*Sols*) comparari potest. Nam cum XX. oboli siclum, perinde atque XX. solidi libram Gallicam conficiant; patet, obulum argenti duos solidos pretio æquare: in moneta nostrate obolus argenti Hebraicus æstimandus est cruciferis (ut vocant) duobus cum duabus quintis.

Ex argenteæ monetæ valore determinatur valor æneæ; nam cum pretium puri argenti sit fere ad pretium æris Cyprii puri (quod sit eodem, quo argentum pondere) ut 80: ad 1., facile erit ex cognito valore sicli, & partium sicli argentei valorem sicli, & partium sicli ænei deducere. Ita siclus argenteus valet 16. grossos nostrates, id est, 48. cruciferos; igitur siclus æneus dimidio crucifero nostrate plus $\frac{1}{10}$ æstimabitur: & sic de reliquis. Quod si quis aliam statuere velit rationem pretii argenti ad cuprum; sit illa a: c. Erit ita pretium cujusvis numi cuprei, ad argenteum ejusdem ponderis, ut c: a. Modulus, seu magnitudo monetæ Hebraicæ ex ejus iconismis, Tabula XVIII. propositis, colligatur.

CAPUT V.

Antiqua Hebræorum Numismata recensentur, & breviter illustrantur.

Videatur TABULA XVIII.

Æneus Maximi Moduli. 1. שמעון נשיא ישראל *Simeon Princeps Israël.* Intra coronam querceam. Eisenschmid. Harduinus.

שנת אחת לגאלת ישראל *Anno primo Redemptionis Israël.* Amphora stans.

2. Similis numus præcedenti, sed in ea facie, ubi corona querna est, post τὸ *Israël*, litera ש comparet: fortasse siclum, vel duos siclos indicans. Liberata urbe sancta, & populo Israël, seu Judæis, receptaque arce Sion, solemnia festa a Simone instituta, quot annis subinde celebranda: *Et cœpit populus Israël scribere in tabulis, & gestis publicis: anno primo sub Simone Sacerdote Magno, Duce, & Principe Judæorum. Lib. I. Macchab. Cap. XIII.* Corona quercea ob cives servatos data, aut gaudii symbolum; Amphora oblationes vini in Templo factas indicat. Souciet.

Argent. I. 3. שקל ישראל א *Siclus Israël primo anno.* Vas Cyatho simile. Villalpandus Kircherus.

ירושלם קדשה *Jerusalem Sancta.* Lilium. Vas illud alii putant repræsentare mensuram Homer עֹמֶר, quæ Manna capiebat, de qua Exodi Capite XVI. Versu XXXIII. Alii cyathum aureum, quali libamina offerebantur, de quo Exodi Capite XXV. Versu XXIX., & Numerorum Capite IV. Versu IV.

Lilium convallium putatur, de quo Canticorum Capite II. Versu I. Et Plinius Lib. XXI. Sect. XI. in Phaselide laudatissimum provenire memorat. Alii loco lilii virgam Aaronis se videre putant; sed imago est lilio similior.

Argent. II. 4. חצית שקל א *Dimidius Siclus. Primo anno* Cyathus. Kircherus. Villalpandus Waltonus.

ירושלם קדשה *Jerusalem Sancta.* Lilium.

Hunc numum paullo aliter Hebraicis characteribus expressum apud Kircherum inveni; sed ex Samaritana epigraphe, in imagine numi ibidem proposita, ita, uti hic posuimus, restituenda est lectio.

Æneus III. 5. . . . . . לחרת *Libertatis*, vel *Liberationis*, supple, *Israël*, vel *Jerusalem.* Pampinus. Noster. Harduinus Spanhemius.

שנת שתים *Anno Secundo.* Cyathus. In aliis amphora.

Similes tres numulos, sed pariter epigraphe manca, refert Spanhemius, in quibus amphora, uti in nostro: Calmetus similem videtur proferre voluisse; sed male illic habetur: יום חרת Harduinus cyathum loco amphoræ ponit. τὸ לחרת quidam legere: *Sculpturæ*, a radice חרת *sculpsit*; sed congruentius ad numos alios legitur: *Liberationis*, a radice חר seu חרר *liberavit.*

Æneus III. 6. לגאלת ציון *Ob Redemptionem*, vel *Redemptionis Sion.* Uva. Souciet.

שנת שתים *Anno secundo:* Calix, vel cyathus. Uva, & superius racemus, aut uberem vini proventum, aut oblationes, & libamina sacra indicat.

Argent. I. 7. שקל ישראל *Siclus Israël:* & supra Cyathum ב ש id est: *Anno secundo.* Harduinus.

ירושלים הקדושה *Jerusalem Sancta.* Lilium.

Duo Numi ſimiles in Cimeliarchio Regis Galliarum, unus etiam in Muſeo P. Chamillard S. J. a P. Harduino inſpecti ſunt.

8. *Dimidius Siclus*, & ſupra Cyathum ב id eſt: *Secundo anno.* Waſerus. Villalpandus

Argent. II. *Jeruſalem Sancta.* Lilium. Numus, ut numero 4.

Argent. III. 9. לחרות ציון *Ob Redemptionem Sion.* Uva. Souciet.

שנת שלוש *Anno tertio.* Vas coopertum.

Argent. III. 10. שלושי השקל ושראל *Triens ſicli Iſraël.* Et ſupra cyathum ג id eſt: *Tertio anno.* Waſerus Waltonus.

Jeruſalem Sancta. Lilium.

Argent. III. 11. רבעי שקל ושראל. *Quarta pars ſicli Iſraël.* Supra cyathum ד. id eſt: *Quarto anno.* Waſerus Waltonus.

Jeruſalem Sancta. Lilium.

Nonnulli literis א. ב. ג. ד. Siclum, dimidium ſicli, tertiam, & quartam partem ſignificari olim credebant; cum in nonnullis numis inſcriptio ipſa id docere videretur, uti in duobus, præcedente & iſto, item Numero 3. allato. Sed hanc obſervationem ſubruit numus Numero 4.; ubi dimidius ſiclus cum א habetur. Accedit: his literis ſolitariis non raro adſignatum eſſe characterem ש, quem שנת *Anno*, legendum eſſe, conſuadent numi, qui hoc vocabulum integrum exhibent. Vehementer etiam dubitatur, utrum poſtremi numi duo, Numero 10. & 11. alicubi exſtent: an a Waſero ad explendam ſeriem e conjectura ita deſcripti ſint? ſane e cimelio aliquo a nemine prolatos novi.

Æneus III. & Argent. III. 11. לגאלת ציון *Redemptionis Sion.* Cyathus. Noſter. Villalpandus Kircherus.

שנת ארבע *Anno quarto.* Manipulus ſpicarum inter duas olivas.

Primitiæ frugum oblatæ hic repræſentantur: Eſdræ Libro II. Capite x. Verſu xxxix. *Primitiæ frumenti, vini, & olei,* ad gazophylacium deportatæ commemorantur: quod & Simeonis tempore præſtitum eſt. Manipulus ſpicarum etiam Pentecoſtes feſtum denotare poteſt.

Kircherus, & Villalpandus ſimilem numum, literis fortaſſe fere extritis nacti fuiſſe videntur, in quo dubitantes legebant ita:

נגאלת בצום. *Redempta eſt Jejunio.* Altera ex parte etiam infeliciter in hoc numo legerant ex paucis literarum veſtigiis: שמואל נבו *Samuel Propheta.*

Alios Calmetus ſecutus eſt, nempe Seguinum, & du Moulinet, qui legebant loco *Sion,* nomen *Job.* Sed eſt in noſtris numis duobus lectio certiſſima, uti eam adſcripſimus. Calmetus loco olivarum, duos racemos manipulo adſtituit.

Æneus II. 13. *Redemptionis Sion.* Cyathus, ut in præcedente. Harduinus.

חצי . . . שנת ארבע *Dimidius ſiclus : Anno quarto.* Palma arbor inter duos frumenti modios.

Pal-

Palma celebre Judææ ſymbolum eſt, etiam in numis Imperatorum Romanorum, Veſpaſiani, Titi, Nervæ &c. Indicare etiam poteſt fructus hujus arboris dactylos, & caryotas, DEO oblatos.

Æneus III. 14. *Redemptionis Sion.* Palma arbor inter duos modios ſpicis plenos. Soucier.

Dimidius Siclus: *Anno quarto.* Botrus, aut nux pinea inter duos manipulos. Calmet.

Numiſma a Calmeto productum, cujus iconiſmum repræſentamus, videtur ejusdem formæ eſſe, cum hoc Soucieti numiſmate, cujus epigraphen bene legit Soucietus.

15. *Jeruſalem Sancta.* Lilium.

Argent. I. *Siclus Iſraël.* Cyathus, ſupra quo ד ש id eſt. ד שנת. *Anno quarto.* Villalpandus Kircherus. Waltonus. Bibliotheca Windhagiana.

Has duas literas Kircherus legerat: *Siclus David.* Aliter infelicius alii loco ד videre מ, & expoſuere: שלמה מלך *Salomon Rex.* Animadvertendum hic porro duxi, numos ſimiles cum litera, quam *Daleth* eſſe nonnulli credidere, fortaſſe pleroſque ad *Annum ſecundum* eſſe referendos; nam in Samaritano Alphabeto τὸ ד perſimile eſt τῷ ב, niſi quod ב inferne recurvum pedem habeat; τὸ ד vero perpendiculariter defluentem: alioqui nulla ſane eſſet inter hos duos characteres differentia. Vide tabulam Alphabetorum.

Argent. II. 16. *Jeruſalem ſancta.* Lilium. Waſerus.

חצית שקל. *Simidius Siclus.* Et ſuper cyatho ד ש id eſt: *Anno quarto.*

Argent. III. 17. שמען *Simeon.* Intra coronam lauream. Noſter.

. . . לחרות. *Liberationis*, ſupple *Jeruſalem*, ut in ſequente numo. Duæ tubæ, quarum integra, & bene expreſſa imago, etſi numus multum acciſus ſit.

Tubæ duæ repræſentantur in argento, quas Moyſes olim ex argento juſſu DEI duxerat, quarumque cantu caſtrorum Iſraël motus enim temperabatur, uti legitur: Numerorum Capite x. Verſu 11. Porro Macchabæorum etiam tempore ſacrarum tubarum nomen, & uſum viguiſſe teſtatur Liber I. Macchabæorum Capite xv. Verſu viii. Eſt hic numus a nemine (quod ſciam) editus.

Argent. III. 18. *Simeon.* Botrus. Calmet.

לחרות ירושלם. *Liberationis Jeruſalem.* Duæ tubæ. Non recte quidam in hoc numo ſe duas columnas videre putaverant, qui ſitu inverſo numum contemplati ſunt.

Argent. III. 19. *Simeon.* Botrus. Kircherus Harduinus. Calmet.

Liberationis Jeruſalem. Cinyra, ſeu lyra. Simeon libertate reſtituta DEO gratias perſoluturus, receptam arcem Sion intraſſe legitur: *Cum ramis palmarum, & Cinyris, & Cymbalis.* Libro I. Macchab. Cap. xiii. Verſu li. Kircherus in hoc numo loco: *Simeon,* legit *Samuel;* quia omnes literæ priores in Samaritano, & Hebraico congruunt: ultimæ vero aut extritæ, aut vitiatæ facile fallebant.

Æneus III. 20, *Simeon.* Intra Coronam. Villalpandus Kircherus.

Liberationis Jerusalem. Urceus stans, pone ramus. De Ramis palmarum, lætitiæ, & victoriæ Simonis signo, ad numum præcedentem dicta huc quoque pertineant. Non recte olim quidam loco: *Simeon*, legerunt: שמן עת *Tempus Unctionis.*

Æneus I. vel III. 21. *Simeon.* Ædes quatuor columnis fulta, in qua aliquid aræ simile. Kircherus. Calmet.

Liberationis Jerusalem. Manipulus cum eminente spica, vel folio: pone racemus erectus:

Videtur hic referri Mausoleum, quod Macchabæorum memoriæ Simon in urbe Modin excitavit; id describitur Libro I. Macchab. Cap. XIII. Versu XXVII. &c. Kircherus epigraphen mancam nactus, loco *Simeon*, legit *Salomon Rex;* quia tantum ש & מ comparebat, quas initiales literas putabat; error ex nummo integro correctus est.

Æneus II. & III. 22. *Simeon.* Palma arbor. Noster. Villalpandus Harduinus.

Liberationis Jerusalem. Botrus.

23. *Simeon.* Palma arbor cum fructibus. Noster. Waserus. Villalpandus Kircherus Liebe Bibliotheca Windhag. Harduinus.

Ænei varii. *Liberationis Jerusalem*, vel *Israël.* Imago aversæ partis dubiæ formæ est: eadem Kircherus repræsentari censebat radicem balsami: Rabi Moses Alascarus responso LXXIV. citrum: alii pampinum. Mihi Kircheri sententia placet; duos quippe similes numos satis bene conservatos inspexi. Attamen, præterquam in Plinio Harduini opera illustrato, & numis ornato, ubi legitur integre: *Liberationis Jerusalem Anno primo;* hujus numismatis inscriptio aversæ partis nullibi a me integra deprehensa est. Liebeus in simili Numo legebat: חרש הראש id est: *Sculpsit Princeps.* Villalpandus, & Kircherus legere: מול עת *Circumcisionis tempus.* Mihi vero comparatis diversorum numorum inscriptionibus visum est legere, uti positum vides: *Liberationis*, vel *Libertatis Jerusalem*, vel potius *Israël.*

Adversæ quoque partis epigraphe a Villalpando aliter exposita est, nempe מענו loco שמעון id est: *A pinquedine ejus*, loco *Simeon.* Error inde manavit, quod prima litera ש extrita esset, & נ simile τῷ ב, τὸ ו autem non debito ordine insculptum videretur; nam sunt fere in hisce numis literæ huc illuc per numi aream dispersæ. Quod ut manifeste discerneret lector, plures hujus commatis numismatum imagines exhiberi curavimus. Numisma Domini de Boze a P. Harduino allatum habet etiam τὸ נשיא *Princeps*, & ש vel redundans, vel deest litera א ut sit *Anno primo*, aut aliud significatur.

Argent. III. 24. שמעון *Simeon.* Intra coronam lauream. נשיא ישראל *Princeps Israël.* Amphora stans. Harduinus.

26. שמעון נשיא *Simeon Princeps.* Ramus palmæ intra coronam lauream. Kircherus.

השירו לשבאות אלהנו *Cantate Deo nostro Sabaoth.* Lyra.

Hoc numisma aut a Kirchero non satis distincte lectum, aut ejus iconismum male expressum fuisse, arbitror. Ex iis

enim

enim characteribus, qui in imagine numismatis comparent, aversæ partis inscriptionem, hic e Kirchero propositam, exsculpere nullo modo potui. Neque video cur לשבאות scribatur, cum potius לצבאות scribendum esset, ut Deus *Sabaoth*, seu *Exercituum* exprimeretur. Videor mihi autem veram lectionem satis certo deprehendisse; quam servatis characteribus, & vix quidquam in male formatis ductibus immutando, attamen literas male nexas dispungendo, ita repræsento: *Vide Tabulam* XVIII.

שׁאנת אחת לגאלת ושׂראל *Anno primo Redemptionis Israël.*
Numi iconem, uti apud Kircherum habetur, æri incidendam curavi; sed subjeci Samaritanam inscriptionem ita, uti dispungendam, & emendatius exprimendam judicavi.

Æneus III. 26. לגלות ושׂראל שנת אחת *Redemptionis Israël Anno primo.* Botrus. Harduinus. Souciet. e Cimelio D. de Boze.
In aversa parte Palma arbor, epigraphe vero literis incognitis expressa.

Forte Babylonici characteres, legendi: *Simeon Princeps.* Videatur Harduinus in notis, & emendationibus ad Plinii Lib. VIII. Sect. LVII.

APPENDIX

Numismata Hebraica adulterina, & recentioris fabricæ exhibens.

VIDE TABULAM XIX.

SInceris Hebræorum numis adulterinos jungimus; non quod speramus ex his tantundem eruditæ utilitatis, ac voluptatis percipi, quam ex antiquis posse; verum ut habeant harum mercium amatores, haud satis periti, eorum numismatum exempla, a quibus multo pretio emendis, aut æstimandis sese abstineant.

Æneus Maximi Moduli. 1. ארם וחוה *Adam & Eva.* Protome Adami & Evæ conjuncta. קין והבל *Cain, & Abel.* Cain, occiso ad aram fratre, fugitivus, & attonitus. Baronis de Stein.

Numisma hoc non inelegantis est fabricæ. Est istud memoriæ caussa conflatum potius, quam ut cuiquam primæ antiquitatis fucum faceret. Quis enim tam est stipes, qui Adami ætate aut numismata elaborata esse, aut si elaborata fuissent etiam, ita integra ad nos pervenisse credat?

Æneus I. 2. Caput nudum Moysis barbati, cum pectore vestito; in ora vestis, collum ambiente, legitur משה *Mose*, & character X. Quæ forma quædam esse videtur literæ Tau Samaritanæ, vel Ægyptiæ; ea salutis litera cum sit, forte ad erectum in eremo æneum serpentem alluditur, qui e similis formæ lignea cruce pendens, suspicientes sanabat. Numerorum Cap. XXI. Bibliotheca Windhagiana.

In aversa parte hic solus versiculus septimus Capitis v. Libri Deuteronomii, in numo male separatis literis, legitur:
לא והיה לך אלהים אחרים על פני *Non erunt tibi Dii alieni coram facie mea.*

3. ירושלם עיר הקדש *Jerusalem urbs Sanctuarii.* Ædificium tribus turriculis ornatum. Kircherus.

דוד המלך ובנו שלמה המלך *David Rex, & Filius ejus Salomon Rex.* Tantum sine ulla figura. In numo male duo ה conjuncta sunt.

4. שלמה המלך *Salomon Rex.* Caput ejusdem. Kircherus.

היכל קדשה *Templum sanctum.* Ædes, vel Ara.

Ineptus hujus numi artifex ignorasse videtur, Judæos omnis humanæ figuræ sculpturam sibi severe interdictam credidisse.

In alio inscriptio aversæ: *Templum Regis.* היכל המלך. Schikhardus Noster.

Argent. III. Nostri cimelii numus caput radiatum Salomonis exhibet, & ex parte capitis epigraphen habet Chaldaico charactere expressam: שלמה המלך *Salomon Rex.* Ex altera parte היכל שלמה *Templum Salomonis.*

Argent. & Æneus I. & II. 5. שקל ישראל *Siclus Israël.* Thuribulum.

ירושלים הקדושה *Jerusalem sancta.* Virga Aaronis amygdalina, aut ramus lauri. Nostri & passim.

Hujus formæ numos complures vidi, omnes Assyrio charactere inscriptos, diversi metalli, ac molis, & typario ipso nonnihil variante, sed omnes manifeste recentes, ac adulterinos. Videtur artifex veros illos siclos imitari voluisse, quales Num. III. & VII. antea protulimus; sed infeliciter negotium successit.

Æneus I. Argenteus I. 6. ישו א id est: ארני ישוע *Dominus* JESUS. Protome D. Servatoris. Noster.

משיח מלך בא ואום ארם עשוו חו *Messias Rex venit in pace, & populus hominum factus est vivens.* Alii legunt ואר מארם *Et lux de Homine facta est vita.*

Æneus I. 7. In alio simili numo ultima vocabula ita expressa inveni: ואלם ארם עשוו חו aut est loco חו fortasse תו. Illa ita interpretari liceat: *Et congregationi hominum facta est innovatio:* vel *facta est bonitas.* Cujusdam e Collegis meis.

Æneus Maximus. 8. Denique numisma maximæ formæ contrectare datum est, in cujus adversa parte caput Salvatoris nostri nimbo, & radiis cinctum, cum parte pectoris: in area duæ literæ, seu Græcæ, seu Latinæ I. N. id est: ΙΗΣΟΥΣ. ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ. JESUS *Nazarenus.* Etsi inepte supra τὸ I. punctulum positum sit. Vidi Viennæ.

Aversæ partis inscriptio est, uti Numero VI., exceptis perpaucis apicibus, imperitia scalptoris hujus numi, aliter formatis.

Hæc omnia quidem in honorem Sanctissimi Servatoris nostri concepta videntur; & ita sane velim. Subvereor tamen, ne ab impio Sabbatario ejuscemodi numi, præsertim duo priores Numero VI. & VII. relati, in odium Divini Messiæ ita procusi sint. Suspicionem movet in adversa parte τὸ א solum, & τὸ ישו sine finali litera ע scriptum. Item in aversa parte τὸ מ incertæ significationis; & ultimum חו, vel תו ambigue expressum. Intelligentibus satis dictum est; de reliquo abominandas blasphemias æternis tenebris consepultas malim, quam Rabbinicæ eruditiunculæ hic aliquid importune venditare. Ut ut hæc exponant alii, nos sane, & hæc, & omnia accepta, atque directa volumus in honorem, & gloriam DEI, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI,

A M E N.

ANNALES
COMPENDIARII
REGUM, & RERUM
SYRIÆ,

NUMIS VETERIBUS ILLUSTRATI,

DEDUCTI

AB

OBITU

ALEXANDRI MAGNI

AD

CN. POMPEJI

ADVENTUM IN SYRIAM.

Ante Christi æram | Periodi Julianæ | Ante æram Seleucid.

324 | 4390 | 12

Olympias CXIV.

CUm omni fere ad Indias usque Oriente Syriaci quoque terrarum tractus, nempe Syria propria, Cœlesyria, Phœnice, Palæstina maritima, & Judæa Alexandri Magni Philippi filii imperio obnoxii erant; Judæis indultum est, propriis ut legibus ritibusque uterentur, Pontifices quoque minorum Præfectorum loco (qui ceteris provinciis Macedones, aut alii Græci plerumque imponebantur) suam gentem ut regerent, ac septimus quisque annus, nempe Sabbaticus, a tributo regi præstando immunis esset. (*a*) Hoc rerum statu Alexander Babylone ex febri, cujus causa & ebrietas, & veneni aliquid fuisse fertur, ætatis anno XXXII. regni XII. expletis decedit. (*b*)

323 | 4391 | 11 — A morte Alexandri supputari cœpit æra Philippica Aridæi.

Ante obitum, sive paullo, sive multo ante id acciderit, aliquam regnorum distributionem fecit; quæ tamen utrum ex mente Alexandri vim obtinuerit, haud satis liquet. (*c*)

Illud satis constat: orta inter Macedonicos Duces, proceresque magna contentione eo denique convenisse: Aridæus (seu Arrhidæus) Alexandri M. frater, sed e Philina Thessala genitus regis titulum, & honores cum Philippi nomine haberet: regni consors designatur, si quem Rhoxane ex Alexandro gravida filium pareret, quem etiam peperit. Perdiccas, cui Alexander morti proximus annulum tradiderat, regni, & imbellici regis procurator esset: Equitum nobilissima præfectura Seleuco, collega perdica, cederet: Exercitui reliquo Meleager præesset.

Ptolemæo Lagi (vel Philippi Macedonis) filio Ægyptus, & reliqua Africa regenda committitur: Antipatro, & Cratero Macedonia cum finitimis: Syria, & Phœnice Laomedonti Mitylenæo: Thracicæ regiones Lysimacho: Media Artopati[illegible] Eumeni, Antigono Philippi, & Cassandro Antipatri filio in Asia minore multæ, atque aliæ aliis provinciæ cum amplissima præfecturæ potestate obtigere. (*d*)

Hoc anno initium sumpsit æra annorum regni Ptolemæi Lagi, qui Soter in numis appellatur; tametsi eundem nondum ΒΑΣΙΛΕΩΣ *Regis* titulum usurpasse, ex inferius dicendis confici posse existimem. (*e*)

322 | 4392 | 10 — In Judæa mortuo Jaddo Pontifici succedit ejus filius Onias I. (*f*)

321 | 4393 | 9 — Aridæus (seu Rex [illegible]hilippus, sive potius Ducum aliquis eo nomine) comparatum denique Alexandri Magni funus in Syriam deducit.

Ptolemæus ex Ægypto obviam progressus vi, aut fraude ereptum Alexandri corpus Memphi condit, quod subinde Ptolemæus Philadelphus Alexandriam tra[illegible]it. (*g*)

1. Ca-

(*a*) Flavius Josephus lib. 11. Antiquitatum cap. 8. eoque ultimo.

(*b*) Plutarchus in Alexandro.)(Curtius lib. 10. cap. 7.)(Eusebius in Chronico.)(Justinus lib. 12. c. 15.)(Diodorus Siculus lib. 17.)(Ἱστοριῶν Συναγωγή in Græcis Scaligeri in Thesauto temporum.)(Athenæus lib. 10. & 12.)(Arrianus in Bibliotheca Photii cod. [illegible]2.)(Lib. 1. Macchabæorcm cap. 1. v. 8.

An Alexander obierit anno periodi Julianæ 4390. die 19. Julii, ut cum Petavio Lib. 10. de doctrina tempor. censeo, an vero die 21. Maji anni sequentis, definiat, qui potest; certum est Olympiadis CXIV. anno primo obiisse.

(*c*) Lib. 1. Macchab. c. 1. v. 7.)(Diodorus Sic. lib. 20.)(Curtius lib. 10. c. 13.)(Chronicon Alexandrinum.

(*d*) Appianus in Syriacis)(Justinus lib. 13. cap. 4.)(Diodorus Sic. lib. 18. & 19.)(Memnonis excerpta cod. 224. & Arriani cod. 92. apud Photium.

(*e*) Lucianus in Longævis)(Dexippus, & Porphyrius in Græcis Scaligeri.

(*f*) Josephus lib. 11. antiq. sub finem.

(*g*) Strabo lib. 17.)(Curtius lib. 10. cap. ult.)(Diodorus Sic. lib, 18. Pausanias in Atticis.

Argent. I.	1. Caput (forte Alexandri) diadematum, cornutum, & elephantis exuviis tectum. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Alexandri.* Pallas galeata gradiens, d. telum vibrat, s. clypeum; ad pedes aquila fulmen unguibus stringens: in area galea extensa, & monogramma HP.	Begerus. C. Regium.
Argent. I.	2. Caput Herculis imberbe elephantis exuviis tect. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Regis Alexandri.* Jupiter seminudus sedens d. Aquilam, s. hastam in area trophæum, & ΟΛ.	Noster.
	Similes alii numi cum variis signis, & literis.	Nostri, & obvii.
Argent. III.	3. Similes numuli; in area variæ parvæ figuræ, & monogrammat.	Nostri, & obvii.
Argent. I.	4. Caput Herculis imberbe, elephantis exuviis tectum. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. in area acrostolium; in aliis varia signa, vel monogrammata: Jupiter sedens, uti Num. 2.	Nostri, & obvii.
Argent. III.	5. Caput Alexandri diadematum, & cornutum cornu arietis. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Leo stans ad dextram respiciens.	Haym.
Argent. III.	6. Caput Alexandri rejectis capillis. ΑΛΕΞΑΝΔΡȣ. Cupido alatus leoni gradienti insidens.	Liebe.
Æneus III.	7. Caput Herculis imberbe, leonis exuviis tectum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡ. Leo gradiens ad sinistram; in area monogramma.	Noster.
Æneus III.	8. Simile caput)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Pharetra, clava, & arcus. In uno monogramma; in alio botrus additus, in alio globus &c.	Nostri, & obvii.
Æneus III.	9. Similis numus; sed inscriptio Β. Α. Βασιλέως Ἀλεξάνδρȣ, *Regis Alexandri.*	Noster.
Æneus III.	10. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Caput Alexandri diadematum sparsa coma. ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΝΕωκόρων. *Commune Macedonum. iterum Neocororum.* Pallas sedens, d. victorialam, s. hastam, ad pedes clypeus. In alio simili vir equum domans.	Noster.
Ænei II.	11. & 12. & 13. similes numi, cum capite alias diademato, alias galeato, alias exuviis elephantis tecto,)(*Commune Macedonum* &c. Variæ figur. equitis, armorum Herculis, Jovis sedentis &c. Similes numi insc[illegible]: *Commune Macedonum iterum Neocororum*, non Alexandri Magni temporibus, sed sero sub Augustis cusi videntur.	Liebe. & Nostri. Gessnerus.
Aureus III.	14. Caput Alexandri diadematum cornut. Promissis crinibus. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Pegasus.	Freytagius apud Schlægerum.
Aurei III.	15. Caput galeatum juvenile Alexandri, aut potius Palladis. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Victoria stans, d. coronam, s. seu crucem vexilli, seu nilometrum attolit: in area alia in aliis sigilla, & notæ.	D. De France Theupoli, & obvii.
Aureus III.	16. Simile caput, & inscriptio aversæ.)(Clava, arcus, & pharetra.	Theupoli.
Æneus III.	17. Caput diadematum, forte hujus Alexandri. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Eques: in area bipennis.	Noster.
Æneus III.	18. Fulmen intra scutum Macedonicum scutis aliis cinctum. Β. ΑΛΕ *lego:* Βασιλέως ΑΛΕξάνδρου. Galea.	Noster.
Æneus max.	19. Caput Alexandri leonis exuviis tectum)(Caput gryphi, aut alterius monstri, vide Tab. ante Annales.	D. De France. Mus. Pisani.

Ante Chrift.	Periodi Julianæ	Ante æram Seleuc.	
320	4394	8	Perdiccas ob ereptas Alexandri M. exuvias bellum Ptolemæo infert, ac Philippum regem fecum in Ægyptum ducit. Pithonis opera feditio in exercitu, Ægyptum invadente, excitatur, Perdicas obtruncatur.
Olympias CXV.			Antipater cedente Pithone fit novus regni Procurator, atque aliam regni partitionem fufcipit, qua Babylonia Seleuco, Media Pithoni, Phrygia magna, Lycaonia, Pamphylia Antigono cum regii exercitus imperio decretæ funt. Ptolemæo Ægyptus, atque Laomedonti Syria, & Phœnice relicta. Hæc regni nova divifio in Triparadifo, Syriæ loco peramæno, inftituta eft. (*h*)
319	4395	7	Ptolemæus Ægypto adjecturus Cœlefyriam, & Phœnicen, pro iisdem Laomedonti magnam auri vim offert. Ubi fruftra fe effe fenfit; Nicanorem Ducem fuum cum exercitu mittit Ptolemæus, qui vi Laomedonti Cœlefyriam, & Phœnicen eripit. Laomedon ipfe a Nicanore capitur, fed e cuftodia elapfus ad Alcetam Cariæ Satrapam confugit. (*i*)
			Armorum impetum Ptolemæus in Judæos, fibi refiftere aufos, e Cœlefyria transfert: Jerofolyma oppugnat, ac ceffantibus Sabbato Judæis mænia tranfcendit. Ex ea urbe, itemque e Samaria, & Judææ montanis centum circiter hominum millia in Ægyptum abducuntur. Probata fubinde Judæorum fide, & religione, eosdem Macedonibus pares fecit Ptolemæus, & in præfidia diftribuit. (*l*)
318	4396	6	Antipater moriturus, præterito filio fuo Caffandro, Polyfperchontem regum curatorem, Ducemque renunciat. Caffander id ægre fert, atque follicitato Ptolemæo, ut e Phœnicia claffem in Hellefpontum expediret, multa nequidquam molitur.
			Nam Antipatro mortuo regnum, & reges procurat Polyfperchon, nempe præter Philippum Aridæum, etiam parvulum Alexandrum e Rhoxane, & Herculem e Barfine, Alexandri Magni concubinis genitos. Bellum adverfus Antigonum gerendum Polyfperchon Eumeni imperat: quod Antigonus victo in Cappadocia Eumene, ac debellato in Pifidia Attalo, præterea accepto ab Antipatro fupremo velut Afiæ imperio, jam non obfcure univerfo regno inhiaret. (*m*)
			Eumenes Antigonum Phœnicia exigere tentat, quo ifte Ptolemæo connivente fe receperat. Spe delufus Eumenes per Cœlefyriam in Mefopotamiam copias, alia tentaturus, traducit. (*n*)

1. Ca-

(*h*) Diodorus Sic. Lib. 18.)(Juftinus lib. 13. c. 6.)(Strabo lib. 17.)(Ælianus Hiftoriæ variæ lib. 12. c. 64.)(Arrianus apud Phot.

(*i*) Appianus in Syriacis.)(Diodorus Sic. lib. 18.)(Paufanias in Atticis.

(*l*) Eufebius in Chronico.)(Jofephus lib. 12. antiq. c. 1. & lib. 2. contra Apionem.)(Libellus Arifteæ nomine fcriptus de 70. Interpretibus.)(Appianus in Syr. narrat, muros Jerofolymorum deftructos effe; fed verum effe non videtur: nifi de aliqua parte.

(*m*) Plutarchus in Eumene.)(Æmilius Probus in Eumene, & Phocione.)(Diodorus Sic. lib. 18.

(*n*) Diodorus Sic. lib. 18. & 19.

Argent. I. 1. Caput virile, imberbe, exuviis leonis tectum. Noster.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Regis Philippi.* Jupiter seminudus sedens, d. aquilam, s. hastam; in area dimidia navis, supra quam ΑΥ. infra sellam ☲. incerti sensus. Theupoli.

Argent. III. 2. Caput simile priori. *Fabrica numi satis elegans.*
ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Jupiter sedens, ut in numo præcedente; in area astrum. Infra sellam ΗΛ. incerti sensus. Noster.

Argent. III. 3. Numus præcedenti similis; sed in area lyra, & B. Begerus Theupoli.

Argent. III. 4. Numus, ut Numero 2. sed in area serpens, & A. Theupoli.

Aureus III. 5. Caput galeatum imberbe.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Victoria expansis alis stans, d. coronam, s. temonem, vel nilometrum &c. attollit; ad pedes victoriæ caput solis radiatum. Liebe.

Æn. III. 6. Caput imberbe Philippi, diademate cinctum.
ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Eques: in area bipennis. Noster.
Argent. III. Sine titulo Βασιλέως. In simili argenteo in area clava - - Noster.

Æn. III. 7. Caput imberbe leonis exuviis tectum. Liebe.
Eadem inscriptio, & figura, quæ in numo præcedente, sed in area AP. junctæ, & M. incertæ significationis notæ.

Aureus III. 8. Caput simile priori.
ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Dimidius leo. Theupoli.

Aureus III. 9. Caput uti Numero 7.
ΦΙΛΙΠΠΟΥ. Clava, arcus, & in area vas. Theupoli.

Æneus III. 10. Caput galeatum imberbe. Haym.
ΒΑ. ΑΡ. junctæ, navis pars, in area malleus, aut bipennis.

(1) Quoniam eadem penitus numorum fabrica, & moles: eædem utriusque partis imagines in numis Alexandri Magni: itemque Seleuci Nicatoris, & Lysimachi, & Antiochi primi occurrunt, id est, in numis eorum, qui ante, & post Philippum Aridæum proxime regnavere; forte non immerito numi isti Philippo Aridæo tribuuntur. Caput leonis exuviis tectum, Herculis, ut alibi monui, est potius, quam regis; quia in plurium regum numis eadem fere vultus lineamenta exhibentur.

(5) Persimiles numi aurei regis Alexandri titulo inscripti habentur, quos Antiquarii fere Alexandro Magno adscribunt.

(6) Hic numus ob titulum Basileos, & ob fabricæ elegantiam Philippo Aridæo potius, quam patri Alexandri M. tribuitur.

(8, & 9) Cur hos duos numos catalogi Theupolitani scriptor Philippo Aridæo adsignet, non satis video.

(10) In hoc numo dubium occurrit: utrum BA. *Βασιλέως Regis*, & monogramma ex A, & P. compositum *Aridæi* legendum sit: vel an τὸ BA. separandum, atque legendum *Regis Alexandri*, ac tum τὸ AP. inter urbis, aut monetarii incertas notas rejiciendum censeatur? Numus Liebei, Numero 7. prolatus, dubium auget, in quo præter *Philippi regis* nomen, simile monogramma AP. complectens, insculptum habetur. Nam is numus cum ad Philippum Aridæum alioqui pertinere mihi quidem videatur, probabiliorem *Aridæi* lectionem reddit, quasi utrumque regis nomen, vetus *Aridæi*, monogrammate tantum indicatum, & novum *Philippi* integre scriptum habeatur. Haymius in hoc numo legit *Aridæus*; ego Philippi solum nomen in numis probo.

Ante Christi	Periodi Julianæ	Ante æram Seleucid.	
317	4397	5	In Babyloniam progreſſus Eumenes, cum Seleucum ejus regionis Satrapam ſibi adverſantem haberet, inde in Suſianam diſcedere cogitur. Pitho Mediæ Satrapa, interempto Philota, vicinarum regionum Satrapa, & ſubſtituto fratre ſuo Eudramo, ab aliis præfectis bello impetitur; reſiſtendo impar ad Seleucum confugit, eundemque ad armorum ſocietatem ſecum ineundam ſollicitat. (*o*)
			Polyſperchon Olympiadem Alexandri M. matrem in Macedoniam reducit; ut Philippo Aridæo hoſtem opponeret fæminam Philippo infenſiſſimam. Caſſander ſpecie juvandi Philippum milites in Macedoniam ſubmittit; quibus victis, & expugnata Pydna (ubi Philippus rex cum Eurydice uxore degebat) idem rex cum conjuge Olympiadi traduntur, ac ab eadem indigno mortis genere afficiuntur. Philippus regis titulo fruitus eſt annis ſex, & menſibus quatuor, Diodoro Siculo teſte. (*p*)
316	4398	4	Seleucus, partibus Antigoni addictus, ab eodem Suſianæ præficitur, retenta Babyloniæ ſatrapia. (*q*)
Olympias CXVI.			Caſſander Macedonicum regnum ſatis aperte affectans, vindicandi tamen Philippi regis ſtudium prætexens, Olympiadem, atque ejusdem ſororem Theſſalonicen in poteſtatem ſuam redigit: tum ambas, impetrato Macedonum aſſenſu, interfici curat. Porro Alexandrum puerum cum Rhoxane matre in arcem Amphipolitanam conjicit, arcta cuſtodia ſervandos. (*r*)
315	4399	3	Antigonus Eumenem vincit, & proditione capit: tum late Aſiæ imperans aucto exercitu Babyloniam ingreditur. Advenientem Seleucus honorifice primum accipit; orta ſubinde contentione Antigono ſe imparem videns Seleucus in Ægyptum ad Ptolemæum fugit, & multa adverſus Antigonum acerbe queritur. (*s*)
			Seleucus porro alios quoque ſatrapas in Antigonum concitare, ſuisque partibus adjungere per legatos contendit: idem pro ſe molitur Antigonus. Seleucus prævalet, cum quo potentiſſimi tres ſatrapæ Ptolemæus Ægypti, Lyſimachus Thraciæ, & Caſſander Macedoniæ fœdus ineunt; & mox Seleucus centum navium claſſem in Ægypto parare incipit. (*t*)

An-

(*o*) Diodorus Lib. 19.

(*p*) Diodorus Lib. 19.)(Juſtinus Lib. 14. Cap. 5.)(Porphyrius apud Scaligerum, numero integro ſeptem regni annos Philippo Aridæo tribuit.

(*q*) Plutarchus in Demetrio.)(Diodorus Lib. 19.

(*r*) Juſtinus Lib. 14. ad finem.)(Diodorus 19.

(*s*) Æmilius Probus in Eumene.)(Appianus in Syriacis.)(Juſtinus Lib. 14. Cap. 1. &c.)(Diodorus Lib. 19. qui refert: Chaldæos Antigono prædixiſſe: ſi dimitteretur Seleucus, eum omni Aſiæ imperaturum.

(*t*) Iidem Autores, & Æmilius Probus in Regibus.

ANte numiſmata eorum regum, qui primum ſub Alexandro M. clari belli duces, poſt ejus obitum potentes ſatrapæ, ac tandem reges fuere, Syriamque aut ejus partem poſſedere, hic ſeorſum exhibendam putavi gemmam, aliis antiquam, aliis recentem rariſſimam certe, inſignis elegantiæ, & quantivis pretii. Eam mecum promptiſſima voluntate communicavit gemmæ ipſius dignus poſſeſſor, Perilluſtris Dominus de France, quondam Amaliæ Auguſtæ a theſauris, qui pro exquiſita humanitate ſua, atque antiquitatis amore, & gemmam hanc, & cimelium ſuum totum, omnibus vetuſtatis opibus inſtructiſſimum, mihi libere ſemper patere, & uſui eſſe voluit. Gemma hæc eſt colore rubro, intermixto flavo, achatis orientalis lapidi nomen datur. Imaginem gemmæ tabula ante Annales poſita exprimendam curavi multo majorem area ipſius gemmæ, ut ita expreſſæ minuto artificio figuræ facilius diſcernerentur: inſculpta huic gemmæ conſpiciuntur capita quinque; interpoſitæ ſunt iſtis quatuor areolæ, res ab Alexandro M. geſtas eleganti imagine repræſentantes.

Caput majuſculum in media gemmæ area octogona inæqualium laterum Minervam, ſeu Palladem refert, pulchre comatam, galea tectam, in qua draco. Sapientiæ, & fortitudinis ſymbolum apud veteres draco erat (hodie Sinarum Monarchæ proprium) quarum altera virtus togatæ, armatæ Palladi altera convenire videtur, atque Alexander ipſe utraque ſapientiæ, & fortitudinis laude excelluit. Dracones quoque, ſive ſerpentes Minervæ ſacri credebantur. Ita Plutarchus *de Iſide, & Oſiride,* inter ſacra Diis animalia memorat: *Τὸν δϱάκοντα τῆς Ἀθηνᾶς. Draconem Minervæ.* Draconem Palladi adjunctum fuiſſe *Pauſanias in Atticis* narrat: Similia *apud Virgilium lib. 2. Æneidos: apud Actium in Eriphyla, in libello de pœnitentia Cypriani,* & alibi atque antiquiſſimis in numis eadem nonnunquam invenias. Cur autem Palladis caput cum Alexandri Magni ducibus, & rebus geſtis hac in gemma inſculptum ſit, id cauſæ eſſe conjicio: quod & univerſæ Macedonicæ gentis tutelare numen creditum fuiſſet Pallas, & Alexander ſingulari quadam, & exquiſita religione Palladem ſibi demereri ſtuduiſſet. Vix in Aſiam trajecerat Alexander, cum Ilium contendens, Ilienſi Palladi ſacrificavit, & arma ſua in ejus templo defixit, quæ *Diodorus Siculus Olympiade CXI., & Arrianus lib. 1.* enarrant. Tum in ea, qua ad Granicum Phrygiæ amnem Darium vicit pugna, caput ſuum Alexander *Ilienſis Palladis* galea, ex adytis deſumpta, armavit, eamque galeam fuiſſe ad capillos uſque, illæſo Alexandri capite, inter præliandum diſſectam, commemorat *Plutarchus in Alexandro.* Poſt pugnam ad Iſſum, antequam Syriam ingrederetur Alexander, in ripa Pinari amnis tres aras Jovi, Herculi, & *Minervæ* conſtituit teſte *Curtio lib. 3. c. 29.* Ante pugnam decretoriam ad Gaugamela (ſeu ut alii, ad Arbela) noctu Alexander, aſſiſtente Ariſtandro, Jovem, *Minervam,* & Victoriam conceptis votis ſibi propitios reddere ſtudebat, uti narrat *Curtius lib. 4. c. 29.* Valent hæc, aliaque id genus, etſi falſæ religionis exempla ad edocendos impios quoſdam, & ſtolidæ audaciæ homines, qui exactam religionis curam generoſis, & magnis belli ducibus impedimento eſſe inepte garriunt, quo minus res magnas libere, & feliciter exequantur.

Reliqua quatuor hujus gemmæ capita, ad quatuor angulos forma minore expreſſa, totidem præclaros ſub Alexandro Magno duces, eoſdem potentiſſimos poſt ejus obitum ſatrapas, ac ſubinde reges repræſentant: ſuperne ad dextrum gemmæ latus caput nudum Seleuci integra facie adverſa expreſſum eſt, cum epigraphe: ΣΕΛΕΥΚΟΣ. Superne ad ſiniſtram caput galeatum Antigoni conſpicitur, adjecto nomine ΑΝΤΙΓΟΝΟΣ. Inferne ad dextram Ptolemæi Lagidæ caput diademate cinctum inſcriptione addita: ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ. Inferne ad ſiniſtram Caſſandri caput galeatum effictum habetur cum epigraphe: ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΣ. Ecquid horum quatuor ducum præ ceteris hic expreſſi ſint vultus? puto me probabili conjectura conſecutum, qua ſimul tempus adſignetur, quo hæc gemma ſit elaborata. A morte Alexandri anno nono Seleucus Babylonia, cujus ſatrapa tum erat, ab Antigono Aſiæ, & Syriæ late imperante, extruſus ad Ptolemæum Ægypti ſatrapam, & veluti regem, confugit, atque inito cum eodem fœdere (cui Caſſander Macedonia tum potitus, & Lyſimachus Thraciam regens ſeſe adjunxere) bellum An-

tigono infert. Quarto post hæc anno, qui fuit ante æram Christianam CCCXI. æræ Seleucidarum II. pax inter Antigonum, & præcipuos tres fœderatos: Seleucum, Ptolemæum, & Cassandrum coaluit; quæ omnia in Annalibus veterum testimoniis comprobata damus. Hoc itaque anno, vel sequente (neque enim diutius ea pax tenuit) gemmam hanc elaboratam fuisse arbitror, & quidem ab artifice Seleuci imperiis obnoxio, cum ejusdem caput principe loco, ac pleno vultu posuerit. Caput solius Ptolemæi diadematum exhibetur, quia is ante ceteros regia quasi potestate sese efferebat, etiam antequam ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulum libere, ac palam usurparet; sane epocha Ptolemaici regni a primo statim post mortem Alexandri anno deduci solet, dum Seleuci æra duodecimo abhinc anno denique initium sumpsit.

Reliquum est, ut in laudata gemma quatuor illæ quadrangulæ icones, quæ res quasdam illustres ab Alexandro gestas ob oculos ponunt, paucis illustrentur. Supra caput Palladis exhibetur Alexander, socio Hephæstione invisens captas in pugna ad Issum reginas, nempe Sysigambem (seu Sysigambrem, uti Diodorus appellat) Darii matrem, item Statiram Darii sororem, & uxorem cum filiolo Ocho, & duabus filiabus virginibus adultis: has in tentoriis intra arbores erectis, inclusas solatus est Alexander, relicto eis omni mundo, atque etiam aucto: easdemque ab omni dedecore securas præstitit; Sysigambem porro ut matrem coluit. *Curtius lib. 3. c. 22. Diodorus Sic. Plutarchus in Alexandro, & lib. 2. de fortuna Alexandri. Valerius Maximus lib. 4. c. 7.* Valerius, & hoc comitatis Alexandri exemplum addit: Sysigambis primo Hephæstionem pro Alexandro salutabat; sed ubi agnito errore veniam petiit, reposuit Alexander: *Etiam hic est Alexander.*

Aliæ duæ icones ad latera Palladis pugnas duas eleganti (in tam exiguo spatio) scalptoris artificio repræsentant: prior ad dextram icon pugnam ad fluvium commissam exhibet, luctantesque cum undis victos hostes ob oculos ponit. Hac icone pugnam ad Gaugamela commissam referri puto, quæ decretoria de summo Asiæ imperio fuit. Erat Gaugamela ignobile Assyriæ oppidum ad Bumelum fluvium, ubi pugna incepta, propulsis etiam ultra Lycum Assyriæ (non Ciliciæ) fluvium hostibus, & elephantis omnibus captis, quos etiam imago exhibet. De hac pugna egere *Plutarchus in Alexandro. Strabo lib. 16. Curtius lib. 4. c. 22.* Ipsam hanc pugnam nonnulli pugnam ad Arbela vocant, quia Arbela celebrius oppidum erat, quam Gaugamela, etsi longius a loco pugnæ dissitum.

Altera ad sinistrum latus Palladis imago pugnam repræsentat, aut eam, ex qua ad Granicum Phrygiæ amnem, aut ex qua ad Issum Ciliciæ urbem ad Syriæ confinia sitam victor Alexander discessit: aut utriusque etiam pugnæ memoria consignata est, de quibus laudati Authores, *Curtius, Arrianus, Plutarchus, Diodorus* videri possunt.

In quarta denique areola infimo in loco Alexandri ingressum in urbem aliquam expressit artifex. Eques Alexander ingreditur, socii pedites, urbs est statuis, & ædificiis elegantibus ornata; in foro tripus adstat ad peragenda sacra paratus. Ingressum in urbem Ægypti Memphim, aut Susa Susianæ, aut Ecbatana Mediæ metropolim hic referri arbitror. Babylonem Alexander curru, Persepolim ut hostis ingressus est, teste *Curtio lib. 5. cap. 3. & 13.* Susa porro, Susianæ provinciæ caput, ingressus Alexander sacrificia more Macedonico, facibus collucentibus, peregisse perhibetur ab *Arriano lib. 3.* Cum itaque tripus expressus sit in hac ingressus imagine, Susianum introitum eadem repræsentari existimo.

Præstantissima hac gemma usus fuisse videtur percelebris apud Gallos pictor le Brun in depingendis rebus ab Alexandro M. gestis, quo opere excellentis, ac eruditi pictoris famam sibi Brunius confecerat. Facile hæc ita esse deprehendet, qui gemmæ hujus imaginem cum Brunii iconismis contulerit. Neque vere dici potest, e Brunii picturis novum artificem hujus gemmæ scalpendæ ideam desumpsisse; quando errorem adversus artis pictoriæ regulas in exprimendo Alexandri pede a scalptore gemmæ admissum, emendavit Brunius in ea imagine, qua Alexander, & Hephæstion Sysigambem invisentes repræsentantur.

Hæc

Hæc elegantiſſima gemma (quam nondum editam novi) inſtar aliarum plurium eſſe poteſt: pauca enim alia id genus cimelia reperi, quæ ad ornandos, illuſtrandosque Syriæ reges proprie referri citra dubium poſſent. Sane in Muſei Florentini duobus tomis prioribus; in Deſcription ſommaire des Deſſeins, & des Pierres gravées du Cabinet de Feu M. Crozat par P. J. Mariette; & in Philippi Stoſchii Gemmis, præter quaſdam Alexandri M., & Cleopatræ Selenes gemmas, nihil certi occurrit, quod Syriæ regibus ornandis proſit. Begerus in Theſauro Brandeburgico Alexandri I. Theopatoris, & Antiochi XIII. Aſiatici vulgo dicti capita ſola ſine inſcriptione, aut alio ſymbolo ſe agnoviſſe credebat. Equidem lineamenta utriusque vultus ab utroque rege, uti numiſmata eos exhibent, in gemma fere non abludunt; res tamen omni dubio, vel difficultate carere non videtur.

De Alexandro M. elegantes gemmarum imagines cum alibi, tum in *Commentatione de numo Alexandri M.* ab eruditiſſimo viro *Julio Carolo Schlægero* edita, curioſus lector offendet. Antiochi VIII., & Cleopatræ matris vultus, ut puto, gemma exhibet, quam Tabula Annalibus præfixa repræſentat.

ANNALES.

Ante Chriſt.	Periodi Julian.	Ante æram Seleuc.	
314	4400	2	Cum fœderati quatuor ſatrapæ ab Antigono per legatos poſtulaſſent: ut Cappadociam, Lyciamque Caſſandro: Syriam totam Ptolemæo, Phrygiam ad Helleſpontum Lyſimacho traderet: tum regii theſauri pecunias, ab Eumene acceptas, in commune divideret; Antigonus reſponſi loco aſpera verba legatis dedit. Bellum terra, marique inchoatur. Syriæ, & Phœniciæ partem Antigonus eripit. (*u*)
			Polyclitus, claſſis Seleuci Præfectus claſſem Rhodiam, Antigono militantem cum ejusdem præfecto Theodoto intercipit. (*x*)
313	4401	1	Antigonus in Aſiam adverſus Caſſandrum movens Demetrium filium, e Stratonice Corræi filia genitum, in Syria cum exercitus parte relinquit, ut Ptolemæi copias interciperet. Demetrio duces quatuor a conſiliis adjunxit Antigonus, quod ille tum viceſimum ſecundum ætatis annum ageret. (*y*)
		Æræ Seleucid.	Tyrus tolerata ultra annum obſidione Antigono ſe dedit, Ptolemæi militibus libero abſceſſu indulto. (*z*)
312	4402	1	Demetrius a Ptolemæi, & Seleuci exercitu prope Gazam Palæſtinæ pugna ſuperatur. Victores Demetrio tabernaculum, ſupellectilem, & famulos ſine lytro reſtituunt. Ptolemæus Phœniciæ partem cum Sidone recipit: Tyri præfectum Andronicum nequidquam tentat. Demetrius Tripolin ſe confert, & a patre Antigono auxilia petit.
Olympias CXVII.			Seleucus paucis copiis a Ptolemæo acceptis per Meſopotamiam in Babyloniam ingreſſus, Nicanorem ab Antigono Babyloniæ præfectum celeriter debellat: mox Mediam, & Suſianam, ultro ſeſe dedentes, in fidem recipit. Ab hac victoria Seleucus (Antiochi clari Ducis e Laodice filius) Νικάτωρ *Victor* dictus eſt, ſeque magnificentia, & poteſtate regem ferre cœpit; etſi regio titulo palam nondum uteretur;
			In autumno hujus anni incipit æra Seleucidarum ſecundum Syro-Macedones, & libri II. Macchabæorum ſcriptorem. (*c*)
			Cillen Ptolemæi ducem Demetrius ad Myuntem Syriæ urbem profligat: Victoria Demetrius regio animo, & pulchra in victos liberalitate uſus eſt. (*d*)

(*u*) Juſtinus lib. 15. c. 1.)(Appianus Syr.)(Diodorus lib. 19.)((*x*) Diodorus lib. 19.)((*y*) Diodorus lib. 19.)(Veteres Antigoni fratrem Demetrium fuiſſe credebant teſte Plutarcho in Demetr. (*z*) Diodorus ad Olymp. 116. an. 2. & 117. an. 1. (*a*) Juſtinus lib. 15. c. 1.)(Plutarchus in Demetrio.)(Joſephus lib. 1. contra Apionem. (*b*) Diodorus lib. 19.)(Appianus in Syr.)(Euſebius in Chron. & de Præp. Evang. lib. 2.)(Porphyrius.)(Suidas in vocabulo Νικάνωρ.)(Olympionicarum catalogus in Græcis Scaligeri.)((*c*) Æra hæc a Judæis vocatur æra contractuum, vel Græcorum, ſeu Syro-Macedonum: ab Arabibus vero: Terik Dhil Karnaim, a duobus comibus, per quæ aut duo regna majora Arabiæ vicina, Ægypti & Syriæ; vel duo cornua Alexandri, tanquam Jovis Hammonis filii intelliguntur. Chaldæi ab anno ſequente hanc æram inchoant. (*d*) Plutar. in Demet.)(Diod. lib. 19.

Ante Chriſt.	Periodi Julianæ	Æræ Seleuc.	
311	4403	2	Antigonus victoriæ filii fructus legens, Syriam, & Phœnicen recipit, interea primo vere per filium Demetrium cum Arabibus Nabatæis haud ſatis felicia prælia miſcet. Abſcedens inde Demetrius Meſopotamiam, & Babyloniam populatur; cum Seleucus ad expeditionem Indicam profectus eſſet. Inde avolans Halicarnaſſum mira celeritate liberat. Pax denique inter Antigonum, & fœderatos ſatrapas coaleſcit, ſed paullo poſt reſcindenda. Per id temporis Caſſander Macedonici ſceptri avidus, Alexandrum puerum regem cum Rhoxane matre necari jubet. (*e*) Ab hoc anno Chaldæi Seleucidarum annos ſupputant. (*f*)
310	4404	3	Polyſperchon, urgente Caſſandro, alterum quoque Alexandri Magni filium Herculem cum Barſine matre e medio tollit. Eclipſis ſolis die 15. Auguſti hora 8. mane Syracuſis.
309	4405	4	Sublata omni Alexandri M. ſtirpe, ſatrapæ ſua quiſque in regione liberius, & regia poteſtate dominantur: attamen ſine publico regii tituli, ΒΑΣΙΛΕΩΣ, uſu. Antigonus bellum adverſus alios ſatrapas inſtaurat. (*g*)
- - -	- - -	- - -	
306	4408	7	Antigonus in Syria ad Orontem fluvium urbem condit a ſuo nomine Antigoniam appellatam, ſeptuaginta fere ſtadiorum ambitu, loco idoneo, unde Babyloniæ, aliiſque circumſitis provinciis immineret. (*h*) Demetrius ob expugnatas, & in libertatem adſertas complures Aſiæ, & Græciæ urbes (quod præcedentibus hiſce annis factum, Πολιορκητής, id eſt: *Expugnator urbium* dictus eſt. Hoc porro anno Demetrius celebrem illam navalem victoriam de Ptolemæi, & fœderatorum claſſe non procul Citio verſus Salaminen ad Cypri littora retulit. (*i*) Ariſtodemus Mileſius adulator aulicus a Demetrio victoriæ nuncius ad Antigonum dimittitur. Antigonus re intellecta regium diadema, & regis, ΒΑΣΙΛΕΩΣ, titulum a ſuis oblatum palam recepit, iiſdemque honoribus Demetrium filium impertiit. Quo facto ad æmulationem inſtigati reliqui ſatrapæ, ſibi quoque diadema, & regis titulum impoſuere. (*l*)
305	4409	8	Antigonus claſſe ad Gazam contracta Ægyptum invadere tentat; ſed cum ad Nilum conſiſteret, cujus alteram ripam Ptolemæi miles tutabatur, Ptolemæus proclamari jubet: Tranſituris ad ſe gregariorum ſingulis minam, præfectis talentum daturum. Transfugere adeo multi, ut Antigoni expeditio in receptum deſineret.
304	4410	9	Interea Demetrius Rhodum etiam helopoli (machina ab ſe inventa) obſidet, aſt non obtinet. (*m*)
Olympias CXIX.			

1. Ca-

(*e*) Polybius lib. 5.)(Plutarchus in Demetrio.)(Diodorus lib. 19.
(*f*) Ptolemæus Almageſti lib. 9. c. 7. & lib. 11. c. 7.)(In libris Macchabæorum non uſurpari epocham Chaldaicam, in Prolegomenis oſtendimus.
(*g*) Juſtinus lib. 15. c. 2.)(Diodorus lib. 19. & 20. Corrigendus Juſtinus e Diodoro.)(Porphyrius.
(*h*) Diodorus lib. 20.)(Olympionic. Catalogus.
(*i*) Appianus Syr.)(Plutarchus in Demetrio.)(Diodorus lib. 20.
(*l*) Iidem Autores, & Juſtinus lib. 15. c. 2.)(Vide numos Antigoni, & Demetrii. Huc ſpectat illud lib. 1. Macch. c. 9. v. 9. Et impoſuerunt ſibi omnes diademata poſt mortem ejus, nempe Alexandri M. Sed id non illico poſt mortem factum dicitur. Errant Æmilius Probus in Eumene, & Euſebius in Chron.
(*m*) Plutarchus in Demetrio.)(Diodorus lib. 19.)(Plinius lib. 34. c. 7.

TAB. II.

Argent. I. — 1. Caput promiffis barba, & capillis, cornutum, & corona cinct. (C. Reg. Nofter. Theupoli. D. Favvkener)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *Regis Antigoni.* Dimidiæ navi infidet nuda figura, d. arcum gerens, f. navi imponens. Inferius monogramma, & alia nota.

Aureus, & Argent. I. — 2. Caput imberbe, duobus cornibus e fronte eminentibus; ad occiput aliquid clavæ fimile: totum cinctum fcutis Macedonicis, circulari ornamento inclufis. (Begerus. C. Reg.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. Pallas gradiens, d. telum vibrans, f. fcutum gerens; in area galea criftata, & monogramma HP. forte legendum: *Heraclea,* Syriæ urbs apud Stephanum.

Æn. III. — 3. ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΝΤΙΓΟΝ. Intra coronam lauream.
Epigraphe literis Phœniciis, vel aliis: cornu copiæ cum fafcia, & botro. (Nofter.)

Aureus III. — 4. Caput Palladis galeatum. (D. Favvkener)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. Victoria expanfis alis ftans d. attollit temonem, vel crucem vexilli, vel tridentem.

NUMISMATA DEMETRII POLIORCETIS.

Argent. I. — 1.* Caput Demetrii diademate, & cornu bovino infigne. (Nofter.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Regis Demetrii.* Neptunus nudus ftans dextram dextro pedi imponit, quo rupem, vel navis fragmentum calcat; finiftra tridentem gerit. In area duæ notæ IΛ (HP)

Argent. I. — 2. * Simile numifma priori; fed in area alia monogrammata tria: Simile numifma, in area Δ. (Golzius. Theupoli.)

Argent. I. — 3. * Caput Demetrii cornutum, ut Num. 1. (Nofter.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Neptunus femicinctus rupi infidet: d. acroftolium, f. tridentem, in area monogramma.

Argent. I. — 4. * Victoria dimidiæ navi infiftens, d. tubam ori admovet, f. baculum attollit. (Begerus.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Neptunus nudus gradiens, extenfa finiftra amiculum, d. tridentem vibrat: in area monogramma: (HP.) ex H., & P. compofitum.

(1) Caput hic fignatum Neptuno tribuo ob barbam, & coronam, quæ arundinea effe mihi quidem videtur. Figura navi infidens aut Apollo eft Hylata, idem Tembrius ab oppidis Cypri ita dictus, de quibus Dionyf. Perieget. lib. 3. & Stephanus de urbibus videri poffunt: aut Venus armata, vel Ποντία, Pontica, cujus Paufanias lib. 2. meminit: vel Λιμένια, portuum cuftos; quæ hic fignatur, quod prope Cyprum, Veneri facram, celebrem illam victoriam Demetrius Antigoni filius retulerit.

(2) Caput Antigoni cenfeo, quia cornutum; quod proximis ab Alexandro M. regibus in numis proprium eft. Pallas tutelare Macedonum numen habebatur.

(3) Singularem hunc numum noftro huic Antigono tribui oportere, Phœniciæ literæ monent, fiquidem tales funt, neque enim alteri ulli Antigono regi Phœnicia fubjecta fuit. Notatu digna forma rotunda figmatis C.

(1. * 3. * 4. *) Manifefta victoriæ navalis fymbola, & caput cornutum ad Demetrium Poliorcetem hos numos referendos effe, certo commonftrant.

Ante Chriſti	Periodi Julianæ	Æræ Seleucid.	
303	4411	10	Seleucus in Babyloniæ, & Mediæ rex Sandrocotam (aliis Sandrocottum, vel Androcottum) Indiæ regem armis impetit; quod is occiſis aliquot Alexandri M. præfectis eas regiones ſibi ſubjecerit. At animadvertens Seleucus hoſtem egregie comparatum, his cum eo pactis convenit: Sandrocota quingentos elephantos, & filiam Seleuco uxorem tradito; Seleucus jus omne ad regiones Indo flumini adſitas abdicato.
302	4412	11	His compoſitis arma omnia in Antigonum convertit Seleucus. (n)
			Caſſandro Macedoniæ rege conciliante de integro fœdus inter ipſum, & Ptolemæum, Seleucum, atque Lyſimachum conflatur, quo acrius, atque antehac, Antigonum aggrederentur. (o)
			Antigonus in nova urbe ſua Antigonia ludos, ac certamina magna pompa, & accitis undique athletis conſtituit. Sed auditis primis Lyſimachi motibus ludos abrumpit. (p)
301	4413	12	Fœderati reges in Aſiam copias contrahunt contra Antigonum, ac Demetrium. Ad Ipſum Phrygiæ urbem pugna conſeritur: Antiochum Seleuci filium Demetrius primum in fugam vertit; ſed nimium avide hoſtes inſecutus, intermiſſis Seleuci elephantis, a patre Antigono Demetrius abſcinditur. Antigonus cum exercitus magna parte cæditur: anno regni in Aſia duodeviceſimo, ætatis octogeſimo ſexto. Demetrius Epheſum elabitur. Ut impleretur prophetia Danielis, quatuor reges fœderati Antigoni regiones inter ſe partiuntur: Seleuco Syria, & Aſiæ pars accedit: Ptolemæo Phœnice, & Cœleſyriæ pars major ceſſit, quas armis jam antea Antigono eripuerat: alia reliquis. (q)
			Sed orta mox contentione in duas partes diviſi reges: Demetrius ſeſe jungit Seleuco, Lyſimachus Ptolemæo. Danielis vaticinium impleri incipit. (r)
300	4414	13	Oniæ I. in pontificatu Judaico ſufficitur ejuſdem filius Simon, qui Juſtus compellatur. (s)
In	Vere		Seleucus in Syriam jam ſuam progreſſus Jovi in monte Caſio ſacra facit: quem dum de condenda urbe conſulit, aquila raptam de ara carnem ad maris littus defert; illic in Pieria regione Seleucia conditur. (t)
			Ferunt etiam augurium fulminis acceſſiſſe, quapropter Seleuciæ divini honores fulmini ſunt habiti. (u)
			In numis Seleuciæ hujus fulmen ſæpiſſime exhibetur, in iis præſertim, qui ſerius Auguſtorum ætate ſignati ſunt.

5.* Vi-

(n) Juſtinus lib. 15. c. 4.)(Appianus Syr.)(Strabo lib. 15.)(Plutarchus in Alexandro.
(o) Juſtinus lib. 15. c. 2.)(Diodorus Sic. lib. 20.)((p) Diodorus Sic. lib. 20.
(q) Plutarchus in Demetrio, & in Pyrrho. Appianus Syr.)(Arrianus lib. 7.)(Porphyr.)(Polybius lib. 5. Diodorus lib. 21.)(Danielis prophetia de quatuor cornibus hic impleta eſt: Dan. c. 8. v. 22. & c. 11. v. 4.)(Seleucus ab India uſque in Aſiam minorem omnia obtinet.
(r) Juſtinus lib. 15. c. 4.)(Potens Seleuci æmulus erat Ptolemæus, magnis diſſidiis in utriusque poſteros duraturis: quo impletur Danielis prophetia cap. 11. v. 4. & 5.
(s) Joſephus lib. 12. antiq. c. 2.)(Euſebius Chronic.
(t) Joannes Malela Chronico.)((u) Appianus in Syriacis.

TAB. II.

Argent. III. 4. b* Victoria navi insistens, ut in præcedente numo.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΑΘΕ. id est: *Regis Demetrium Atheniensium.* Neptunus gradiens, ut in numo præcedente, sed in area nullum monogramma, nec bipennis. Haym.

Æneus III. 5.* Caput laureatum vel Apollinis, vel ipsius Demetrii; nam non omnino abludit a Demetrii vultu. Haym.
ΔΗΜΗΤΡΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡ. - - *Demetriensium sacræ urbis.* Jupiter nudus stans, d. hastam puram, s. amiculum.

NUMISMATA SELEUCI I. NICATORIS.

TAB. II.

Argent. II. 1. Caput Seleuci galea tectum, quæ infra mentum clausa.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Victoria stans, dextra lauream imponit tropæo. In area AX. Haym.

Æneus III. 2. Caput galeatum, forte Palladis.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Victoria gradiens, sinistra palmam, dextra lauream, infra quam anchora. In area monogramma. Haym. Begerus. Spanheim.
Æneus III.)(In alio victoria stans, s. scutum, in quo anchora, in area A. D. Favvkener

Argent. II. 3. Caput Jovis Hammonis laureatum, barbatum, cornutum. Vaillant. Seguinus.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Pallas galeata, d. hastam, s. scutum vibrans currui insistit, quem vehit quadriga elephantorum: in area anchora.

Argent. II. 4. Similis numus præcedenti, sed solo Seleuci nomine signatus, sine addito regis titulo. Spanheim.

Argent. I. 5. Similis numus præcedentibus; sed inscriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ., & in area ΔΝ. quæ literæ non sunt annorum notæ, sed ignotæ significationis. Harduinus.

Æneus III. 6. Elephas gradiens: capite duobus cornibus munito.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚου. Caput equi, cornua duo gestans: infra anchora. Haym.
In alio caput equi sine cornibus. D. Favvkener
Æneus III. Similis pars aversa: in adversa caput Apollinis laureatum. Haym.

(4.b*) Athenienses a Cassandro, & Ptolemæo pressos Demetrius repente in Piræum classe appulsus, libertati restituit. Ideo Demetrio, & Antigono regis titulum Athenienses decrevere, teste Plutarcho in Demetrio. Factum hoc est circa annum Seleuc. 7.

(5.*) Sicyon Peloponnesi urbs a Demetrio occupata, & libera facta, Demetrias dicta est, teste Diodoro Sic. lib. 20. In Thessalia quoque prope Jolcon Demetrias fuit ab hoc Demetrio condita, ubi, & sepultus est: Plutarchus in Demetrio. Hic numus ob facti memoriam huc ponitur; etsi forte post Demetrii tempora signatus sit.

(1. 2.) Victoria ad Ipsum notatur, quo, & caput galeatum spectat. Τὸ AX. legunt: Achæorum: sociorum in prælio; sed incerta res est. De anchora ad numum 14. agetur.

(3.4.5.) Victoriæ ad Ipsum instrumenta erant elephanti, quos a Sandrocota Seleucus ante biennium acceperat.

(6.) Cornua (solemni orientalibus symbolo, & phrasi) singulare robur equitatus, & elephantorum indicant: Equus cornutus forte etiam ad Bucephalum alludit. De cornibus cum animalium, tum Deorum, ac regum erudite multa colligit Spanheimius de præstantia, & usu num. antiq. Tom. I. Differt. 7. §. 2.

Ante Christ. | Periodi Julian. | Æræ Seleuc.

300 | 4414 | 13 Jopolin ſubinde profectus Seleucus, Silphio monti impoſitam, Jovi Fulminatori in templo a Perſeo condito ſacrificat. Mox Antigoniam petit, ibidem ad aras, ab Antigono Jovi erectas, facit, atque omen rogat: Servandane eſſet Antigonia, an alia urbs extruenda? tum aquila carnem altari abreptam juxta Silphium montem demiſiſſe fertur prope Botziam vicum Oronti fluvio adſitum. Illic igitur Seleucus mœnium fundamenta, ac templum Jovi Botziæo ponenda curavit anno regni ſui in Babylonia duodecimo. (x)

Novam hanc urbem Antiochiam appellat a nomine patris ſui Antiochi, aut filii Antiochi, vel utriusque. Antigonia abducti cives Antiochiam cum aliis Græcis frequentare juſſi ſunt. Aucta ſubinde ab aliis regibus Antiochia Tetrapolis, ſeu quadruplex urbs facta eſt. (y)

Olympias CXX.

Agrum, & lucum Antiochiæ vicinum Apollini conſecrat Seleucus; quod Laodice mater Seleuci ſe ex Apolline Seleucum ſuſtuliſſe jactaret, & Apollinis vaticinio anchoræ ſignum in parvuli femore apparuiſſet: annulo quoque ab Apolline donata eſſet Laodice, cui anchora inſculpta. Inde anchora gentilitium ſignum Seleuco, & poſteris fuit. Ager vero ille Apollini, ac Dianæ ſacer cum luco vicino *Daphne* dictus, ab Apollinis in Daphnen amore nomen ſortitus eſt. Antiochia ipſa, ut ab aliis hujus nominis urbibus diſcerneretur, apud Scriptores, & in numis ΑΝΤΙΟΧΕΙΑ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ. vel ΕΠΙ ΔΑΦΝΗΙ dicitur. (z)

299 | 4415 | 14 Poſtquam Lyſimachus Ptolemæi fœderati ſui filiam Arſinoen uxorem duxerat; etiam Seleucus Demetrii amici ſui filiam Stratonicen ſibi conjugem elegit; eam Demetrius, comite uxore ſua Phila claſſe Athenis in Syriam transvexit. Seleucus, ac Demetrius amice converſantur. (a)

Prior Seleuci conjux, Antiochi mater, erat Apame.

298 | 4416 | 15 A Demetrio Seleucus Ciliciam (oblato pretio) ſibi cedi petit: ea negata commotior Tyrum, ac Sidonem poſtulat, quas in Phœnicia Demetrius Ptolemæo de integro eripuiſſet. Ubi neutrum obtinuit; animi alienantur. Phila dimiſſa Demetrius, & mortua Deidamia, uxore altera, Ptolemaiden Ptolemæi ſororem ſibi thoro jungit. (b)

287 | 4417 | 16 Stratonice Seleuco filium parit. Comarum laudem calva ambiebat Stratonice, & Junoni templum Heliopoli extruit. (c)

Caſſandro in Macedonia mortuo ſuccedit Philippus filius: eo mox mortuo, duo fratres Antipater, & Alexander. (d)

7. Ca-

(x) Malela in Chronico.)(Euſebius in Chronic.)((y) Appianus Syr.)(Juſtinus lib. 15. c. 4.)(Diodor. lib. 20.)(Judæi quoque Antiochiam translati, ſed hoc ſerius factum videtur; de quo alibi ex Joſepho lib. 2. contra Apion. Unde patet, Judæos Seleuco obnoxios fuiſſe.)(Strabo lib. 16.

(z) Appianus Syr.)(Juſtinus lib. 15. c. 4.)(Strab. lib. 16.)(Stephanus de Urbibus.)(Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 3.)(Libanius in Antiochico.

(a) Memnonis excerpta c. 9. apud Photium.)(Strabo lib. 12.)(Juſtinus lib. 17. c. 2.)(Plutarch. in Demetrio. (b) Plutarchus in Demetr. (c) Plutarchus in Demetrio.)(Lucianus de imaginibus, & de Dea Syria.)(Plinius lib. 35. c. 40.

(d) Juſtinus lib. 16. cap. 1.)(Pauſanias in Bœot.)(Plutarchus in Demetrio, & in Pyrrho.)(Dexippus, & Porphyr. apud Scaliger.

Æneus III,	7. Caput pelle leonis tectum, cum ala ad aurem. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Taurus procurrens: in area litera Ξ.	Noſter Haym. Vaillant.
Æneus III.	8. Caput cum diademate, & ala ad aurem, ſine pelle leonis, & alia ſpecie vultus. Cetera ut in præcedente.	Haym.
Æneus III.	9. Caput diademate, & ala ornatum: cetera ut in præcedentibus; niſi in area monogramma conſtans ex Π, & Δ.	Theupoli.
Argent. I.	10. Caput leonis exuviis tectum, Herculis potius, quam Seleuci. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Jupiter ſeminudus ſedens, d. aquilam, ſ. haſtam: in area delphinus, & monogrammata duo.	Noſter.
Argent. I.	11. Similis numus; ſed loco delphini caput parvum galeatum in area, & intra ſellam Jovis aſtrum.	Noſter.
Argent. I.	12. Similis fere numus: ſed Jupiter d. victoriolam tenet, quæ lauream utraque manu offert: in area monogramma.	Noſter.
Argent. I.	13. Similis præcedenti: ſed victoriola lauream, & palmam offert: aliud monogramma conſtans ex Σ., & I.	Vaillant.
Argent. III.	14. Caput leonis exuviis tectum. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Jupiter ſedens, d. aquilam, ſ. haſtam: in area anchora.	Baro Stein.
Æneus II. & III.	15. Caput laureatum Apollinis. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Pallas galeata ſtans: d. clypeum, ſ. telum; in area anchora.	C. Reg. Noſter. Haym.
	Similis numus alius ſine anchora.	Theupoli.
Æneus III.	16. Similis numus: in area loco anchoræ litera Θ.	Noſter.
Æneus III.	17. Caput comatum muliebre, vel Apollinis, & monogramma. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Apollo nudus ſtans, d. ſagittam tenet, ſiniſtram tripodi imponit: in area Δ.	Noſter. Haym.
Ænei III.	18. Similes duo numi cum aliis monogramm. quæ ex A., & T. ex N., & E. conſiſtunt.	Noſter. Haym.

(7., & 8.) Utriusque numi caput faciem Seleuci referre non videtur: ala celeritatis, & victoriæ, vel Mercurii nota eſt: leonis exuviæ Herculeam fortitudinem indicant; ab Hercule Macedones, Alexander præcipue, originem jactabant. Taurum ferocem Seleucus attinuit manibus, vivo Alexandro: teſte Appiano in Syriacis. Tauros Jovi Caſio, & Fulminatori immolabat Seleucus, uti Annales retulere.

(10.) Jovis cultus a Seleuco exercitus exprimitur: Aquila jovis ales, qua etiam Seleuco duplex omen datum, dum carnem ex ara rapiebat: vide Annales.

(15., & 16., & 17.) Apollo Seleuci pater creditus, & anchora ſignum gentilitium, de quo Annales.

Addi poteſt ex Appiano Apollinem, cum Laodicæ matri Seleuci annulum dediſſet anchora inſignem, addidiſſe: ibi Seleucum regnaturum, ubi hic annulus ei exciderit; id ad Euphratem eveniſſe; item in Babylonia ad lapidem offendiſſe Seleucum, quo effoſſo anchoram apparuiſſe.

Ante Christ.	Periodi Julian.	Æræ Seleuc.	
295	4418	17	Samaritanorum urbem a Perdicca extructam Demetrius Poliorcetes vastat. (*e*) In Syriæ igitur, aut Cœlesyriæ partibus aliqua adhuc tum possidebat Demetrius, qui Seleuco ægre facturus, Samaritanos impetiit.
Olympias CXXI.			
294	4420	19	Demetrius, occupatis antea Athenis, & Alexandro Cassandri filio malis artibus interfecto, Macedoniæ regnum arripit, quod sex annis obtinuit. (*f*)
293	4421	20	
			Antiochus Seleuci filius ex amore Stratonices novercæ æger decumbit, & morbi causam silentio premit; eam ubi Leptines mathematicus, & præprimis Erasistratus medicus detexissent; Seleucus filio Antiocho palam Stratonicen uxorem cedit, & provincias trans Euphratem omnes tradit. (*g*)
			Demodamas Seleuci, & Antiochi regum Dux Jaxartem fluvium Scythiæ, & Sogdianæ transgressus est, atque eas regiones descripsit. (*gg*) Tempus incertum est.
292	4422	21	Circa hosce annos urbes bene multas Seleucus in Syria, & in majore, ac minore Asia condidit: Antiochias, a patre Antiocho dictas, sexdecim: sex Laodiceas a matre: ab suo nomine Seleucias novem, tres Apameas, & Stratoniceam unam a duabus uxoribus. Porro variis in Syria, Media, Parthia, India, urbibus ab se instauratis Græca nomina indidit: In Syria Græca hæc nomina invaluere: Edessa, Berœæ duæ, Perinthus, Maronea, Callipolis, Achaia, Pella, Oropus, Amphipolis, Arethusa, Astacus, Tegea, Chalcis, Larissa, Herea, Apollonia. In Parthia Sotera, Calliope, Charis, Hecatompolis, Achaia. In Media Laodicea, Apamea, Rhaga. In Scythia Alexandrescata. Ab Seleuci victoriis Nicephorium in Mesopotamia, in Armenia Nicopolis nomen accepere. (*h*)
Olympias CXXII.			
291	4423	22	Judæos multos Antiochiam, & alias in urbes ab se conditas transfert Seleucus, impertito eisdem civium Macedonicorum jure. Simon summus Pontifex templi Jerosolymitani ædificia instaurat. (*i*)
290	4424	23	Pantauchus Demetrii dux a Pyrrho Epiri rege vincitur: Demetrii res in Macedonia debilitantur. (*l*)
289	4425	24	Pacem cum Pyrrho, & fœdus constituit Demetrius: tum ingentes belli apparatus molitur, universum patris Antigoni regnum recuperaturus. Quo intellecto Seleucus, Ptolemæus, & Lysimachus belli societatem ineunt. (*m*)

19. Ca-

(*e*) Eusebius in Chronico.)((*f*) Justinus lib. 19. c. 1.)(Plutarchus in Demetrio, & in Pyrrho.)(Pausanias in Bæoticis.)((*g*) Plutarchus in Demetrio.)(Appianus Syriac.)(Valerius Max. lib. 5. c. 7.)(Galenus de prænoscendo.)(Hanc Historiam alii Chronologi decennio serius, alii anno superiore contigisse putant. Ex Demetrii vita apud Plutarchum colligitur, eo tempore hoc circiter accidisse, quo Macedonia potitus est Demetrius. Videri possunt disceptata in Prolegomenis nostris parte IV. c. II.

(*gg*) Plinius lib. 6. c. 16.)(Stephanus de urbibus.)(Hesychius errat.)(Solinus c. 49.

(*h*) Appianus in Syriac.)(Strabo lib. 16., & alibi passim.)(Pausanias in Atticis.)(Stephanus Byzantius decem tantum Antiochias Seleuco tribuit.)((*i*) Josephus lib. 12. antiq. c. 3., & lib. 2. contra Apion.)(Eusebius in Chron. (*l*) Plutarchus in Pyrrho. (*m*) Plutarchus in Demetrio, & in Pyrrho.

Æneus III.	19. Caput Apollinis laureatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Bos ſtans: in area monogramma ex Ρ Δ, & Λ compoſitum.	C. Reg. Haym.
Æneus III.	20. Caput Apollinis paullo diverſum a priori. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Bos dimidius in anteriores pedes procumbens: monogramma ſimile priori.	Haym.
Æneus III.	21. Simile caput, & averſæ inſcriptio: Bos cornupeta, & in area monogramma. Inferius Ε Υ.	Haym.
	In alio ſigna duo, unum circuli, vel annuli inſtar, alterum pentagonum, cujus imaginem vide in Tabula III.	D. Fawkener
Argent. I.	22. Caput Seleuci diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Apollo nudus ſedens, d. ſagittam, ſ. arcum: ad latus Victoriola, d. corollam offerens.	Theupoli.
Æneus III.	23. Caput Bacchi, hederæ ſerto redimitum. Eadem inſcriptio: Tripus ſtans; in area monogramma.	Haym.
Æneus III.	24. Caput quaſi muliebri ornatu tectum. Similis fere priori pars averſa: in area ΕΥ.	
Æn. III.	25. Caput muliebre, nullius Deæ ſigno, forte Stratonices. Eadem inſcriptio: Diana ſtans d. extenſa, ſ. haſtam; ad pedes cervus.	Haym.
Æneus III.	26. Caput Dianæ cum arcu ad humeros. Eadem inſcriptio: Apollo nudus cortinæ inſidet, d. ſagittam, ſ. arcum gerens.	Liebe.
	Alius in area C E A forte Σελευκέων. *Seleucienſium.*	D. Fawkener
Æneus III.	27. Caput, leonis exuviis tectum. Inſcriptio eadem: Pallas galeata ſtans, d. telum, ſ. clypeum.	Noſter.
Æneus III.	28. Caput Dianæ cum arcu a tergo. Inſcriptio eadem: Pallas ut in priori, ſed in area anchora. Iconem vide Num. 15.	Noſter.

E e Fœ-

(19. 20. 21.) De Apollinis colendi peculiari titulo dictum eſt: bos etiam Apollini offerri ſolebat. Ars ſagittas arcu ejaculandi Apollini vulgo tribuitur. De pentagono ſalutis ſigno dictum in Prolegomenis parte 1. cap. 4.

(23.) Bacchi cultum in Syria floruiſſe, regum Syriæ numi multi, & liber II. Macchabæorum, cap. 6. verſu 7. nos docent.

(26.) Sedes conoides, cui Apollo in numis frequenter inſidet, vas illud æneum eſſe videtur, quod Plinius lib. 34. Cortinam nominat: ei vaſi, in vertice perforato, inſidebant vatidicæ Apollinis ſacerdotes, & Ἐγγαςρίμυθοι, ut fœdo mali dæmonis inſtinctu reſponſa darent.

(25., & 26.) Diana Perſica magnopere in oriente his temporibus colebatur, de qua vide Notas ad Annales noſtros anni Seleucid. 149. Seleucus etiam celebre Dianæ idolum, a Bravone quodam Suſa delatum, Laodicenſibus in Syria donavit, teſte Pauſania in Atticis. Cervus frequenter in numis Dianæ tanquam venationis præſidi adſignatur.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleucid.

288 | 4426 | 25 Fœderati reges bellum adverſus Demetrium omni vi in Europam transferunt; Pyrrhum ſollicitant: qui corrupto Demetrii exercitu Macedoniam occupat. (*n*)

Olympias CXXIII.

In Judæa ſummus Pontifex Eleazarus, Oniæ I. filius, Simonis Juſti frater, eidem Simoni mortuo ſuccedit in Pontificatu; cum parvulum adhuc tum filium, Oniam dictum, Simon reliquiſſet. (*o*)

287 | 4427 | 26 Pyrrhus cum Lyſimacho Macedoniæ regnum partitur. Demetrius velut exul Caſſandriam venit cum exercitu, ubi Phila ejus uxor ſe dolore amens veneno enecat. Tentatis Athenis Demetrius in Aſiam transmittit, ut Cariam, & Lydiam Lyſimacho eriperet. Mileti Eurydicen, Phylæ ſororem uxorem ducit. Urbes Aſiæ non paucas Demetrius cum Sardibus Lydiæ metropoli cepit. Sed ab Agathocle Lyſimachi filio in arctum redactus, & omni pene commeatu interclufus eſt. Multi a Demetrio ad Agathoclem transfugiunt. Seleucum per literas orat Demetrius, ſoceri ut miſereatur. Seleucus primum commiſeratione, ſed plus deinde ſuſpicionibus motus eſt, atque exercitum contra Demetrium mittit, qui, ut fera concluſus, Syriæ clauſtra vi perrumpens, Seleuci regiones populatur, ejusque copias aliquoties ſuperat. Tum in morbum Demetrius incidit, multique ejus milites dilabuntur. (*p*)

286 | 4428 | 27 Lyſimachus Macedonia, Pyrrho exacto, potitur. (*q*)

Demetrius valetudine recepta in Cyrrheſticam movens, parum aberat, quin Seleucum noctu adortus obrueret. Seleucus ſe militibus Demetrii oſtentans, eosdem ad ſe pertrahit. Demetrius deſertus ſe dedit Seleuco; ab eodem primum regie habetur. Tum in Syriæ Cherſoneſum relegatur, libera, commodaque captivitate detentus. Lyſimachi crudelia, de tollendo e medio Demetrio, conſilia reſpuit Seleucus; contra vero ad Antiochum filium in Mediam de reſtituendo in regnum Demetrio literas mittit. (*r*)

285 | 4429 | 28 Ptolemæus Soter Ægypti rex, morti vicinus Ptolemæum Philadelphum ex Berenice ſuſceptum, regem nominat, ac inſtituit, præ filio natu majore Ptolemæo Ceranno; qui idcirco ad Seleucum confugit, & benevole acceptus, atque bona ſpe erectus eſt.

Nova æra Ptolemæi Philadelphi a Dionyſio aſtronomo uſurpatur. (*s*)

284 | 4430 | 29 Demetrius in captivitate conviviis fractus e morbo obit: Seleucus male ideo audit. Aſiæ regnum Syriaco adjungit Seleucus. Regnavit Demetrius ſolus annis XVII. Demetriade ſepultus. (*t*)

Olympias CXXIV.

Ptolemæus Soter in Ægypto moritur. (*u*) Judæi Seleuco annuum ſtipendium CCC. argenti talentorum ſolvunt, ſuis tamen a Pontificibus reguntur. (*x*)

I. Ca-

(*n*) Plutarchus in Demetrio, & in Pyrrho.)(Juſtinus lib. 16. c. 2. (*o*) Euſebius Chronic.)(Joſeph. lib. 2. antiq. c. 2. (*p*) Plutarchus in Demetrio.)(Juſtinus lib. 16. c. 2.)(Pauſanias in Atticis.

(*q*) Juſtinus lib. cit. c. 3.)(Dexippus, & Porphyrius in Græcis apud Scaliger.

(*r*) Plutarchus in Demetrio.)(Diodorus lib. 21. in excerptis Valeſii, qui Demetrium Pellæ in Syria ſervatum refert. Græca Euſebii apud Scaliger. (*s*) Pauſanias in Atticis.)(Juſtinus lib. 16 c. 2.)(Lucianus in Longævis.)(Porphyrius.)(Ptolemæus in Almageſto lib. 9. c. 7.)(Appianus Syr.)(Memnonis excerp. cap. 9., & 13.

(*t*) Plutarchus in Demetr.)(Dexippus, & Porphyrius.)(Vide dicta ad numum 5. Demetrii Poliorc.

(*u*) Euſebius, & Porphyrius. (*x*) Severus Sulpitius Sacræ Hiſtoriæ lib. 2.

REGIS ÆGYPTI;
Et aliquando Syriæ, ac Phœnices deinde, & Cœlefyriæ Domini
TAB. III.

Argent. I. 1. Caput Ptolemæi Soteris diadematum. C. Reg. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΩΤΗΡΩΣ. *Ptolemæi Soteris, ſeu ſervatoris.*
Aquila fulmini inſiſtens: in area AB.

Argent. I. 2. Similis numus: in area ΠΗ. Vaillant.

Argent. I. 3. Similis numus: in area monogramma AP. conjunctum. Theupoli.

Argent. I. 4. Similis numus: in area: ΕΛΔ., & monogramma: ME., & O. Theupoli.

Argent. I. 5. Caput diadematum Soteris. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Regis Ptolemæi.* Aquila fulmini Noſter.
inſiſtens, ſine aliqua nota in area.

NUMISMATA SELEUCI I. NICATORIS.
TAB. III.

Aureus III. 29. Caput Seleuci diadematum, & cornu tauri ornatum, vultu Haym.
ſenili.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Caput equi frænatum, & cornutum. In area duo monogrammata.

NUMISMATA LYSIMACHI, THRACIÆ REGIS.
Seleuci I. fœderati, ac ſubinde æmuli.
TAB. III.

Argent., & Aurei I., & III. 1.* Caput Lyſimachi diadematum cum cornu arietis. Noſtri ſex argentei, & alibi obvii.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Regis Lyſimachi.* Pallas ſedens, d. Victoriolam, ſ. haſtam, & clypeum: in area bubo.
Obvii ſunt ejusmodi numi, cum variis in area numi parvis figuris, & literis incertæ ſignificationis.

Argent. III. 2.* Caput, leonis exuviis tectum, Lyſimacho perſimile. Noſter.
Eadem inſcriptio: Jupiter ſedens, d. aquilam: in area animal dimidium procurrens, & duo monogrammata. Animal eſt leoni ſimile.

Æneus III. 3.* Caput galeatum Palladis. Noſter.
Eadem inſcriptio: leo currens: in area pilum haſtæ, & fax: item monogramma ME. conjunctum, & ΔI.

(1. 2. 3. 4.) Literæ in area incertæ: Vaillant. legit AB. Abydenorum in Ægypto: ΠΗ. Peluſiotarum in Ægypto. AP. Aradiorum in Phœnice. (5) Ex vultu hic numus noſcitur eſſe Ptolemæi Soteris.

(29.) Cornua tauri Bacchi ſimiliter cornuti cultum indicant, id quod de Demetrio Poliorcete, in numis ita etiam cornuto, Diodorus Sic. lib. 20. memorat. Seleuci ſtatuam æneam, capite tauri cornibus ornato Athenienſes poſuere, teſte Libanio in Antiochico. Attamen hic cornu Seleuci, auctam ejus, Demetrio capto, potentiam indicare videtur: Vide dicenda anno Seleucid. 32.
)(Equus cornutus, & frænatus ad Demetrium captum alludit; nam cum Demetrius (Plutarcho teſte) Seleucum noctu propemodum obruiſſet; excitatus Seleucus exclamavit: *Cum immani bellua mihi res eſt.* Poteſt tamen etiam robur equitatus hac figura exhiberi.

(2.* & 3.*) Memoria hic ejus facinoris ſignata eſt, quo Lyſimachus olim juſſu Alexandri M. leoni objectus. eundem domuit: teſte Juſtino lib. 15. c. 2. Facibus alioqui, & ferro domari ſolent leones. Monogrammata incertæ ſunt interpretationis.

Ante Christ.	Periodi Julian.	Æræ Seleuc.	
283	4431	30	Lyſimachus occiſo filio ſuo Agathocle, etiam proceres eum lugentes morte afficit; multi ergo ad Seleucum a Lyſimacho deficiunt; quos inter erat Philetærus Pergami dynaſta. Hæc novi belli cauſa inter Lyſimachum, & Seleucum præter gliſcentem jam diu potentiæ æmulationem. Seleucum ad arma incitat etiam Lyſandra, Agathoclis occiſi vidua cum prolibus ad Seleucum confugiens. (*y*)
282	4432	31	Seleucus in Aſiam veniens Sardenſium arcem ab ejus præfecto Theodoto una cum Lyſimachi theſauris ſtratagemmate extorquet. (*z*)
			Lyſimachus e Macedonia in Aſiam cum exercitu trajecit; in Phrygia ad Helleſpontum circa Cori campum pugna victus a milite Seleuci Macaone, ſeu Malacone dicto, patria Heracleota, transfigitur: cadaver regis a fido cane ſervatum, atque inde dignotum eſt. (*a*)
			Heracleenſes in Ponto Heraclitum a Lyſimacho ſuæ urbi præfectum obtruncant: arcem diruunt, & legatos ad Seleucum mittunt, qui ejus tutelam implorent. Ab Seleuco minus benevole auditi, armis libertatem ſibi adſerere parant. (*b*)
281	4433	32	Sublato Lyſimacho, cum ejus ditiones ad Seleuci regnum acceſſiſſent, atque ſe tanta potentia auctum, omnibusque æmulis ſuperſtitem gauderet Seleucus, in Macedonia patria reliquos vitæ dies tranſigere conſtituit. Helleſponto ergo transmiſſo, cum Lyſimachiam Thraciæ peteret, in itinere prope aram aliquam, Argos dictam, a Ptolemæo Cerauno perfide confoditur, quem ex Ægypto ad ſe confugientem liberaliter habuit Seleucus. Olim oraculo monitus eſſe perhibetur Seleucus, ab Argis ut ſibi caveret. (*c*)
			Philetærus Pergami dynaſta Seleuci cadaver a Ptolemæo Cerauno multo pretio redimit, honorifice cremat: cineres regi Antiochi I. Soteri, Seleuci filio mittit, qui eosdem Seleuciæ in Pieria ſplendido ædificio honoravit, quod a cognomine Seleuci Nicatoris Nicatorium nominatum eſt. (*d*)
			Seleuci Nicatoris memoriam Athenienſes ſtatua cornuta ex ære ipſi poſita, Lemnii templis extructis, Antiocheni in Syria, Herois titulo ipſi dato, cum feſto die in monte Caſio apud Seleuciam celebrandam decrevere. Nicatorium quoque ibidem excitandum curavere. Iidem Antiocheni, uti Athenienſes, ſtatua ænea honoraverint Seleucum, cornua Taurina ejus capiti adponentes. Vide numum Seleuci Numero 29. caput Seleuci cum taurinis cornibus exhibentem. (*e*) Statuam Seleuci Lyſippus aliquam fecit. *

Seleu-

(*y*) Juſtinus lib. 17. c. 1.)(Strabo lib. 13.)(Pauſanias in Atticis.)(Appianus Syriac.
(*z*) Polyænus lib. 4. ſtratagematum. (*a*) Appianus Syriac.)(Juſtinus lib. 17. c. 1., & 2.)(Pauſanias Attic.)(Græca Euſebii ex Dexippo apud Scaliger.
(*b*) Excerpta Memnonis apud Photium cap. 8., & 10.
(*c*) Polyb. lib. 2.)(Juſtinus lib. 17. c. 2.)(Appianus in Syr.)(Memnonis excerpta c. 13.)(Pauſanias in Atticis ſcribit ita, ut videatur aliqua pugna inter Ptolemæum Ceraunum, & Seleucum interceſſiſſe; ſed ex aliis contrarium conſtat. (*d*) Appianus in Syriacis.
(*e*) Athenæus lib. 6.)(Strabo lib. 16.)(Libanius in Antiochico. * Vide inſcriptiones antiquas ad finem Annalium.

Ante Christ.	Periodi Julianæ	Æræ Seleuc.
281	4433	32

Seleucus vitæ annos numeravit ſeptuaginta octo, non expletos, ſi Juſtinum (*f*) ſequi libeat: ſi Appianum, (*g*) ſeptuaginta circiter: regno præfuit (ſi ſatrapiæ etiam annos omnes cum Appiano connumeremus) ultra annos quadraginta: ab æra vero Seleucidarum, ſeu ab obtenta Babylonia, & Media annum inchoavit triceſimum ſecundum. (*h*)

Fuit Seleucus robuſto, vegetoque corpore: animo item regio, & liberali, honeſti, ut in idololatram cadit, amans: literatorum fautor, præcipue Megaſthenſis hiſtorici, & Eraſiſtrati medici. Athenienſibus bibliothecam in Perſide inventam, ſtatuasque reſtituit, aliaque aliis urbibus ſimilia præſtitit. (*i*)

Prior Seleuci uxor erat Apame, Perſis natione, Artabazi filia, e qua Antiochum I. Soterem ſuſtulit: altera Stratonice Demetrii filia, quam eidem Antiocho filio præpoſtera indulgentia ceſſit. (*l*) Ex hac antea genuit filiolum anonymum. (*ll*)

Ff Antio-

(*f*) Juſtinus lib. 17. c. 1., & 2. (*g*) Appianus in Syriac. (*h*) Euſebius in Chronico.)(Porphyrius.)(Polybius lib. II.)(Vide dicta in Prolegomenis noſtris parte 4, c. 2., & 4.

(*i*) Appianus Syriac.)(Aul. Gellius Noctium Attic. lib. 6. c. 7.)(Pauſanias in Atticis.)(Valerius Max. lib. 2. c. 7.)(Arrianus de rebus Alexandri M. lib. 7.

(*l*) Hæc in Annalibus comprobata ſunt; item Strabo lib. 12. de Apame. (*ll*) Plutarchus in Demetrio. Malela, ſeu Malala Antiochenus in Chronographia tres filias Seleuco tribuit: ex Apame Apamen, & Laodicen: e Stratonice Philam. Sed hic ſcriptor ſæpe errat.

NUMISMATA SELEUCI I. NICATORIS.

TAB. III.

Æneus III. 30. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Seleuci:* caput Jovis laureatum. Haym.

ΓΕΡΜΗΝΩΝ. *Germenorum.* Aquila fulmini inſiſtens.

Æneus I. 31. ΣΕΛΕΥΚΟΣ. ΝΕΙΚ. *Seleucus Nicator.* Seleuci caput diadematum. Memoires de Trevoux 1739. Octobre.

ΔΙΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Diocæſareenſium.* Templum, cujus frontiſpicium hexaſtylon.

* ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΝΙΚΑΝΟΡΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Numiſma adulterinum protulit Joſephus Scaliger in animadverſionibus ad Chronicon Euſebii pag. 119. quale in Goltzii Theſauro legitur.

Numum argenteum ſincerum parvi moduli inſcriptum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ad Seleucum VI. pertinere ſuo loco oſtendam.

(30.) Germa Ptolemæo lib. 5. Geogr., & Stephano Helleſponti urbs erat; eam regionem Seleucorum alius nemo præter Nicatorem, neque ipſe, niſi poſtremo vitæ ſuæ anno poſt victum Lyſimachum poſſedit. Ad hunc igitur regem Seleucum, atque ad poſtremum ejus vitæ annum hunc numum recte quidem Haymius retulit. Verum numiſma Haymius mutilum nactus, ſe, & me una in errorem impulit; nam, & Roma edoctus ſum, aliter ſe epigraphen integram habere, & D. Marchio Napoli ſuum numiſma mihi delineatum dedit, in quo ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ Pergamenorum legitur.

(31.) Numus iſte non ſub Seleuco I., ſed aliquot ſæculis ſerius in ejus memoriam ſignatus eſt; id nomen ipſum urbis Diocæſareæ oſtendit, quod ἀπὸ Διὸς καὶ Καίσαρος, a Jove, & Cæſare compoſitum, variis urbibus datum eſt. Numus iſte videtur ad Sepphorim Galileæ urbem pertinere, quæ Diocæſarea dicta eſt, teſte S. Hieronymo in Jonam, & Hegeſippo lib. 1. c. 30.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
281	4433	32	Antiochus Primus Seleuci I. ex Apame Perſide filius patri in toto Syriaco, & Aſiatico imperio ſuccedit, cujus partem orientalem jam vivo patre poſſederat. Julianus Imperator ſcripſit: Antiochum matrimonium cum Stratonice noverca antea recuſaſſe, idque poſt mortem denique Seleuci patris conſummatum fuiſſe; ſed hiſtorici reliqui adverſantur, & item inſcriptio vetus marmoris Sigeorum. (*m*)
			Antiochus acceptis a Philetæro Pergami dynaſta, vel regulo Seleuci cineribus, eos extructo Seleuciæ Nicatorio honorat. (*n*)
			Pyrrho Epiri regi ad gerendum cum Tarentinis adverſus Romanos bellum pecunias ſubminiſtrat Antiochus. (*o*)
280	4434	33	Ptolemæus Ceraunus occupato anno ſuperiore Macedoniæ regno pacem ab Antiocho impetrat. (*p*)
			Circa hoc tempus Stratonice mortua, ſororem uxorem duxit Antiochus, uti indicat marmor Sigeorum poſt Annales exhibitum.
Olympias CXXV.			Multis præliis Antiochus decertans per hoſce annos, integrum tamen in Aſia paternum regnum conſervare non potuit. Patrocles Antiochi dux Heracleotas in Ponto infeſtaturus, Hermogenem legatum eo cum copiis mittit; ſed Hermogenes paullo poſt pacem cum Heracleotis init. Patrocle vero duce Syri Bithyniæ fines incurrunt, quos Zipœtes Bithynorum rex internecione delet. (*q*)
279	4435	34	Ptolemæo Cerauno a Gallis, Belgio duce pugnantibus, interfecto, Antigonus Gonatas Demetrii Poliorcetis filius, Macedoniæ regnum ſibi vindicat, Meleagro, & Antipatro ſubmotis. (*r*)
			Patroclis, & ſuorum cædem vindicaturus Antiochus in Nicomedem I. novum Bithyniæ regem bellum inſtruit, Sigeum Troadis urbem cum claſſe venit: teſte marmore Sigeorum. (*s*)
278	4436	35	Antigonus Gonatas, ſocio Nicomede Bithyno, arma parat adverſus Antiochum, ejusque ſocios, Macedoniæ regnum affectantes. Nicomedi naves ſubſidiarias mittunt Heracleotæ: res omnis intra apparatus, & aliquos motus conſtitit. (*t*)
			Græciam Galli, & Macedoniam invadunt; idcirco Antigonus Gonatas pacem cum Antiocho init. Suppetias Antigono adverſus Brennum Gallorum ducem mittit Antiochus, ſororemque ſuam Philam e Seleuco, & Stratonice fortaſſe genitam eidem Antigono uxorem tradit. (*u*)
			Lutario, & Leonorio ducibus Galli in Aſiam tranſeunt, juvante Nicomede, ibidemque pars, pars in Europa circa Byzantium ſedes locant. (*x*)

I. Ca-

(*m*) Appianus Syriac.)(Juſtinus lib. 17. c. 2.)(Juliani Miſopogon.)(Prolegomena noſtra parte 4. c. 2.)(Inſcriptio II. ad finem Annalium. (*n*) Appianus Syr. (*o*) Juſtinus lib. 17. cap. 2. (*p*) Juſtinus lib. 24. c. 1. (*q*) Photius in Codice 224. Memnonis excerpta cap. 16., & 21. (*r*) Juſtinus lib. 12. c. 14.)(Porphyrius in Græcis Euſebii.)(Memnonis excerpta relata.

(*s*) Memnonis excerpta c. 17. (*t*) Memnonis excerpta c. 19. (*u*) Plutarchus in Demetrio.)(Juſtinus lib. 24. c. 6., & lib. 25. c. 1.)(Vaillantius in Hiſtoria Seleucidarum pag. 19., & pag. 42. Philæ meminit, tanquam filiæ Seleuci e Stratonice. Teſtes adducit Juſtinum lib. 25., & Plutarchum in Arato. Ego de filia Seleuci e Stratonice nihil invenio: ſed ſolus Malela Philæ meminit: filii vero Plutarchus in Demetrio meminit.

(*x*) Livius lib. 38.)(Strabo lib. 12.)(Pauſanias in Atticis, & in Phocicis.)(Polybius lib. 4.)(Memnonis excerpta cap. 20., & 21.

TAB. III.

Aureus III.	1. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Regis Antiochi.* Apollo nudus cortinæ insidet, d. sagittam, s. arcum. *Rarissimus ob metallum.* Monogrammata vide in imagine.	Haym.
Argent. I. & Æneus III.	2. Similia numismata cum monogrammatis interdum, ut apud Vaillant. duo. In nostro æneo aliud monogramma. Iconismus est numismatis Fawkeneriani. Begeri argenteus anchoram penes Apollinem exhibet.	C. Reg. D.Favvkener Theupoli. Haym. Noster.
Æneus III.	3. Caput muliebre senili vultu, nullo Deæ indicio. Eadem inscriptio: elephas stans.	Haym.
Æneus III.	4. Caput mulieris alia specie, & ornatu. Eadem inscriptio: Apollo sedens, ut Numero 1., & 2.	Haym.
Æneus III.	5. Caput mulieris velatum diversa specie a præcedentibus. Eadem inscriptio: caput elephantis; pone pars navis, & astrum.	Noster.
Æneus III.	6. Simile numisma priori, sed ad caput mulieris A, & ad caput elephantis tripus tantum.	Haym.
Æneus III.	7. Similia priori numismata; sed in area aversæ partis præterea Ξ. vel K. vel Δ.	Liebe. Haym. Noster.
Æneus III.	8. Caput Antiochi diadematum, ut Numero 13., & 14. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Caput elephantis, pone tripus.	D.Favvkener
Æneus III.	9. Caput Apollinis laureatum. Eadem inscriptio. Apollo nudus cortinæ insidens, d. sagittam, s. lyram solo impositam detinet.	Haym.
Æneus III.	10. Caput Apollinis simile priori. Eadem inscriptio: tripus. Monogrammatis vestigia.	Noster.
Æneus III.	11. Similis numus; sub tripode anchora jacens, & duo monogrammata.	Noster.
Æneus III.	12. Similis numus: in area ad tripodem hinc pharetra, inde arcus, & monogramma ME. conjunctis.	Haym. D.Favvkener

(1., & 2.) Numos hoc vultu Antiochi I. esse (non Secundi, uti hactenus creditum) demonstrant numi Numero 13., & 14. sequentis paginæ.
De Icone numi Numero 2. dubitabam, Antiocho I., an Antiocho III. jam seni tribuenda esset? sed excellentissimi Fawkeneri sum hic sententiam secutus.

(3) Apame, mater Antiochi, uxor prima Seleuci Nicatoris, hic, ut puto, exhibetur; nam simile caput in Seleuci I. numo, Numero 17. dedimus.

(4) Laodicen, Aviam Antiochi, matrem Seleuci, hic referri censet Haymius.

(5) Stratonices, uxoris Antiochi, caput hoc esse probabilissimum puto.
Caput elephantis ad victoriam de Gallis referendum videtur, de qua postea.

(6) Apollinis, & anchoræ symbola ad prætensam Seleuci originem alludunt, de qua satis.

Ante Christ.	Periodi Julian.	Æræ Seleuc.	
277	4437	36	Ptolemæus Philadelphus Ægypti rex sacros libros ex Hebræo in Græcum sermonem transferendos curat, incitante Demetrio Phalereo: idem rex Judæis omnibus in Ægypto degentibus libertatem dat, & septuaginta duos interpretes ab Eleazaro summo Pontifice ex Judæa missos, re perfecta, divites remittit. (y)
276	4438	37	Galli in Macedonia cæsi sunt: in Asia vero cum Nicomede contra Zipœtem juniorem pugnant: Bithyniam maritimam occupant,
Olympias CXXVI.			& cum Nicomede partiuntur; suas terras Gallo-Græciam, seu Galatiam appellant. (z)
175	4439	38	Gallos Asiam insultantes Antiochus ingenti victoria profligat, elephantum potissimo ad eam victoriam momento; quam ob rem
- - -	- - -	- - -	in tropæis elephantem tantum effingi jussit. Ob hanc victoriam Antiochus ΣΩΤΗΡ. *Servator* dictus. (a)
			Circa hoc tempus Antiochus in Phrygia Apameam condidisse videtur, incolis ex urbe Celænis traductis. (b)
Anni incerti.			In Margiana Parthiæ provincia urbem de suo nomine Antiochiam condidit Antiochus. (c)
			Olympionicon catalogus apud Scaligerum in thesauro temporum Olympiade CXXVIII. ineunte Arsacem in Parthia defectionem a Syro-Macedonibus molitum esse refert; verum hac in re aliorum suffragio omnino destituitur. Sed de Parthorum initiis mox plura sub Antiocho II., & Seleuco II. occurrent.
268	4446	45	Circa hoc tempus Antiochus e sorore, eademque uxore, cujus
OlympiasCXXVIII.			nomen latet, Laodicen sustulit, quæ postea Antiocho II. fratri suo
- - -	- - -	- - -	nupsit. (d)
264	4450	49	Magas Cyrenaicæ rex, Ptolemæi Philadelphi frater, Apamen duxerat, Antiochi filiam; genero stimulante in Ægyptum irruptio-
Olympias CXXIX.			nem molitur Antiochus. Sed Philadelphus dimissis in omnes Antiochi regiones militum juxta, ac prædonum copiis late omnia populantibus, consilia intervertit. (e)
263	4451	50	Eumenes I. Pergami dynasta, Philetæri successor, Antiochum apud Sardes prælio vicit, & regni sui fines ampliavit. (f) Multa bella Antiochi tenebris involuta jacent ante hos annos gesta. (g)
262	4452	51	Antiochus altero filio Ptolemæo occiso, altero rege nuncupato Antiocho, senex prope Ephesum a Gallis victus decessit in prælio. (h) Regnum reliquit non multo deterius, sed metu concussum a Gallis, & Ægyptiis. (i)
			Regnavit post mortem patris annis XIX. (l) Cum patre in oriente in annum XII. Uxorem priorem habuit Stratonicen, Demetrii Poliorcetis filiam, alteram sororem anonymam: filios genuit duos, Ptolemæum, & Antiochum II., filias Apamen, & Laodicen, de quibus omnibus paullo ante dictum est, item Stratonicen e Stratonice, quam Ariarathi III. Cappadociæ regi collocavit; nisi hæc est Stratonice Antiochi II. filia, Ariarathi IV. nupta. (m)
			Antiochus cum patre Seleuco ab Atheniensibus, qui in Lemno erant, consecratus est, & a Smyrnensibus: Stratonicæ quoque Smyrnenses templum struxere, nomine Veneris Stratonicidis. (n)

13. Ca-

(y) Joseph. lib. 12. antiq. c. 2.)(Aristeæ libellus de 70. Interpretibus.)(Tertullian. in Apologet.)(S. Epiphanius de mensur., & pond. (z) Livius lib. 38.)(Justinus lib. 25. c. 2.)(Memnonis excerpta c. 20.

(a) Lucianus de Zeuxi, & Antiocho.)(Appianus Syr. (b), & (c) Strabo lib. 11. (d) Polyænus Stratagem. lib. 8. (e) Pausanias in Atticis. (f) Strabo lib. 13. (g), & (h) Trogus in Proëmio lib 26. cum Plinio lib. 29. c. 1., & lib. 7. c. 37. Plinius lib. 8. c. 44.)(Ælianus Histor. animal. lib. 6. c. 44. (i) Vide Prolegomena nostra parte 4. cap. 2., & 4.

(l) Eusebius in Chron., & Porphyr. apud Scaliger. (m) Diodor. Sic. in fragmento lib. 31. apud Photium cod. 244. (n) Athenæus Dipnosophist. lib. 6.)(Marmor Arundellianum editum ab Seldeno, ac deinde ab Humfrido Prideaux, quod vide ad finem Annalium.

TAB. IIII.

Argent. I.	13. Caput Antiochi diadematum. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Soteris Antiochi.* Apollo nudus cortinæ insidens, d. sagittam, s. arcum. *Numisma elegantissimum, & singulare.*	D.Favvkener
Æneus III.	14. Simile caput, & aversæ inscriptio: anchora inversa cum annulo, in area duo pilei Dioscurorum, & monogramma.	D.Favvkener
Æneus III.	15. Caput galeatum Palladis, pone signum impressum Σ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Victoria genu flectens coram anchora scuto impressa, d. lauream attolit; sub scuto M.	Haym.
Æneus II. vel III.	16. Scutum Macedonicum, in quo anchora, aliis scutis circumdatum. Eadem inscriptio: elephas stans, & monogramma.	Haym. Spanheim. D.Favvkener
Æneus III.	17. Caput, quia attritum, dubium, an Antiochi, an Apollinis. Eadem inscriptio: elephas cum insessore; a tergo tripus.	Noster
Æneus III.	18. Caput Jovis laureatum, & ornatum; sive sit alterius idoli. Eadem inscriptio: fulmen; pone clava cum anchora incusa.	Noster.
Æneus III.	19. Similis numus, sed sine clava, & signum incusum quasi ramus.	Haym.
Argent. III.	20. Caput Jovis laureatum. Eadem inscriptio: fulmen alatum.	D.Favvkener
Argent. III.	21. Caput imberbe virile rictu leonino tectum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Jupiter seminudus sedens, d. aquilam, s. hastam, ad pedes leo.	D.Favvkener
Argent. I.	22. Simile numisma: sed sine leone; ast sub sella Jovis duo monogrammata. *Imago numi est uti sub Seleuco I. Num. 10., & 11.*	D.deSutnern
Æneus III.	23. Caput Antiochi galeatum. Eadem inscriptio: duo clypei.	Theupoli.
Æneus III.	24. Caput Antiochi galeatum. Tropæum; inscriptio eadem.	Theupoli.

Gg Antio-

(13., & 14.) Numi quantivis pretii, qui titulum *Soteris*, & verum vultum (præsertim argenteus magnus) Antiochi I. exhibent, hactenus non vulgati. Goltzius in thesauro Soteris titulum e numo etiam protulit.

(15., & 16. &c.) Victoria de Gallis relata, ob quam anchora, seu stirps Seleucidarum ampliori in honore collocata. Victoria illa elephantum potissimo subsidio obtenta, & elephas in monumentis sculptus, ubi in Annalibus dictum.

(18. 19. 20.) Seleuciæ in Pieria Syriæ signati hi numi, ubi fulmen pro Deo habitum ob augurium Seleuci I., uti in Seleuco dictum est.

(21., & 22.) Simillimi numi sub Alexandro M., Philippo Aridæo, & Seleuco I. procusi sunt.

(23., & 24.) Hoc numorum par catalogus Musei Theupolitani Antiocho II. tribuit; sed cum Vaillantium, & Haymium secutus videatur, in vultu Antiochi cum iis aberraverit.

Ante Chriſt. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleucid.

Antiochus II. patri Antiocho I. e Stratonice priore uxore genitus,
262 | 4452 | 51 in regno ſuccedit. Timarchum Mileſiorum tyrannum cum e me-
261 | 4453 | 52 dio ſuſtuliſſet, ab iisdem Θεός *Deus* ſeu *Divus* appellatus eſt. (*a*)

Ab autumno hujus anni Aradiorum æram inchoat P. Hardui-
nus, numis, ut putat, congruentem; Cardinalis Noriſius triennio
ſerius hujus æræ initium ſtatuit. (*b*)

260 | 4454 | 53 Bellum ab Antiocho Byzantiis intentatum intra minas ſtetit, poſt-
Olympias CXXX. quam Heracleotæ in Ponto ſubſidiariam Byzantiis claſſem ſubmiſe-
259 | 4455 | 54 re. (*c*) Antiochus rex omnibus viribus inſtaurat bellum, a patre An-
tiocho I. adverſus Ptolemæum Philadelphum Ægypti regem cœ-
ptum: id per intervalla varia fortuna geſtum videtur. (*d*)

258 | 4456 | 55 Laodice, Antiochi II. ſoror, & uxor (quam aliqui Philadelphi fi-
- - - | - - - | - - - liam non recte cum Appiano appellant) eidem Antiochum filium
256 | 4458 | 57 alterum parit, Seleuco antea genito. (*e*) Eclipſis lunæ exigui mo-
menti, de qua dictum Prolegomenorum parte I. cap. III.

Olympias CXXXI. Hoc anno Juſtinus defectionem, & æram (primam) Parthicam
incepiſſe indicat, conſulibus Romæ M. Manlio Vulſone, & M. Atti-
lio Regulo. (*f*) Ibi tamen Juſtinus certo errat, ubi conſules dictos
cum Seleuco II. Syriæ rege conjungit.

255 | 4459 | 58 Eleazarus Judæorum Pontifex, cui cum Antiocho II. non bene
convenerat, moritur: ſuccedit ejusdem avunculus, vel patruus,
Manaſſes Jaddi filius. (*g*) Naſcitur etiam hoc anno Eleazarus
alter, ſub Antiocho IV. Sacerdos, & Martyr. (*h*)

254 | 4460 | 59 Circa hoc tempus ſublato jam Eleazaro ſibi inviſo Pontifice Ju-
253 | 4461 | 60 dæis in Jonia jus civitatis concedit Antiochus. (*i*) Aliud æræ
Parthicæ initium. Vide notas ſub (*o*)

252 | 4462 | 61 Ptolemæus Philadelphus bello finem facturus Berenicen filiam
Olymp. CXXXII. ſuam cum ingenti dote Antiocho uxorem tradit, vivente etiam,
& cedente Laodice Antiochi ſorore, & conjuge. Ita impletur
vaticinium Danielis de filia regis Auſtri, ſeu Ægypti. (*l*)

251 | 4463 | 62 Circa hoc tempus Theodotus Bactrianorum ſatrapa (ſocio for-
taſſe Euthydemo) commota adverſus Antiochum ſeditione, pro-
vincias quasdam a Syriaco imperio avellit, quod initium eſt regni
Bactrianorum. (*m*)

250 | 4464 | 63 Hoc anno Petavius, & Uſſerius Arſacem Parthum ab Antiocho
defeciſſe, & æram Parthicam cœpiſſe ex Juſtino deducere volue-
re; ſed erraſſe videntur in conſulibus, ut Vaillantius in Arſacida-
rum hiſtoria animadvertit; Nam hoc anno non ***M. Attilius***, ſed
- - - | - - - | - - - *Cajus Attilius* conſul fuit cum *Vulſone iterum*. In Seleucidarum
hiſtoria tamen Vaillantius Uſſerium ſecutus erat. (*n*)

248 | 4466 | 65 Hoc anno Olympiadis CXXXIII. initio, Arſacis defectionem
Olymp. CXXXIII. aut cœptam, aut (ſi ob Juſtini conſules initium duabus Olympia-
dibus prævertamus) provectam cenſeo cum Euſebio. Arſaces,
& Tiridates fratres Perſæ, vel Parthi, e regia ſtirpe oriundi Phe-
reclem, aliis Agathoclem, Antiochi ſatrapam, Parthiæ præfectum,
ob fæde tentatum in adoleſcentem Tiridatem facinus, obtrun-
cant, Parthiæ, Perſiæque partem ſibi vindicant. (*o*)

Olympionicon catalogus apud Scaligerum hoc item anno Arſacis
motus, & æram Parthicam notat, eamque alteram, nam priorem
Olym-

(*a*) Euſebius, Porphyrius, & Juſtinus, quos vide relatos parte 4. Prolegom. c. 4.)(Appianus male Antiochum II. Seleuci I. filium facit. (*b*) Vide not. ad ann. Seleucid. 70. (*c*) Memnonis excerpta apud Photium. (*d*) Hieron. in c. 11. Danielis. (*e*) Juſtinus lib. 27. c. 2.)(Appianus Syr. errat. (*f*) Juſtinus lib. 41. c. 4. (*g*) Euſebius in Chron.)(Joſephus lib. 12. ant. c. 3. (*h*) Colligitur ex lib. 2. Macchab. c. 6. (*i*) Joſeph. lib. 12. ant. cap. 3. (*l*) Hieronym. in c. 11. Danielis v. 6.)(Athenæus lib. 2.)(Appianus Syr. (*m*) Juſtinus lib. 41. c. 4.)(Strabo l. 11., & 15. (*n*) Juſtinus l. 41. c. 4.)(Petavius in Chronico.)(Uſſerius in Annalibus V. T. (*o*) Juſtinus l. 41. c. 4.)(Euſebius in utroque Chronico.)(Arrianus apud Phot. cod. 58.)(Strabo l. 11.)(Aliud rurſum regni Parthici ab Arſace inſtituti initium ſtatuit Moſes Chorenenſis, qui hiſtoriam Armeniacam Armeniace ſcripſit ſæculo quinto a Chriſto, editus Londini, addita verſione latina Whiſtonorum fratrum 1736. Hic itaque l. 2. c. 1. & 2. Parthorum initium ponit an. Seleucid. LX., Antiochi II. an. XI. Huic conſentit Mircondus Perſicus hiſtoricus apud Uſſerium anno P. Jul. 4464. Moſes ille Armenus mortem Alexandri cum initio æræ Seleucid. confundit.

Ante Christ.	Periodi Julian.	Æræ Seleuc.	
			Olympiadis CXXVIII. initio, sed male locaverat. Ex quo tamen colligi potest, plura tentati, & erecti Parthici regni initia fuisse, ut ita prima æra cum Justino Olympiadis CXXXI. initio, altera hic statui possit.
247	4467	66	Ptolemæo Philadelpho mortuo in Ægypti regno succedit Ptolemæus Evergetes ejus filius; quo intellecto Antiochus Berenicen thoro, atque aula depellit, & Laodicen cum filiis revocat. Antiochi inconstantiam metuens Laodice eundem veneno interimit: porro scelus suum, & mortem Antiochi, deposito in lecto ejus simulacro, tantisper occultat, dum Seleucus ejus filius rex proclamaretur. (p)
			Regnavit Antiochus II. in annum XV. (q) Ex Laodice sorore Seleucum II., & Antiochum, Hieracem dictum: filias Nicæam Demetrio Macedonum regi, & Stratonicen Ariarathi IV. Cappadoci nuptas. Ex Berenice filiolum anonymum sustulit. Consecratus, & honoratus est a Smyrnensibus. (r) Huic Antiocho historiam suam Chaldaicam dedicavit Berosus Babylonius Beli sacerdos. (s)

(p) Appianus Syr.)(Polyænus l. 8. Stratagem.)(Hieronymus in c. 11. Danielis.)(Plinius l. 7. c. 12.)(Valerius Max. l. 9. c. 14. (q) Eusebius.)(Porphyrius.)(Severus Sulp. l. 2. hist. Eccles.)((r) Marmor Arundelianum, quod vide post Annales.)(Excerpta e Diodoro apud Photium.)((s) Tatiani oratio adversus gentes.

NUMISMATA ANTIOCHI II. Θεοῦ.

TAB. IIII.

Argent. I.	1. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΩΧΟΥ. *Regis Antiochi.* Hercules pelle leonina semitectus, quæ etiam ad saxum, cui is insidet, extenditur, d. clavam ad solum detinet, s. demissa. Infra duæ notæ. *Elegantissimus, & singularis numus.*	Noster.
Aureus I.	2. Simile fere caput, & inscriptio: Apollo nudus cortinæ insidens, d. sagittam, s. arcum. *Rarissimus nnmus, ob materiem auri, & magnitudinem. Iconem Apollinis vide Num. 10.*	Mus. Florent.
- - - -	3. Mentio fit Tomo I. numismatum Musei Florentini, numismatis hujus Antiochi, quod inscriptum sit tantum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ. *Utinam numi istius integra descriptio, aut imago mihi innotuisset.*	Mus. Florent. Goltzius in thesauro.
Æneus III.	4. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Apollo nudus stans, d. sagittam, s. arcum.	Haym.
Æneus III.	5. Caput laureatum Apollinis, vel Antiochi. Similis priori pars aversa. Monogrammata.	Noster.
Æneus I. vel II.	6. Caput Antiochi diadematum. Eadem inscriptio: Apollo nudus cortinæ insidens, d. sagittam s. arcum; in area anchora, & monogramma.	Vidi numum Viennæ venalem.
Æneus III.	7. Caput Palladis galeatum. Eadem inscriptio: duo pilei Dioscurorum, infra quos clava jacens, & monogramma.	Haym.
Æneus III.	8. Dioscuri in equis decurrentes, d. hastam gerentes. Eadem inscriptio: Pallas galeata stans, d. sagittam, s. scutum.	D. Fawkener Haym.
Argent. III.	9. Caput imberbe pelle leonina tectum. Eadem inscriptio: Jupiter sedens, d. aquilam, s. hastam, ad pedes leo cubans: in area monogramma.	D. Fawkener
Argent. I.	10. Caput diadematum juvenile, cum ala ad aurem. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Apollo nudus cortinæ, in cujus summitate labrum foraminis nonnunquam comparet, insidet, d. sagittam, s. arcum: infra equus pascens: in area astrum, vel quasi pentagonum, & monogramma.	D Fawkener Vaillant.

Seleu-

(1) Herculis hic typus in nullo hactenus regis Syriæ numo visus est, qui videtur ab sublatum tyrannum Mileti Timarchum alludere, ob quod factum Θεὸς dictus est a Milesiis Antiochus. Hic numus integerrimus verum vultum Antiochi II. docet. Vide dicta in Prolegomenis part. 3. c. 3. (2) Vultus hoc in numo expressus ad II. Antiochum proxime accedit. De Apolline sæpius jam dictum. (7. & 8.) Dioscurorum pilei, & maxime figuræ equestres ad duos Antiochi filios Seleucum, & Antiochum, alludere, & Tripoli in Phœnicia cusi esse videntur. (9.) Numisma perrarum, nec vultus a lineamentis Antiochi II. abludit, sed pro ætate juvenili. (10.) Hoc numisma Vaillantius Antiocho I. tribuit; sed infeliciter; ego aut victoriæ caput esse puto, aut Mercurii, aut Antiochi Hieracis.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.

247 | 4467 | 66 Seleucus II. Antiochi II. e Laodice filius (cognomine Callinicus,
id est: *Præclarus Victor*, sed sine merito) matris opera rex pro-
clamatur.
Instigante eadem Laodice Seleucus proceribus Antiochiæ Ica-
dioni, & Cœneo mandat: Berenicen cum filiolo e medio tolle-
rent. Berenicæ ad asylum Daphnes confugienti, multæ urbes
246 | 4468 | 67 succurrere contendunt, & inprimis Ptolemæus Evergetes Ægypti
rex ejus frater. Filiolus Berenices, dolo matri ereptus, necatur;
quam necem furenti similis Berenice ulciscitur; sed ipsa denique
Laodices malis artibus interimitur. Daniel hæc, & quæ sequun-
tur, diserte prædixit cap. XI. v. VI. &c. (*a*)
Onias II. Simonis Justi filius Pontificatum Judæorum adit. (*aa*)
Ptolemæum Evergeten Berenices sororis ultorem cum exer-
citu advenientem, multæ Syriæ urbes ultro recipiunt. Syriam,
Phœnicen, ac Cœlesyriæ reliquum, Ciliciam, & a Tauro monte
245 | 4469 | 68 usque fere ad Indiam multa Ptolemæus subjugat, vel terrore per-
cellit: idem Laodicen nactus interemit. (*b*)
Syriam omnem Ptolemæus Evergetes sibi retinuit: Ciliciam
Antiocho Hieraci fratri Seleuci dedit. In Ægyptum redux, &
spoliis Syriæ dives, Jerosolymis vero DEO in templo sacrificia
offert; attamen Ægyptiis quoque idola omnia, in Syriam olim
abducta, restituit. (*c*)
244 | 4470 | 69 Seleucus comparata interea in Asia ingenti classe regnum rece-
pturus, naufragium passus ad littus Syriæ ejicitur: illic ab urbi-
bus vicem ejus miserentibus suscipitur, & juvatur. Smyrnæi quo-
que, & Magnesii de tuenda Seleuci majestate fœdus constituunt.
Olymp. CXXXIV. (*d*)
Bellum itaque Seleucus infert Ptolemæo Evergeti; sed prælio
victus, Antiochiam fugit; inde ad fratrem Antiochum, tum XIV.
annos natum, literas dat, ejusque opem implorat, oblata ei omni
cis Taurum Asia. Antiochus prompte arma, specie opis ferendæ,
sumit, sed fratri ipsi, si posset, Asiam omnem erepturus. Ob
rapacitatem hic Antiochus Ἱέραξ, *Accipiter*, vulgo compellatus
est. (*e*)
243 | 4471 | 70 Ptolemæus Evergetes, ne cum duplici hoste sibi res esset, cum
Seleuco in annos tredecim pacem concludit. (*f*)
Onias II. Simonis Justi filius, Judæorum Pontifex illiberaliter
se gessit. Nam tributa negans Ptolemæo Evergeti, gentem suam
in grande discrimen adduxit, unde eam Josephi, Tobiæ filii, hu-
manitas, liberalisque in patriam pietas eripuit. (*g*)
Dum Antiochus Hierax Seleucum invadit, Aradii Seleucum
juvantes ab eodem ingenti asyli privilegio donantur, cujus occa-
sione divites, & potentes facti sunt. (*h*)

1. Ca-

(*a*) Appianus Syr.)(Eusebius, & Porphyrius.)(Hieronymus in cap. 11. Danielis.)(Justinus lib. 27. c. 1.)(Valerius Max. lib. 9. c. 10.)(Polyænus Stratagem. lib. 8. (*aa*) Eusebius in Chronico.

(*b*) Appianus Justinus, & S. Hieronymus loco eodem.)(Polybius lib. 5.)(Leo Allatius in monumento Adulitano Romæ edito 1631.)(Polyænus lib. 8. ait., a Tauro ad Indiam usque Evergetem omnia obtinuisse; sed modeste (uti, monument. Adulitanum, quod vide ad finem Annalium) accipiendus est.

(*c*) Justinus, & S. Hieronymus ibidem.)(Josephus lib. 2. contra Apionem.

(*d*) Justinus lib. 27. cap. 2.)(Marmor Arundellianum. (*e*) Justinus ibidem.)(Strabo lib. 16.)(Plutarchus de fraterno amore, & de solertia animalium. (*f*) Justinus lib. 27. c. 2.

(*g*) Joseph. lib. 12. ant. c. 3., & 4.)(Eusebii Chron. (*h*) Strabo lib. 16.)(Ab hoc anno quidam Aradiorum æram deducunt; sed ex numis Aradiorum sub Trajano, M. Aurelio, & L. Vero cusis. P. Harduinus in Chronologia Vet. Test. deduxit eorum æram ab anno Seleucid. 52. Norisius vero in celebri libro de Epochis Syro-Macedonum ab anno 55.

TAB. V.

Argent. I. 1. Caput Seleuci II. diadematum. — Vaillant.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Apollo nudus ſtans, d. ſagittam tenet, ſ. tripodi innititur, cui laurea imminet: ad pedes Apollinis caput leonis. In area duo monogrammata.

Æneus I. vel II. 2. Simile caput Seleuci.

Eadem inſcriptio: Apollo nudus ſtans, d. ſagittam, ſ. innixus tripodi; in area monogrammata. — Noſter.

Aureus III. 3. Similis numus, ob metallum rariſſimus. De monogrammatis nihil adnotatum eſt. — Theupoli.

Aureus III. 4. Simile caput; & eadem averſæ inſcriptio. Apollo nudus ſtans, d. ſagittam tenet, ſ. arcui innititur; ſine monogrammate. — Vaillant.

Aureus III. 5. Similis priori numus; ſed in averſa parte monogramma, & litera P. In alio duo alia monogrammata. — Liebe. D. Fawkener

Æneus III. 6. Simile caput Seleuci.

Eadem inſcriptio: equus liber gradiens: ſupra eundem aſtrum: infra aliud ſignum, rhombi figura. — Vaillant.

Similis fere numus: caput idem: equus gradiens, infra quem ſcutum Macedonicum rotundum, anchora inſignitum. — Haym.

In theſauro Goltzii indicatur numiſma inſcriptum: ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. quod inter ſaltem dubiæ fidei numiſmata habendum puto.

NUMISMATA PTOLEMÆI EVERGETIS,

Ægypti, & aliquo tempore Syriæ Regis.

TAB. V.

Æneus I. 1. * Caput Jovis barbatum, & laureatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Regis Ptolemæi Evergetis.* Aquila fulmini inſiſtens: in area K. — C. Reg. Noſter.

Æneus III. 2. * Caput Jovis cum cornu arietis, quod Jovi Hammoni tribuitur. — Vaillant.

Eadem pars averſa: ſed in area Θ E.

Hh An-

(1) Leonis caput aut Macedonum robur: aut Apollinis, ſeu ſolis in leonis ſigno verſantis vires indicare videtur.

(2.) Suſpicor, numum olim ſubæratum argenteam bracteolam amiſiſſe.

(6) Cum equus liber libertatis, vel immunitatis ſymbolum in numis eſſe ſoleat; numos iſtos Aradiis attribuit Vaillantius, quibus Seleucus magna privilegia impertiit, ut in Annalibus dictum.

(1.*) Τὸ K. Κυπρίων, Cypriorum. & (2.*) Τὸ ΘΕ. Θεβαίων, Thebanorum in Ægypto, legi poteſt, ſi Vaillantium audimus.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
243	4471	70	Antiochus Hierax Seleuci fratris copias Gallorum subsidio in Asia fundit. Fama ad Antiochum fertur: Seleucum cecidisse; sed vera edoctus, luctu deposito, de victoria lætitiæ indulget Antiochus. Seleucus, fuga elapsus e prælio, Antiochiam se recepit. Mysta, seu Pysta vel uxor Seleuci, vel amica a Rhodiis capta, donis etiam ornata regi remittitur. Galli Seleucum periisse rati, omnemque regiam stirpem excisuri, in Antiochum arma vertunt. (*i*)
			Tiridates, qui & Arsaces II. hoc tempore turbido usus, Parthiæ reliquum, occiso Andragora præfecto, ac deinde Hyrcaniam Seleuco eripit. (*l*)
			Antiochus Hierax a sorore Nicæa incitatur in Demetrium Macedoniæ regem, Antigoni Gonatæ successorem, quod ille novam conjugem, se priore spreta, induxisset. (*m*)
242	4472	71	Eumenes Pergamenus has inter turbas Asia potiturus Antiochum, & Gallos victores apud Sardes in Lydia cædit: magna Asiæ minoris pars se Eumeni subdit. (*n*)
241	4473	72	Seleucus instauratis copiis Antiochum fratrem impetit, qui Mesopotamiam, & Armeniæ partem tenebat, Arsace amico. Andromachus, & Achæus Seleuci duces Antiochum saucium e prælio fugere cogunt; sed nimium securi mox astu, sparsa nempe de Antiochi nece fama, & legatis deditionem fingentibus, ab Antiocho clade afficiuntur. Antiochus in Mesopotamiam redit; illic rursus prælio a Seleucianis superatur. (*o*)
240	4474	73	Antiochi Hieracis exercitus in Mesopotamia internecione deletur: qua victoria lætus Seleucus, *Callinici* sumpto titulo, Callinicopolin urbem in Mesopotamia condit: quæ facta sunt hoc vere, vel anni præcedentis autumno, Olympiadis CXXXIV. anno
Olymp. CXXXV.			quarto. (*p*) Antiochiam Seleucus tertia parte auxit. (*pp*)
			Antiochus ad Ariarathem (seu Artamenem) Cappadociæ regem ejus nominis quartum, aliis primum, deinde ad Ptolemæum Evergeten in Ægyptum fugit, a quo arcte servatur. (*q*)
239	4475	74	In Arsacem Parthum arma parat Seleucus, victo jam Antiocho, & perculsis Gallis. Arsaces metu Seleuci cum Theodoto II. Bactriano rege, Theodoti I. filio, fœdus init. Attalus Eumeni in Pergameno principatu succedit. (*r*)
238	4476	75	Nascitur Seleuco ex Laodice filius alter Antiochus, postea Magnus dictus. (*s*)
			Ducit in Arsacem Seleucus, sed a subdole fugiente Partho vincitur. Seleucus motibus in Asia ab Attalo concitatis eodem revocatur; quo laxamento sibi dato Arsaces regnum Parthicum plene conformat, atque constabilit. Inde tertia, & maxime solemnis æra Parthica initium sumit. (*t*)
237	4477	76	In Asia res ab Attalo turbatæ aut componuntur, aut in desperatis a Seleuco habentur; neque enim certi quidquam e veteribus monumentis in utramvis partem definire possumus.
236	4478	77	Constitutis in Asia rebus Seleucus adversus Arsacem copias reducit: inito prælio vincitur Seleucus, capiturque, diuturno tempore in captivitate detinendus; laute tamen, ac regie ab Arsace
Olymp. CXXXVI.			habebatur. (*u*)
			Simon II. Oniæ II. filius Judæorum Pontifex virtutibus clarus habetur. (*x*)

Capto

Ante Christ.	Periodi Julianæ	Æræ Seleuc.	
- - -	- - -	- - -	Capto Seleuco multis annis nihil memorabile in Syria occurrit.
227	4487	86	Arsaces Seleucum in regnum suum remittit, aut Seleucus astu elapsus est.
226	4488	87	Rhodiis terræ motu quassatis, & dejecto celebri illo Solis colosso, dona ab aliis regibus, urbibusque, & a Seleuco mittuntur. (*y*)
			Antiochus Hierax e Ptolemæi Evergetis manibus meretricis ope elapsus, per iter a latronibus interficitur: circa quod tempus Seleucus equo lapsus vitam clausit. (*z*)
			Seleucus II. Callinicus regnavit annis XX. completis. (*a*) Ex Laodice uxore, Andromachi filia, duos filios reliquit, Seleucum III., & Antiochum III., de quibus suo loco: filiam unam Mithradati IV. Ponti regi dedit. (*b*)

(*i*) Trogus Proœmio lib. 27.)(Justinus lib. 27. c. 2.)(Polyænus lib. 8.)(Plutarchus de fraterno amore.
(*l*) Justinus lib. 41. c. 4. (*m*) Justinus lib. 28. c. 1. (*n*) Justinus lib. 27. c. 3.)(Strabo lib. 13.
(*o*) Trogus Proœmio lib. 27.)(Justinus lib. 27. c. 3.)(Polyænus lib. 4.
(*p*) Justinus ibidem.)(Ἐπιτομὴ Χρόνων, seu fasti Siculi, in codice latino; nam in græco error est, qui refert, Callinicopolin conditam Olympiadis 34. anno secundo; latinus recte quarto. (*pp*) Strabo lib. 16.
(*q*) Justinus lib. 27. c. 3. (*r*) Justinus lib. 41. c. 4.)(Livius lib. 33.)(Olympionicarum catalogus apud Scaligerum mortem Eumenis, & successionem Attali ponit Olympiadis 35. anno secundo.
(*s*) Vide dicenda ad annum Seleucidarum 126.
(*t*) Justinus lib. 41. c. 4., & 5.)(Strabo lib. 16. meminit fugæ Arsacis.
(*u*) Athenæus lib. 4. ex Posidonii lib. 16.)(Conferantur Appianus in Syr.,)(& Justinus lib. 27. in fine.
(*x*) Joseph. lib. 12. antiq. c. 4.)(Eusebii Chron.
(*y*) Athenæus, & Justinus in (*u*) relati.)(Polybius l. 5. de quo vide Prolegomena nostra part. 4. c. ultimo.
(*z*) Justinus lib. 27. in fine.)(Errant: Tacitus lib. 5. histor. c. 8., & Ammianus Marcell. lib. 23. c. 16.
(*a*) Eusebius 20. (puta completos) regni annos Seleuco II. dat; Porphyrius vero 21. non completos intelligo. (*b*) Justinus lib. 38. c. 5.)(Polybius lib. 4.

NUMISMATA SELEUCI II. CALLINICI.

Tab. V.

Æneus I.	7.	Caput Seleuci diadematum, vultu senium indicante. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. - - - ΚΟΥ. Rex currenti equo insidens. Numus rarissimus, & ob molem æris, & ob figuram aversæ partis, qua expeditio bellica indicatur in Arsacem postremo a sene jam rege suscepta.	D. Favvkener
Æneus III.	8.	Caput galeatum Seleuci. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Victoria gradiens, d. coronam, f. palmam gerit.	C. Reg. Theupoli.
Æneus III.	9.	Similis numus, sed in aversa parte anchora ante Victoriam.	Theupoli.
Æneus III.	10.	Caput galeatum. Eadem inscriptio: Apollo nudus stans, d. sagittam, f. arcui innixus. In alio Apollo tripodi innititur: in area Δ.	Theupoli. De Wilde. *duos.* D. Favvkener
Æneus III.	11.	Similis numus: sed caput Seleuci diadematum: in area duo monogrammata.	D. Favvkener
Æneus III.	12.	Caput diadematum Seleuci. Eadem inscriptio: elephas cum insessore.	Theupoli. D. Favvkener
Æneus III.	13.	Caput diadematum Seleuci, cum promissa barba. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Pegasus volans.	D. de Sutnera Haym.

(8. 9.) Victoria de Antiocho Hierace relata signata est, ob quam Callinicopolin Seleucus cóndidit, de qua in Annalibus. Sed parum decora de fratre victoria fuit.
(13.) Ex captivitate redux Seleucus cum promissa barba venit, more gentis Parthicæ, apud quam detentus est; unde a dicaci populo Πώγων, id est: *Barbatus*, appellatus est, teste Polybio lib. 2. Primus hic barbatus regis Syriaci vultus in numis occurrit. Pegasus alacritatis symbolum est in numo Gallieni Augusti.

Ante Christ. | Periodi Julian. | Æræ Seleuc.

227 | 4487 | 86 Seleucus III. Seleuci II. Callinici e Laodice filius natu major,
226 | 4488 | 87 ingenio, & opibus infirmus, attamen Κέραυνος, *Ceraunus*, seu *Fulmen*, compellatus est; ideo fortasse, quod patrem Seleucum Callinicum apud Parthos captivum, in libertatem adserturus magno impetu exercitum collegerit. Utrum vero eo bello patri parta sit libertas, an ab Arsace aliis pactis restituta, non constat. (*c*)

Dum regni curas Seleucus III. suscipit, Antiochus ejus frater interea Babylonem secedit. (*d*)

225 | 4489 | 88 Attalum bello impetit Seleucus, ereptas patris sui tempore Syriaco imperio Asiæ provincias vindicaturus: Hermiæ, e Caria oriundo, regni curas politicas committit, ipse cum Achæo cognato Taurum montem transgreditur, magnum exercitum agens, cui regendo impar erat.

Hic Achæus primum egregia fuit adversum Seleucum, atque subinde adversum Antiochum Magnum fide, donec superbia, æmulatione, invidia, atque aliqua suæ originis fiducia in transversum actus est; erat enim frater Laodices filiæ Andromachi, quæ eadem Seleuci II. uxor, & Seleuci III. Cerauni mater fuit; filiam quoque Antiochidem Attalo seniori uxorem dedit Achæus, e qua natus Attalus alter Pergami rex.

224 | 4490 | 89 Protracto adversus Attalum bello Seleucus dolosis artibus a Nicanore, & Apaturio, natione Galata, appetitus, hausto veneno in Phrygia periit. (*f*)

Seleuco Cerauno fuerintne proles, aut omnino uxor, non constat. Regnavit annos fere tres; Appianus duos regni annos Se-
Olymp. CXXXIX. leuco Cerauno tribuit, qui complete accipiendi sunt. Polybius ejus mortem recte refert circa Olympiadem CXXXIX. (*g*)

Achæus cognati, ac regis sui mortem strenue ulciscitur; parricidas Nicanorem, & Apaturium contrucidat: militares copias, & res omnes regni in Asia prudenter moderatur, neque oblatum sibi a populis quibusdam regium diadema tum quidem recipit; sed Antiocho Seleuci fratri integra omnia fideli interim administratione conservat, atque ea etiam, quæ cis Taurum amissa erant,
223 | 4491 | 90 hoc, & sequente potissimum anno recuperat. (*h*)

Interea Syriacus exercitus Antiochum Seleuci fratrem, Babylone tum degentem, ad regnum capessendum evocavit: Epigenes quoque sub Seleuco III. belli dux reliquas copias in Syriam contraxit. (*i*)

1. Ca-

(*c*) Polybius lib. 9. de succeßione Seleuci III.)(Eusebius, & Porphyrius. (*d*) S. Hieronymus in c. 11. Danielis.)(Appianus Syr.)(Polybius lib. 4., & 9. (*e*) Polybius, & Appianus ibidem.)(Item Polybius lib. 18. excerpta Valesii. (*f*) Justinus lib. 29. c. 1.)(Polybius, & Appianus. (*g*) Tres annos adsignant Eusebius in Chron., & Porphyrius.)(Appianus in Syriac.)(Polybius in fine lib. 2. Is locus male una ex parte a Causabono latine redditus est; nam græca ita habent: Σέλευκος ὁ Σελεύκου τοῦ Καλλινίκου τοῦ καὶ Πώγωνος ἐπικληθέντος. Hæc ita Casaubonus reddit; Seleucus: Seleuci filius, avo Callinico, qui etiam Pogon cognomine dictus est. Verum ita reddendum erat: Seleucus, filius Seleuci, qui Callinicus, quique etiam Pogon cognomine dictus est. (*h*) S. Hieron. in cap. 11. Danielis.)(Polybius lib. 4.)(Appianus Syr.

(*i*) Polybius lib. 5.

TAB. V.

Argent. I.	1. Caput Seleuci II. diadematum.	Vaillant.
	ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Apollo nudus sedens, d. sagittam, s. arcum; in area duo monogrammata, quæ cum e literis Σ. Υ. Ρ. constare videantur; ΣΥΡΙΩΝ. vel ΣΥΡΙΑΣ. *Syriæ* legi posse non nemini visum est; sed præstat abstinere ab incerta lectione.	Haym.
Æneus III. Argent. III.	2. Similis numus, sed cum uno, eoque alio monogrammate. Et in alio simili C E A.	Theupoli. D.Fawkener
Æneus III.	3. Caput Apollinis laureatum, vel ipsius potius Seleuci, sub specie Apollinis; nam vultus persimilis est.	Noster.
	Eadem pars aversa: monogramma discerni non potest.	
Argent. III.	4. Numus ut Numero 1. sed monogrammata non sunt adnotata, quæ non raro in catalogo Musei Theupoli omissa videntur.	Theupoli.
Æneus II.	5. Capita jugata Castoris, & Pollucis laureato pileo tecta, imminente utrique astro.	Begerus.
	ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Victoria stans, s. palmæ ramum, dextra coronat tropæum, ad cujus pedem caput bovinum. In area monogramma.	
Æneus III.	6. Caput, ut videtur, diadematum, Seleuco simile, ad cujus occiput duo scuta decussatim posita.	Noster.
	Eadem inscriptio: Apollo sedens, d. sagittam, s. arcum.	
Æneus III.	7. Caput Dianæ, eminente prope humerum pharetra.	Noster.
	Eadem inscriptio, & Apollinis sedentis figura: in area ΥΕ.	
Æneus III.	8. Similis numus, sine nota aliqua in area.	Noster.
	Apud Goltzium in thesauro numismatis mentio fit, ita inscripti: ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΚΕΡΑΥΝΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Sed simile deinde non est visum.	

(5.) Begerus, vir de re numaria vetere bene meritus, in thesauro Brandeburgico ad hoc numisma adnotavit ipsos Dioscurorum vultus referre lineamenta fratrum duorum, Seleuci Cerauni regis, & Antiochi, postea regis, cognomine Magni. Victoriam aliquam retulisse Seleucum hic numus monet, tacentibus historicis. Ea in Asia relata, vel in ipsis Tauri montis claustris, vel superato jam Tauro; quo sane alludi puto capite bovis, seu tauri ad tropæi pedem deposito.

(7., & 8.) Hæc duo numismata idcirco Seleuco III. potius, quam præcedentibus ejus nominis regibus tribuo; quod ejusmodi pars aversa Apollinis *sedentis*, in Seleuci I., & II. *certis* numis æneis occurrere vix soleat. Equidem unum similem numum Seleuco I. tribuimus Numero 26. Sed non omnino certum est, eo pertinere.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleucid.

223 4491 90 Antiochus III. Seleuci II. Callinici e Laodice filius, Seleuco III. Cerauno fratri in regno Syriæ succedit, annor. XV. adolescens, (*l*) Asiam cis Taurum Achæo, Moloni Mediam, Alexandro Molonis fratri Persidis satrapiam committit: Hermias Car natione, vir asper aulæ negotiis præficitur, aut in eo munere stabilitur. (*m*)

222 4492 91 Molo, & Alexander Mediæ, & Persidis satrapæ defectionem ab Antiocho moliuntur. (*n*)

221 4493 92 Zenoni, ac Theodoto Hermiolio bellum in rebelles Molonem, & Alexandrum committitur, sed minus prospere geritur; nam regem ab ea expeditione detinebat Hermias contra Epigenis periti ducis consilium.

Cum Laodice, Mithradatis IV. Ponti regis filia nuptias celebrat Antiochus, eamque Antiochiæ reginam renunciari facit. (*o*)

Novus in rebelles satrapas dux Xenætas, natione Achæus, mittitur; interea Antiochus rex, Hermia stimulante, Cœlesyriam, & Phœniciam Ptolemæo Philopatori eripere tentat, qui hoc anno Ptolemæo Evergeti in Ægypti regno successit: hic Ptolemæus Philopator, etiam Tryphon compellabatur.

Molo cæso ad Seleuciam Babyloniæ Xenæta, Antiochi duce, in ipsam Mesopotamiam irrumpit, & multa occupat Mesopotamiæ, & Susianæ loca. Antiochus quoque in Cœlesyria parum promovens, adversus Molonem properat, & Antiochiæ in Mygdonia hyemem agit.

Antigono II. in Macedonia mortuo succedit Philippus.

220 4494 93 Antiochus rex Molonem in Apolloniatide ad Tigrim fluvium profligat: Molo, & Alexander, aliique conjuratorum præcipui quique, rebus suis desperatis, suos, & sese contrucidant; alii Mediæ, Persiæque satrapæ constituuntur.

Olymp. CXXXX. Theodotus Ætolus, ab Ægypti regibus Cœlesyriæ præfectus, cum in Ptolemæi Philopatoris aula omnia pessum euntia animadverteret, ad Antiochum deficere constituit.

Antiocho nascitur e Laodice filius Antiochus. In Artabazanem Atropatiorum regulum trans Zagrum montem movet Antiochus, cui victo, & pacem petenti leges scribit.

Achæus, absentia Antiochi, & Cyrrhestica seditione usus, tum etiam aulicorum invidia ardens, ab Antiocho deficit, seque regem haberi cupit: In Syriam irrumpere tentat; sed aversos militum animos sentiens, abiit Laodicæam Phrygiæ, ac in Asia sibi regnum constituit.

Antiochus ad Achæum epistolam exarat minis refertam. Hermias omnibus exosus per insidias, Apollophane Medico Antiochi rem curante, necatur. (*p*)

Ecli-

(*l*) Porphyrius, & Eusebius, nonnulli apud Eusebium in Chronico priore, Antiochum III. Seleuci III. Cerauni filium fecere; sed ipse Eusebius dissentit.)(Polybius lib. 5.)(

(*l*, & *m*) S. Hieronymus in cap. 11. Danielis.)(Justinus lib. 29. cap. 1.)(Polybius lib. 2., & 4.)(

(*n*) Polybius lib. 5. (*o*) Polybius lib. 5. (*p*) Hæc omnia prolixe enarrat Polybius lib. 4., & 5.)(Circa hæc tempora Euthydemus, Seleucidis regibus aliquo tempore favens, Theodotum II. Bactrianorum regem throno depulisse videtur, pacate regnaturus usque ad Parthicam Antiochi expeditionem. Vide Bayeri histor. regni Bactriani.

Ante Christ.	Periodi Julian.	Æræ Seleuc.	
			Eclipſis Lunæ 20. Martii.
219	4495	94	Seleuciam in Pieria Ægyptiis eripuit Antiochus, cui etiam Theodotus Ætolus Tyrum, & Polemaiden cum XL. navium claſſe tradit: ea Diogneto Antiochi navarcho committitur. In Cœleſyria urbes aliquot ab Antiocho ſubiguntur.
			Achæus in Aſia bello inter Byzantios, & Rhodios orto ſeſe implicat. (*q*)
218	4496	95	Antiochus e Syria Ægyptum verſus movet: cum Aradiis liberis ſocietatem init. Nicolaus Ætolus Ptolemæi Philopatoris dux a Theodoto Antiochi duce aliqua clade afficitur.
			Palæſtinam ingreſſus Antiochus Scythopolin (Joſepho Betzan) aliasque urbes occupat, quas inter Atabyrium, ſeu Thabor inſidiis obtinet.
			In Aſia Attalus contra Achæum Gallos ducit, ſed eclipſi lunæ ineunte Septembri conſpecta, & laboribus feſſi Galli Attalum reverti cogunt.
			Ad Antiochum deficiunt Keræas, & Hippolochus Philopatoris præfecti: Pella, Camus, Gephrus, Abila, Gadara ab Antiocho ſubiguntur: Arabiæ urbs Rabbathmomma ſe dedit; Ptolemaiden venit Antiochus, illic hiberna facturus. (*r*)
217	4497	96	Collatis Antiochi, & Philopatoris caſtris ad pugnam utrimque omnia parantur. Theodotus Ætolus Antiocho militans noctu hoſtilibus in caſtris Philopatorem occiſurus, in alio peccat. (*s*)
			Ad Rhaphiam Palæſtinæ commiſſo prælio Phiopatoris copiæ tandem victoria potiuntur. Antiochus in Syriam redit. Philopator multis Palæſtinæ urbibus potitur: cives blandimentis, atque donis per templa dimiſſis ſibi devincit. (*t*)
			Ptolemæus Philopator Hieroſolymis Sancta Sanctorum in templo ingreſſurus, cum a Simone Pontifice, ac populo neque precibus, neque lacrymis prohiberi poſſet, vi occulta e cœlo impetrata abſtinetur. (*u*)
			Antiochus anni unius inducias a Philopatore obtinet, qui per Soſibium res in Syria ordinat. Antiochus omnem belli vim in rebellem Achæum transfert, qui regnum ſibi in Aſia firmavit. (*x*)
216	4498	97	Achæus in urbe Sardibus obſidetur: acriter pugnatur. Antiochus, Attalo Pergameno juvante, urbem Sardes occupat aſtu Lagoræ Cretenſis. Achæus in arcem ſe includit, obſidetur. (*y*)
			Eclipſis ſolis in Sardinia viſa.
Olympias CXLI.			Ptolemæus Philopator Judæis in Ægypto internecionem per elephantes conſtituit, niſi idola Ægypti colant; multi labuntur. Mutata a Deo regis mente, Judæi liberi eſſe jubentur, & in apoſtatas animadvertendi poteſtatem obtinent. (*z*)

Ii 2 Achæ-

(*q*) Polybius lib. 4., & 5. de eclipſi lunæ 20. Martii, vide in Prolegomen. parte. I. cap. III.
(*r*) Polybius ibidem. Eclipſis lunæ 1. Septembris, de qua in Prolegom. parte I. cap. III.
(*s*) Polybius, & lib. 3. Macchab. c. 1., & 6.)((*t*) Polybius lib. 5.)(Danielis cap. XI. verſu 11., & 12. impleta ſunt.)(Lib. 3. Macchab. cap. 1., & 7.)((*u*) Lib. 3. Macchab. cap. 1., & 2.)(
(*x*) Juſtinus lib. 30. c. 1.)(Polybius lib. 5.)((*y*) Polybius lib. 5., & 7.)(Eclipſis ſolis 11. Februarii in Sardinia viſa, Livius lib. 37.)((*z*) Lib. 3. Macchab. ſub finem.)(Polybius lib. 14. in excerptis Valeſii de Philopatoris inhoneſto vitæ genere egit.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
215	4499	98	Achæus, proditione Bolidis Cretensis ex arce Sardium egressus, Antiocho vivus traditur: arx ipsa cum Laodice Achæi uxore deditione accipitur, postquam Achæus jussu Antiochi extremis membris mutilatus, & capite plexus esset, ejusque cadaver e cruce pependisset. Asiam ita Antiochus recipit. (a)
214	4500	99	Antiochus Achæo sublato in Arsacem III. Parthiæ regem, qui & Artabanus, arma parat.
213	4501	100	In Mediam appulsus Antiochus Ecbatana, celebrem ejus regionis metropolin, occupat: e templo Ænæ Deæ (Dianæ Persicæ, aut Veneris) argentum, & aurum abstrahit, atque inde pecuniam sua imagine signandam conflari jubet. (b)
212	4502	101	Prælio cum Arsacis copiis initio eædem fugantur; Antiochus Hecatompylon, urbem in Parthiæ meditullio sitam, attingit, refectoque illic milite, Arsacem fugientem in Hyrcaniam insequi statuit.
Olympias CXLII.			
211	4503	102	Tagas ad Hyrcaniæ limites Antiochus promovet: Labuta monte superato, & penetratis tandem Hyrcaniæ claustris, Syringem ejus provinciæ metropolin, sibi subjicit.
210	4504	103	Pax inter Antiochum, & Arsacem coalescit ea lege: ut Arsaces junctis cum Antiocho armis in Euthydemum Bactrianorum regem Antiocho rebellem bellum gerat. (c)
209	4505	104	Ptolemæo Philopatori luxurioso regi nascitur filius Ptolemæus Epiphanes, cujus festa natalitia multi Syrorum, & Palæstinorum solemnitate magna concelebrant: Judæi dona etiam offerunt, quos omnes superat splendore Hyrcanus, Josephi vectigalium præfecti, filius. (d)
			Arsaces III. Parthiæ rex moritur: succedit Arsaces IV. teste Onuphrio, sed emendando.
208	4506	105	Antiochus ad urbem Taguria, Ario fluvio adsitam, cum Euthydemo prælio decernit: dubio marte pugnatum est; Antiochus vulnus in ore, & fortitudinis laudem inde abstulit. Euthydemus ad urbem Bactra, seu Zariaspa se recipit. (e)
Olympias CXLIII.			
- - -	- - -	- - -	Circa hæc tempora Onias III. Simonis II. filius Judæorum Pontifex factus virtutum laude florebat, virtutis, & muneris patrii heres. (f)
			Euthydemus in arctum redactus, misso Demetrio filio pacem ab Antiocho petit.
206	4508	107	Antiochus, in Demetrii gratiam, pacem patri dat, eundemque regnare permittit, sed elephantes eidem eripit. Superato Caucaso * Antiochus cum Sophagaseno Indiæ rege amicitiam in-
205	4509	108	staurat, atque ab eo etiam elephantes accipit. Inde Arachosiam
204	4510	109	veniens, ac trajecto Erymantho fluvio per Drangianam iter prosequens, in Carmaniam concessit, & per Persiam, Susianam, Babyloniam, ac Mesopotamiam, Syriam denique repetiit. Tot rebus gestis, & restituta imperii majestate Magni nomen Antiochus consecutus est. (g)
Olympias CXLIV.			

ANNA-

(a) Polybius lib. 7., & 8.)(
(b) Appianus in Syriac.)(Polybius lib. 8., & 16.)(Æna Dea eadem esse videtur, quæ Anæa, vel Anaitis vocatur: Dianam Persicam esse arbitror; Strabo sæpius in oriente Anææ templa commemorat.
(c) Polybius lib. 10. (d) Justinus lib. 30. c. 1., & 2.)(Joseph lib. 12. ant. cap. 4.)(
(e) Polybius lib. 10.)(Ex hoc corrigendus est Stephanus Byzantinus, apud quem legitur Ταπυρία vel Ταπύῤῥα, loco Ταγυρία, urbs Margianæ prope Hyrcanos. (f) Eusebius Chron.)(Joseph lib. 12. cap. 4., & 5.)(Lib. 2. Macchabæorum cap. 15. versu 12.)(
* Iste Caucasus mons est diversus a Caucaso vulgo noto ad Colchidem.
(g) Polybius lib. 10., & 11.)(Trogus in Proœmio lib. 30.)(Belli Parthici, & Bactrianici annos e rerum gestarum ordine ita disponendos putavimus.

TAB. V.

Argent. I. 1. Caput Antiochi diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Regis Antiochi.* Apollo nudus cortinæ insidens, d. sagittam, s. arcui innititur; in area duo monogrammata. C. Reg. Noster.

Argent. I. 2. Similis numus: sed in area aversæ partis ΔI. Theupoli.

Argent. I. 3. Similis numus: in aversa alia monogrammata. Vaillant.

Similis alter cum anchora loco alterius monogram. Begerus Palat.

Æneus III. 4. Similis numus, in area unicum monogramma ex Π, & A. Noster.

Æneus III. 5. Similis numus, cum incerto monogrammate. Noster.

Aureus II. 6. Similis numus, in aversa parte monogramma ex Φ, & Υ. Haym.

Æneus III. 7. Caput Antiochi diadematum: a tergo A. Noster.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Regis Antiochi.* Apollo sedens, ut Num. 1. inferius Δ. ex parte ramus.

Æneus III. 8. Caput laureatum Antiochi sub specie Apollinis. Haym.

Eadem inscriptio, & figura Apollinis sedentis; in area monogrammata duo.

Æneus III. 9. Simile caput laureatum. Noster.

Eadem inscriptio, Apollo sedens d. arcum, s. lyræ incumbit.

Æneus III. 10. Simile caput laureatum Antiochi. Haym.

Eadem inscriptio: Tripus stans; infra anchora jacens, in area notæ:)(Alius similis cum aliis notis. Noster.

Æneus III. 11. Simile caput, & inscriptio aversæ: Apollo stans, d. sagittam, s. arcum; in area ΔI. Noster.

NUMISMA ACHÆI REGIS.

TAB. VI.

Æneus III. Caput Achæi pelle leonina tectum. Vaillant.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΧΑΙΟΥ. *Regis Achæi.* Aquila laureæ insistens.

K k Ptole-

(1. usque ad 11.) Numismata incerti temporis, sed certo hujus regis, cujus vultus longo, & acuto naso discernitur; tametsi de numo nostro, cujus imaginem damus, dubitari possit, Antiocho I. Soteri potius, an Magno conveniat. Antiochus hic videtur præcipuus Apollinis cultor fuisse. Narrat etiam Florus lib. 2. c. 8. Cum Antiochus Magnus bellum in Asiam pararet, Apollinis Cumani idolum continuo humore sudasse.

Ante Christ.	Periodi Julianæ	Æræ Seleuc.	
204	4510	109	Ptolemæus Philopator rex Ægypti moritur; ſuccedit filius quinquennis Ptolemæus Epiphanes. Antiochus Syriæ, & Philippus Macedoniæ reges antea hoſtes, nunc fœdus ineunt, ut puero Epiphani regiones ſibi commodas eripiant. (*h*)
Olymp. CXLIV.			
			Eclipſin ſolis notat catalogus Olympionicarum apud Scaligerum in Græcis poſt Euſebium.
203	4511	110	Hoc, aut ſequente anno Phœniciam, aut partem ejus occupaſſe videtur Antiochus, etiam ex anni CXII. numo inſculpti teſtimonio. Quanquam ea regio, & Judæa, & Cœleſyria rurſus amiſſæ, rurſus receptæ ſint. (*i*)
202	4512	111	
			Eclipſis ſolis die XIX. Octobris Cumis in Campania. (*l*)
201	4513	112	Romani teſtamento Philopatoris conſtituti tutores Ptolemæi Epiphanis ad Philippum, & Antiochum reges mittunt legatos C. Claudium Neronem, M. Æmilium Lepidum, & P. Sempronium Tuditanum. (*m*)
			Eclipſis lunæ die XXII. Septembris Alexandriæ in Ægypto, ab Hipparcho obſervata. (*n*)
200	4514	113	Æmilius Lepidus tutorem regis in Ægypto agit. (*o*)
Olympias CXLV.			Antiochus id Romanis legatis defert: ut arma a Ptolemæo Epiphane averteret, ſed eadem adverſus Attalum Pergami regem expedit. (*p*)
			Duæ Eclipſes lunæ, prior XX. Martii, altera XII. Septembris Alexandriæ. (*q*)
199	4515	114	Legatis Romanis iterum intercedentibus, deducit quidem ab Attali terris copias ſuas Antiochus, ſed cum iiſdem adverſus Scopam Ætolum Ptolemæi ducem properat, qui interea Cœleſyriam, & Judæam ſubegerat. (*r*)
198	4516	115	Prope Paneadem urbem Scopas ab Antiocho prælio vincitur: Antiochus receptæ Cœleſyriæ, & Judææ dominium ſibi, poſteriſque ſtabilit: Scopam Sidone obſeſſum ad deditionem cogit, & Phœnicia potitur. Judæi, qui hoc in bello Antiocho faviſſent, ab eodem benigne habentur, & in Aſiam quoque propagantur. (*ſ*)
197	4517	116	Cariam, ac Ciliciam Epiphani erepturus Antiochus, Ardyem, ac Mithradatem filios ſuos cum exercitu præmittit: urbes aliquæ occupantur. Rhodii ad Coraceſium Ciliciæ arcem per legatos Antiocho obnunciant: obſtituros ſe armis, ſi copias promoveret; Antiochus bona verba Legatis dat. (*t*)
			Philippus rex ad Cynocephalas a T. Quintio Flaminio debellatur, pax tamen ei a Romanis datur; ut totis viribus Antiochum invaderent, qui in Aſia Epheſum occupaſſet, & Smyrnam, ac Lampſacum obſideret, quarum urbium legati Romanorum ſuppetias implorabant. (*u*)
196	4518	117	Legati Romani cum Antiocho multa de pace tractant: Ptolemæo Epiphani, & Philippo in Aſia ablata reſtitui poſtulant. Lyſimachiæ etiam in Thracia, quo ſe penetravit Antiochus, cum eodem multis agit L. Cornelius Scipio legationis Romanæ princeps. Lyſimachiam inſtaurat Antiochus: idem perlato ad ſe de

mor-

(*h*) Euſebius in Chron.)(Diodor. Sic. lib. 15.)(Polybius lib. 3.)(Juſtinus lib. 30. c. 30.)(Livius lib. 31., & 32.)(Joſeph. lib. 12. ant. c. 3.)(S. Hieronymus in c. 11. Danielis.)(
(*i*) Appianus Syr.)(Polybius, & Joſephus modo citati.)(
(*l*) Livius lib. 20.)(
(*m*) Valerius Maximus lib. 6. c. 6.)(Polybius lib. 16.)((*n*) Ptolemæus Almageſti lib. 4.
(*o*) Vide numiſm. Romanum. * (*p*) Polybius lib. 16.)((*q*) Ptolemæus Almag. lib. 4. c. 11.)(Olympionicarum Catalogus.)((*r*, & *ſ*) Polybius lib. 16.)(Joſeph. lib. 12. ant. c. 3.)(Livius lib. 32., & 33.)(S. Hieronym. in caput 11. Danielis.)((*t*) Livius lib. 33.)((*u*) Livius ibid.)(Appianus Syriac.)(meminit etiam lib. I. Macchab. c. 8. v. 5. victoriæ Romanorum de Philippo.)(Juſtinus lib. 30., & 31.)(

Ante Christ.	Periodi Julian.	Æræ Seleuc.	
Olympias CXLVI.			morte Ptolemæi Epiphanis falso rumore, cum classe Epheso in Ægyptum properat; sed facto prope Cypri littora naufragio, Seleuciam in Syriam concessit. (x) Seleuciæ, & Antiochiæ ad Daphnen festum nuptiale Antiochi filii sui cum Laodice sponsi sorore Antiochus celebrat. (y)

(x) Livius lib. 33.)(Polybius lib. 17.)(Appianus Syr.)(
(y) Livius, & Appianus ibidem.

NUMISMATA ANTIOCHI III. MAGNI.

TAB. V., ET VI.

Æneus II. vel III. | 12. Caput Antiochi diadematum. | Noster.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΡΙΒ. id est: *Anno 112.* Navis cum remo, vel tridente appenso.)(

Æneus III. | 13. Similis numus; sed sine epocha, & navis sine appendice. | Vaillant. D.Favvkener

Æneus III. | 14. Caput laureatum Antiochi, & diadematum. | Noster.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Victoria stans, d. ramum longum terræ insistentem tenet, in area Σ.

Æneus II. | 15. Caput Antiochi diadematum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΡΙΖ. id est: *Anno 117.* Navis cum dependente tridente. | Vaillantius.

Æneus III. | 16. Caput Antiochi diadematum vultu senili. | Haym.

ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. *Antiochi Magni.* Palma arbor cum caryotis ex ea pendentibus.

Joannes Faber ad Fulvium Ursinum numi aurei meminit, ita inscripti: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. In thesauro suo Goltzius quoque similes numos extare monuit; sed vix ullus comparet.

NUMISMA ROMAMORUM GENTIS ÆMILIÆ.

Argent. III. | * ALEXANDREA. Caput muliebre turritum: Genium Alexandriæ, Ægypti urbis munitæ, refert. | Noster. & obvius.

M. LEPIDVS. PONT. MAX, TVTOR. REG. S. C. *Marcus Lepidus Pontifex Maximus, Tutor Regis: Senatus Consulto.* Æmilius togatus stans, dextram elevat supra caput adstantis juvenis regis Ptolemæi Epiphanis.

 Lega-

(12.) Est hic primus regum Syriæ numus, quem epocha Seleucidarum insignem viderim. Navis solemne est Tyri, vel Sidonis in ære signato symbolum.
(14.) Victoria de Scopa relata videtur hic referri.
(16.) Palma Phœniciæ, vel Judææ symbolum in numis esse solet.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleucid.	
195	4519	118	Legati Antiochi cum legatis Romanis rurſum de pace conſtituenda conſilia agitant. Hannibal Carthagine profugus Tyrum appellitur; Tyro Antiochiam, inde ad Antiochum in Aſiam profectus eſt. (z)
			Smyrnenſes, & Alabandenſes, ut Romanorum favorem ſibi contra Antiochum conciliarent, Deæ Romæ templum, & ludos conſecrant. (*a*)
194	4520	119	Judæis multa privilegia, ac dona impertit Antiochus, præcipue urbi Jeruſalem, ac templo. (*b*)
193	4521	120	Hannibal Antiocho conſilium dat belli in Italiam contra Romanos transferendi. Romæ Antiochi legati moras nectunt, & re infecta abſcedunt. (*c*)
			Antiochus filiam ſuam Cleopatram formoſiſſimam Ptolemæo Epiphani uxorem dat Rhaphiæ; dotis nomine Phœniciæ, Cœleſyriæ, ac Judææ vectigalia adſignat. Ita amicam ſibi Ægyptum reddidit Antiochus, ut tutius in Romanos ageret. (*d*)
192	4522	121	Ariarathi V. Cappadocum regi Antiochidem filiam nuptui dedit Antiochus, & alteram filiam Eumeni Pergameno obtulit, qui Romanis obnoxius, eas nuptias detrectat. (*e*)
Olymp. CXLVII.			Legati Romani apud Antiochum in Aſia degentem cum aliud nihil efficerent, Hannibalem regi ſuſpectum reddere laborant. Ætoli Thoante duce Antiochum in Græciam per Dicæarchum legatum invitant, & copiarum ſuarum imperium eidem offerunt.
191	4523	122	Antiochus cum paucis copiis in Græciam tranſit: ad eum Epirotarum, Elæorumque legati Chalcidem veniunt. Antiochi regis filius natu maximus Antiochus, cui Aſia commiſſa erat, moritur. (*f*)
			Antiochus Eubæam virginem Chalcidenſem deperiens, eandem uxorem ducit: ſe, ſuosque voluptatibus enervat. (*g*) Eubæam, alii Eubiam vocant, ea erat Cleoptolemi filia. Acilius Glabrio Conſul cum Catone Tribuno Antiochum cum Ætolis ad Thermopylas prælio ſuperat, ac in fugam impellit. Rex in Aſiam recedit. C. Livius Salinator, poſt Attilium claſſis Romanæ præfectus cum Eumene rege, & Rhodiis claſſem Antiochi, Polixenidæ Navarcho creditam, prælio navali vincunt prope Corycum Ciliciæ. Ariarathes Cappadox Soceri Antiochi partes juvat.
			Seleucus, Antiochi Magni filius in Æolide damna ab hoſtibus illata reparare, fines tutari, urbes ad fœdus cum Antiocho ineundum pertrahere laborat. (*h*)
190	4524	123	Eclipſis ſolis die XIV. Martii. Primo vere L. Cornelius Scipio conſul, cum Publio Africano fratre ad bellum in Aſia gerendum Roma proficiſcitur. (*i*)

Poly-

(*z*) Juſtinus lib. 31. c. 2., & 3.)(Livius lib. 33.)(Æmilius Probus in Hannibale.)((*a*) Tacitus lib. 4. Annal.)(Livius lib. 43.)(Variarum Aſiæ urbium numi habentur, inſcripti: ΘΕΑ. ΡΩΜΗ., & ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. Dea Roma, & Sacer Senatus. (*b*) Euſebius in Chron.)(Joſeph. lib. 12. ant. c. 3. Si tamen vera ſunt omnia, quæ enarrat.)((*c*) Diodorus Sic. legat. 4.)(Livius lib. 34., & 35.)(

(*d*) Livius lib. 35., & 36.)(Joſephus lib. 12. antiq. c. 2.)(Appianus errat Ptolemæum Philometorem pro Epiphane ponens.)(Euſebius in Canone Chronico has nuptias quadriennio ſerius retulit.)(

(*e*) Polybius legat. 25.)(Livius lib. 37.)((*f*) Inſcriptio marmoris Delphici ad finem Annal.)(Livius lib. 35.)(Appianus Syr.)(Juſtinus lib. 80. c. 4., & lib. 32. c. 1.)(Polybius lib. 3., & Legat. 12.)(

(*g*) Athenæus lib. 10. c. 12.)(Diodorus Sic. excerpt. Valeſii.)(Livius lib. 36.)(Appianus Syriac.)(

(*h*) Livius lib. 36., & 37.)(Appianus Syriac.)((*i*) Livius lib. 37.)(Cicero Philippica 11.)(

Ante Christ. | Periodi Julian. | Æræ Seleuc.

190 | 4524 | 123 Polyxenidas classis Syriacæ præfectus, simulata ab Antiocho defectione, credulum Pausistratum Rhodiorum navarchum cum XXIX. navibus intercipit, & perdit.

De pace rursum in Asia inutiliter tractatur. Polyxenidæ classis a L. Æmilio Regillo, & Rhodiis ad Notium vicinum Epheso oppidum profligatur.

Antiochus Prusiam Bithyniæ regem in suas partes pertrahere frustra contendit; deserta imprudenter Thracia, & Hellesponto in Asiam vires contrahit: pacem apud Romanos quærit, sed conditionibus absterritus non recipit. Denique idem rex, adjunctis sibi Gallorum, seu Galatarum subsidiis prope Magnesiam ad Sipylum decretorio prælio a L. Scipione superatur. Post eam pugnam multæ Asiæ urbes Romanas partes amplexæ sunt. (*l*)

Antiochus hoc in prælio, aut ejus occasione, captus statim liberatus est; id qua ratione acciderit, non tenemus, factum tenemus. (*m*)

189 | 4525 | 124 Sardes primum, inde in Syriam elapsus Antiochus, pacem petit; ea datur iisdem conditionibus, quæ ante cladem oblatæ erant; en præcipuas: Antiochus Asia omni cis Taurum decedito: xv talentorum in præsenti, ac deinde per annos XII. talenta M. solvito: Eumeni quoque CCCC. talenta, & frumentum dato: Hannibalem, Thoantem Ætolum, aliosque petitos dedito: elephantes, & naves majores Romanis tradito &c. Obsides XX. Romam mittito, quos Romani probaverint. (*n*)

Eumeni Pergameno Romani provincias quasdam Asiæ dedere Antiocho ereptas. Hannibal in Cretam fugit. L. Scipio Romæ de Antiocho, & Asia triumphat, Asiatici titulum nanciscitur. (*o*)

Artaxias, & Zadriades uterque parti Armeniæ præfectus ab Antiocho deficit. (*oo*)

188 | 4526 | 125 Musæus Antiochi legatus in Asia Cn. Manlium convenit, de pactis implendis agitur: elephantes, & majores naves Antiocho adimuntur. (*p*)

Olympias CLXVIII. Inter obsides Romam mittitur Antiochus, Antiochi regis filius, qui postea rex fuit cognomine Θεὸς Epiphanes. (*q*)

187 | 4527 | 126 Antiochus in Orientem iturus, Seleucum filium suum regem designat. (*r*)

In Elymæorum terram, Mediæ provinciam, profectus Antiochus, & pecunias collecturus, Jovis Elymæi, seu Beli templum noctu spoliare tentat; sed a concurrentibus templi accolis rex cum exercitu suo contrucidatur. (*s*)

Antiochus Magnus regnavit annis XXXVI. completis, vixit LII. Fuit rex mitis, justi amans, literatis addictus. (*t*) Ex Laodice Pontica quinque filios genuit: Antiochum, qui ante patrem obiit, Seleucum, Antiochum, Ardyem, & Mithradatem: filias Laodicen, Cleopatram, Antiochidem, & anonymam, de quibus omnibus dictum est, & porro de quibusdam dicetur.

(*i*) Livius lib. 37.)(Cicero Philippica 11.)((*l*) Appianus Syr.)(Livius lib. 37., & 38.)(Polybius legat. 19. 20. 21., & 23.)(Sextus Rufus in Breviario.)((*m*) Lib. 1. Macchab. c. 8.)(Epitome Livii lib. 38.)(

(*n*) Livius lib. 37.)(Appianus Syr.)(Polybius legat. 24.)(Diodorus Sic. legat. 9.)(Justinus lib. 31. c. 8.)(

(*o*) Lib. 1. Macchab. c. 8. Vide Prolegomena nostra parte 2. c. 6.)(Livius, & Appianus.)(

(*oo*) Diodorus Siculus in excerptis Valesii.)(Polybius legat. 55.)(Strabo lib. 11.

(*p*) Polybius legat. 35.)(Diodorus legat. 11., & 12.)(Livius lib. 38.)((*q*) Lib. Macchab. c. 1. v. 11.)(Appianus Syr.)(Severus Sulpitius Historiæ Sacræ lib. 2.)((*r*) Lib. II. Macchab. c. 9. v. 23.)(Strabo lib. 16.)(Diodorus Sic. excerpt. Valesii.)(Justinus lib. 32. c. 2.)(S. Hieronym. in Danielis c. 11.)(Aurelius Victor regem ebrium in convivio cæsum scribit. (*s*) Euseb., & Porphyr.)(Appianus Syr. 37. annos regni Antiocho tribuit, inchoatos intelligo.)(Athenæus lib. 15.)(Philo de tempore.)(Diodorus Sic. apud Photium cod. 244.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
187	4527	126	Seleucus IV. Philopator dictus, id est *Patris Amans*, Antiochi patris occisi regna omnia adipiscitur: e Laodice sorore, eaque Antiochi fratris vidua, filium suscipit Demetrium, (*u*)
186	4528	127	In Judæa pax: atque ob Oniæ Pontificis pietatem reges quoque honorabant sacram urbem, & templum, donisque ornabant. Seleucus de suis redditibus omnes sumptus ad sacrificia publica peragenda necessarios sufficiebat. (*x*)
185	4529	128	Simon Beniamita præfectus templi, ut Oniæ Pontifici ægre
184	4530	129	faceret, ad Apollonium Phœnices præpositum defert: immensas opes in templo Jerosolymitano servari. Apollonius hæc Seleuco aperit, qui mittit Heliodorum, ut opes e templo ablatas ad regem perferret. Heliodorus in templum violente irrumpens, ab equite armato, & a duobus peditibus Angelis castigatur; tum plagis mortem intendentibus, Oniæ pontificis precibus valetudini mox restituitur; ita ad Seleucum redux DEI veri potentiam de-
Olympias CXLIX.			prædicat, (*y*)
			Cum Achæis, Megalopoli conventum celebrantibus sub prætore Aristeno, Seleucus missis eo legatis amicitiam instaurat. (*z*) Hæc alii biennio antea collocant.
183	4531	130	Romani inter Eumenem Pergami, & Prusiam Bithyniæ regem pacem conciliaturi, & a Prusia Hannibalem petituri, T. Quintium Flaminium ad Prusiam, & Seleucum ablegant. (*a*)
			Hannibal, ne dederetur Romanis, veneno se enecat isthoc, vel sequente anno. (*b*)
182	4532	131	Bello inter Eumenem, & Pharnacem Ponti regem exorto, exercitum parat Seleucus, ut Pharnaci succurreret; sed pacti cum Romanis initi memor, quoniam ultra Taurum montem excedendum fuisset, ea expeditione abstinet. (*c*)
181	4533	132	Ptolemæus Philometor Ægypti rex succedit Ptolemæo Epiphani mortuo, patri filius. Mortis hujus annus certus est ex eclipsi lunæ Kalendis Maji observata anno VII. Philometoris. (*d*)
180	4534	133	In Ponto Asiatico, & Armenia pax concluditur, qua Artaxiæ
Olympias CL.			Armeniæ regi, qui sub Antiocho Magno a Seleucidis defecerat,
- - -	- - -	- - -	regnum a Romanis confirmatur. (*e*)
178	4536	135	Perseus Macedoniæ rex, Philippi filius, Laodicen Seleuci filiam uxorem accipit, quæ a Rhodiis magnifico classis apparatu deducta, per iter Deliaco Apollini splendida munera offert: Delienses Laodicæ statuam ponunt. (*f*)
177	5537	136	Ptolemæus Philometor Judæos Ægyptio regno præficit gubernatores: copias suas Dositheo Levitici generis sacerdoti committit, & Oniæ, Oniæ III. pontificis filio. (*g*)
			Seleucus imperium sibi firmaturus, Antiochum fratrem, Romæ obsidem, in Syriam evocat, misso obsidis nomine filio suo Demetrio; nisi ipsis Romanis jubentibus hæc obsidum permutatio facta est. (*h*)

Deme-

(*u*) Polybius legat. 107.)(Appianus Syr.)(Eusebius, & Porphyrius.)(S. Hieronymus in c. 11. Danielis.)(Josephus lib. 12. ant. c. 4. male Soterem vocat, qui fuit titulus Demetrii, Seleuci filii.

(*x*) Lib. 2. Macchab. c. 3. initio. (*y*) Lib. 2. Macchab. c. 3.)(Eusebius Chron.)(Josephus, & Fasti Siculi errant, dum pro Heliodoro Apollonium nominant. Quidam hæc sub finem regni Seleuci gesta ponunt, ut colligitur ex Josepho; nos Eusebium secuti sumus. (*z*) Polybius legat. 41.)(Diodorus Sic. legat. 13.)(

(*a*) Justinus lib. 32. c. 4.)(Polybius legat. 47.)((*b*) Livius lib. 39.)(Valerius Max. lib. 9. c. 2.)(Justinus lib. 32. c. 4.)(Æmilius Probus in Hannibale.)((*c*) Polybius legat. 55.)(Diodor. Sic. in excerptis Valesii.)((*d*) Ptolem. Almagesti lib. 6. c. 5.)(Eusebii Chron.)((*e*) Polyb.. & Diodor. ut in (*c*))(

(*f*) Polybius legat. 60.)(Appianus legat. 25.)(Livius lib. 42.)(Marmor Arundellianum.)((*g*) Joseph. lib. 2. contra Apionem.)((*h*) Appianus Syr.)(Lib. 1. Macchab. c. 1. v. 11.)(

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
176	4538	137

Olympias CLI.

Demetrio Romæ relicto, Antiochus Athenas cum tenuisset, Seleucus ab Heliodoro ærarii præfecto per insidias interficitur anno regni post patrem undecimo expleto: duodecimo fere expleto ab eo tempore, quo rex a patre Antiocho designatus est. (*i*)

Seleucus a Laodice sorore, & uxore filium Demetrium, & filiam Laodicen suscepit, de quibus paullo ante actum est. Post initium autumni hujus anni occisum esse Seleucum testatur numisma cum epocha anni Seleucidarum CXXXVII. Numero 5.

Simeon Beniamita Oniam III. pontificem maximum variis modis vexabat, & quietem turbabat, operam conferente Apollonio Phœnices præfecto: Onias querelas depositurus ad Seleucum contendit; sed sero, eo recens occiso, advenit. (*l*)

(*i*) Appianus Syr.)(Appianus, Eusebius, & Porphyrius duodecim regni annos Seleuco IV. tribuunt; sed eum annum computare videntur, quo a patre rex nominatus est. (*l*) Lib. 2. Macchab. c. 4.

NUMISMATA SELEUCI IV. PHILOPATORIS.

Tab. VI.

Æneus III.	1. Caput Seleuci diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΡΛϛ. *Regis Seleuci: Anno 136.* Dimidia navis cum remo.	Haym.
Æneus II. vel III.	2. Similis numus; sed sine epocha.	Theupoli.
Æneus III.	3. Caput Seleuci diadematum: a tergo acrostolium. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ϛΛΡ. *Regis Seleuci: Anno 136.* Navis dimidia cum remo.	Vaillant.
Æneus III.	4. Caput Seleuci diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ϛΛΡ. *Regis Seleuci Philopatoris: Anno 136.* Lyra globo imposita.	Haym.
Æneus II.	5. Caput Seleuci diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΡΛΖ. id est: *Anno 137.* Dimidla navis.	Liebe.
Æneus III.	6. Caput galeatum, aliquantum simile Seleuco. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Apollo nudus stans, d. sagittam, s. arcui innititur.	Haym.
Æneus III.	7. Caput muliebre hederæ foliis ornatum, Bacchæ caput esse puto. Eadem inscriptio. Navis: in area monogramma.	Haym.
Æneus III.	8. Caput muliebre diadematum, forte Laodices uxoris Seleuci. Similis pars aversa cum alio monogrammate.	Noster. Haym.
Æneus III.	9. Numi duo, quales Numero 7. sed loco monogrammatis in uno Δ: in altero AN.; & in alio caput Dianæ insolito ornatu tectum: numi ora est denticulata.	Haym. D. Fawkener

 Antio-

(4.) Apollini lyra hic tribuenda videtur, quem tanquam Phœbum planetarum motus in orbem ciere, atque cœlesti harmonia mundum temperare credebant.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Seleuc. Æræ

176 4538 137 Antiochus, rex eo nomine quartus, Seleuci IV. frater, audita Athenis fratris morte regnum Syriæ sibi vindicare incipit post initium autumni; titulos sibi arrogavit Θεȣ̃ Ἐπιφανȣ̃ς, *Dei*, vel *Divi*, *Illustris*, seu *Nobilis*. Demetrius Seleuci IV. filius decem annos natus, interea Romæ obses relinquitur. (*m*)

Olympias CLI.

175 4539 138 Attalus, & Eumenes Pergameni, & Syri multi post aliquam tergiversationem (quod Ptolemæo faverent) expulso Heliodoro, regnum Syriæ affectante, Antiochum regem agnoscunt, ejusdem Antiochi humanitate victi. Verum cum nimia levitate mores Romanos sectaretur Antiochus, & alia inepta factitaret; non jam Epiphanes, sed Ἐπιμανὴς *insanus*, vulgi dicteriis appellabatur. (*n*)

Jesus, seu Jason (uti dici maluit) frater Oniæ III. pontificis, ut amoto fratre pontifex fieret, multas pecunias Antiocho pollicetur, rogatque, ut spurcos Græcorum ritus, & mores Jerosolyma inducere liceret. Rex petitis annuit. In urbe sancta, & templo fœda rerum facies. (*o*) Onias III. Pontifex depellitur a fratre Jasone, qui succedit, sed abhinc triennium a fratre Menelao (seu Onia) submovendus. (*p*)

174 4540 139 Eclipsis lunæ Alexandriæ in Ægypto prima Maji hora secunda noctis anno VII. Ptolemæi Philometoris. (*q*)

Jerosolymis invalescit impietas. Jason ad agonem quinquennalem Herculi a Syriis consecratum CCC. argenti affert didrachmas, quæ ad fabricandas triremes contributæ erant. (*r*)

173 4541 140 Antiochus misso Romam cum tributo, ac donis Apollonio, Cœlesyriæ præfecto, rex, & socius a Romanis agnoscitur, Demetrio pro obside illic detento. (*s*)

Nascitur Antiocho filius Antiochus, postea Eupator dictus. (*t*)

Sublata e vivis Cleopatra, Antiochi III. filia, Ptolemæi Philometoris adolescentis matre, Antiochus Cœlesyriam, & Phœniciam penitus sibi vindicat, negans dotis nomine quidquam Ægyptio regi deberi. Ptolemæus Philometor ipse suo arbitrio imperaturus regnum adit: actis τῶν πρωτοκλισίων (*primum inscensi throni*) festis. Ea causa Antiochus Apollonium, Roma reducem, Alexandriam mittit. Ptolemæum, ac tutores alieno ab se esse animo intelligens Antiochus arma parat; Jerosolyma venit, a Jasone magnifice excipitur: inde in Phœniciam cum exercitu abit. (*u*)

172 4542 141 Menelaus, seu Onias a Jasone fratre ad Antiochum missus, eidem CCC. talenta spondens, pontificatum pulso Jasone obtinet, qui ad Ammonitas fugit: pactas tamen pecunias Onias non solvit. (*x*)

In-

(*m*) Appianus Syriac.)(S. Hieronymus in c. 11. Danielis.)(Josephus lib. 12. ant. c. 5.)(Polybius legat. 114.)(I. Macchab. c. 1. v. 11.)(Eusebius, & Porphyrius. (*n*) Appianus, & S. Hieronymus modo adducti.)(Diodorus Sic. excerptis apud Valesium.)(Polybius apud Athenæum lib. 2. c. 2., & lib. 5. c. 4., & lib. 10. c. 12. (*o*) Lib. 2. Macchab. c. 4. v. 7. &c.)((*o*, & *p*) Joseph. lib. 12. ant. c. 5., & lib. 1. de bello c. 1.)((*q*) Ptolemæus in Almagesto. lib. 6. c. 5.

(*r*) 1. Macchab. c. 1. v. 12. &c., & 2. Macchab. c. 4. v. 18. &c. MS. Codex Arundellianus Græcus habet: 3300. drachmas argenti. ita Usserius.)((*s*) Livius lib. 42.)((*t*) Appianus in Syriac.)((*u*) S. Hieronymus in c. 11. Daniel.)(Polybius legat. 72., & 82.)(2. Macchab. c. 4. 4. v. 21. &c.

(*x*) 2. Macchab. c. 4. v. 21. &c.)(Joseph. lib. 12. ant. c. 5., & lib. 15. c. 3.)(Severus Sulpitius historiæ sacræ lib. 2.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
172	4542	141	Ingruente Romanorum adversus Perseum Macedoniæ regem bello, ab utraque parte sollicitatus Antiochus, in fide Romanis data persistit. (*y*)
Olympias CLII.			Ptolemæus Philometor Ægypti, & Antiochus Syriæ reges, per legatos Romæ de jure in Cœlesyriam disceptant; Antiochi legatus rursum erat Apollonius, quem Romanis admodum acceptum esse rex intellexerat. (*z*)

(*y*) Appianus legat. 25.)(Polybius legat. 85.)(Livius lib. 42.
(*z*) Polybius legat. 71., & 72.)(Livius lib. 42.

NUMISMATA ANTIOCHI IV. ΘΕΟΥ. EPIPHANIS.

TABULA VI.

Argent. I.	1. Caput Antiochi diadematum.	Vaillant. D.Favvkener
Argent. III.	ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Regis Antiochi.* Apollo nudus cortinæ insidens, d. sagittam, f. arcum; in area O P	
Æneus III.	2. Simile caput.	Vaillant. Theupoli.
	ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Antiochi Dei Illustris*, vel *Nobilis.* Apollo ut in priori.	
Æneus III.	3. Caput Antiochi cum corona radiata.	D.Favvkener Vaillant. Haym.
	Inscriptio similis præcedenti. Apollo nudus gradiens, f. arcum, d. retracta, velut ab arcu recens soluto.	
Æneus III.	4. Simile caput, & aversæ inscriptio: Jupiter stans, d. fulmen, f. hastam.	Vaillant.
Æneus III.	5, Similis numus; sed ad pedes Jovis aquila adsistens, & monogramma.	Noster.
Æneus III.	6. Caput Antiochi cum corona radiata.	Haym.
	Eadem inscriptio. Jupiter sedens, d. pateram, f. hastam: sub sella monogramma.	
Argent. I.	7. Caput Antiochi diadematum.	Baronis Stein, nunc B. Roth.
	Eadem inscriptio: Jupiter sedens, d. victoriolam, f. hastam, quæ in apice flore ornata videtur loco pili: infimo loco areæ monogramma, aut nota.	

(2.) Sub hoc rege primum occurrit Θεοῦ titulus una cum corona radiata capiti adposita. His indicabatur: dignum esse regem, qui inter Deos quasi sidus novum refulgeat. Romanos subinde Imperatores hæc impia adulatio afflavit: Plinius in panegyrico Trajani: horum unum si præstitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret, aut ebore. Ægypti regum solus Auletes, sed Syriæ reges deinde aliquot, & Augusti radiata corona exhibebantur.
(1. &c. (4. &c.) Apollinis impio cultui, uti & Jovis insigniter deditus erat Antiochus. In Apollinis Delii templo varias statuas Antiochi IV. sumptibus erectas esse, Pausanias lib. 5. meminit. De templo in loco Daphnes ab Antiocho Apollinis honoribus erecto vide Annales ad annum sequentem.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
171	4543	142	Eulaius, & Lenæus Ptolemæi Philometoris tutores bellum in Antiochum parant; sed hic præveniendum ratus cum exercitu Ægyptum invadit: simul de integro legatos Romam mittit, qui senatui persuadeant: jure ab Antiocho bellum Ægyptiis inferri. (*a*)
			Antiochus Ptolemæi exercitum Pelusium inter, & montem Cassium, seu Casium profligat. Ptolemæo Philometori se favere simulat Antiochus, atque sub tutoris specie Ægyptum subjugat. (*b*)
			Ptolemæus (Macron, vel Macer dictus) Dorymenis filius, Ægypto præfectus Antiochi partibus se adjungit, & inter intimos regis amicos adsumitur; ipse Ptolemæus Macer Cœlesyriæ, Phœniciæque præfectus ab Antiocho renunciatur: Cyprus Crateti committitur. (*c*)
			Sostratus arci Jerosolymitanæ præfectus cum pecuniam regi Antiocho promissam a Menelao pontifice frustra exigeret, ambo ad Antiochum evocantur. Menelaus sui loco interea fratrem Lysimachum, Sostratus in arce Cratetem substituit. Menelaus paullo post supremo sacerdotio movebitur, eique subrogabitur Lysimachus. (*d*)
			Tarsenses, & Mallotæ in Cilicia, cum ab Antiocho Antiochidi concubinæ dono attribuerentur, seditionem movent: adversus eosdem Antiochus properat, negotiis regni interea Andronico commissis. (*e*)
			Menelaus ope Lysimachi, sui etiamnum vicarii, vasa aurea e templo subducta alia Andronico donat, alia divendit. Onias III. pontifex loco motus sacrilegii Menelaum arguere statuit; quod ut tuto faceret, neque pateret inimicorum insidiis, ad asylum Daphnes prope Antiochiam se recepit, ubi in luco percelebri templum Apollini Antiochus excitarat. (*f*)
			Onias III. dolo malo ex asylo eductus Menelao instigante ab Andronico perfide interimitur. Judæorum querelis, & facti impietate permotus rex Antiochus, Andronicum eodem in loco occidi jubet, in quo Onias cecidisset. (*g*)
			Jerosolymis, & in vicinia propter Lysimachi sacrilegia, seditio exoritur: armatas copias in insurgentes educit Lysimachus; pugnatur: multi utrinque in urbe ipsa sancta occiduntur; tandem vincit populus Judaicus, & Lysimachus ad gazophylacium interimitur. Flavius Josephus multo alia narrans, errat. (*h*)
170	4544	143	Antiochus Tyrum venit: Menelaum accusant legati senatus Jerosolymitani; sed corrupto pecuniis Ptolemæo Macro, & rege ipso, Menelaus absolvitur, legati necantur: Tyrii injuste occisorum cadavera honorifice sepeliunt. (*i*)

(*a*) Polybius legat. 72.)(Diodorus legat. 18. (*b*) Porphyrius apud S. Hieronymum in c. 11. Danielis.
(*c*) Lib. 2. Macch. c. 10. v. 13.)(1. Macch. c. 3. v. 38.)(item 2. Macch. c. 8. v. 8., & c. c. 4. v. 29.
(*d*) Lib. 2. Macch. c. 4. v. 27. &c. (*e*) Lib. 2. Macch. c. 4. v. 30. 31. (Euseb. Chron.) forte hæc Antiochis (quæ *Concubina* Παλλακή vocatur) Antiochi uxor fuit, cujus nomen aliud non est proditum.
(*f*) Lib. 2. Macchab. c. 4. v. 32. &c.)(Strabo lib. 16.)(Ammianus Marcellinus lib. 22.
(*g*) Lib. 2. Macchab. c. 4. v. 34. &c. (*h*) Ibidem v. 39. &c.)(Joseph. lib. 12. antiq. c. 6.
(*i*) Lib. 2. Macchab. c. 4. v. 44.

ΘΕΟΥ. EPIPHANIS.

TABULA VI., & VII.

Æneus III.	8. Caput Antiochi cum corona radiata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Regis Antiochi.* Figura ſeminuda ſedens, d. ſuſtinet figuram parvulam expanſis brachiis ſtantem; ad pedes figuræ ſedentis avis ibis, vel aquila. Intra ſellam nota H. caput figuræ ſedentis tutulatum eſſe videtur, vel modio ornatum.	Noſter.
Æneus III.	Similis numus; ſed inſcriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Antiochi Dei Illuſtris.*	Theupoli.
Æneus III.	9. Caput Antiochi cum corona radiata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Iſis capite velato, ac tutulato ſtans, d. haſtam gerit, ſ. veſtem colligit.	Noſter. Haym.
Æneus III.	Similis numus cum nota A. ad occiput Antiochi.	Noſter.
Æneus II. & III.	10. Caput Antiochi cum corona radiata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Aquila fulmini inſiſtens.	Noſter. Theupoli.
Argent. III.	Similis argenteus, capite diademato.	D. Favvkener
Æneus III.	11. Caput muliebre diadematum, & cincinnatum. Eadem inſcriptio, & aquilæ figura eadem.	Haym.
Æneus III.	12. Caput Iſidis ſpicis, & loto ornatum, velatum, ac cincinnatum; Eadem pars averſa.	Begerus.
Æneus I.	13. Caput Jovis laureatum, & barbatum. Eadem inſcriptio: aquila fulmini inſiſtens.	Noſter. Haym. Theupoli.
Æneus II.	14. Caput Iſidis loto ornatum, velatum, cincinnatum. Eadem pars averſa.	Noſter. Haym. Theupoli.
Æneus III.	15. Caput Antiochi cum corona radiata. Temo, ſeu gubernaculum, cum epigraphe literis Phœniciis incognitis.	Vaillant.

(8. 9.) Parvula figura, quam Iſis attollit, videtur Antiochi biennem filiolum Antiochum referre. Ægyptum Antiocho ſubditam Iſis denotat, & forma ipſa numorum ſequentium a 10. ad 15. præclare indicat Ægyptum Antiocho IV. obnoxiam fuiſſe. Nam aquila fulmini inſiſtens fere perpetuum eſt in Ægyptiacis regum numis averſæ partis ſymbolum; quod etſi in Tyriorum numis etiam occurrat, in argenteis tamen fere tantum id obſervatur, ac Tò *Tyriorum* plerumque monogrammate ſaltem adjicitur. Præterea fabrica ipſa, ac modulus quorundam ex iſtis numorum omnino Ægyptum, Cyprumve redolet.

(15.) Tyri, vel Sidone hic numus eſt ſignatus.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
170	4544	143	Ægyptum reluctantem, & Syriaci jugi impatientem armis iterum impetit Antiochus. Jerosolymis per XL. dies conflictus armatorum in aëre visi. (*l*)
			Repulso Ptolemæi Philometoris exercitu Antiochus urbes Ægypti occupat, & spolia colligit. (*m*)
			Sparso de Antiochi morte falso rumore, Jason ex Ammonitide erumpens, Jerosolyma armatus invadit, multos necat; sed mœniis exactus, & ab Areta Arabiæ tyranno pene oppressus, atque omnibus exosus nusquam tuto consistit. (*n*)
			Audiens Antiochus Jerosolymitanos de mortis suæ fama lætatos, atque Jasonis motus seditionem populi interpretatus, percussa Ægypto adversum Judæos properat: Jerosolyma vi occupat, horrendas in urbe, & vicinis in locis strages edit; octoginta hominum millia eo furore afflicta, pars cæsi, pars vincti, & pro mancipiis venditi. (*o*)
			Sacra omnia in templo profanat Antiochus, & inde asportatis octingentis supra mille talentis Antiochiam concedit. (*p*)
169	4545	144	Ptolemæus Philometor rursum ob Cœlesyriam bellum instaurat, sed pugna inita ab Antiocho superatur: victis parci jubet Antiochus: itaque bene affectos sibi reeddidit Ægyptios, ut aliquam Ægypti possessionem aut recuperarit hoc anno Antiochus, aut sibi firmarit. (*q*)
			Alexandrini Ptolemæo Philometori homini voluptuario, & regni maxima parte spoliato, regni potestatem adimunt, ac in fratrem ejus Ptolemæum Evergetem transferunt; deinde ambos fratres reges constituunt; mox Philometorem rursus exigunt. Antiochus Philometoris tutelam præ se ferens cum classe Pelusium venit, Ægyptiacam classem vincit: deinde Alexandriam infeliciter obsidet. Repetit Syriam Antiochus relicto Pelusii firmo præsidio. Ægyptii, adversus Antiochum Romanorum auxilium implorant. (*r*)
168	4546	145	C. Popillius Lænas, C. Decimius, & C. Hostilius missi Roma legati in Ægyptum appelluntur, ut Antiochum cohiberent, & regni negotiis prospicerent.
			Ptolemæus Philometor ad Evergetem fratrem se confert, & pace facta cum eodem regnat. Urit ea res Antiochum, & acrius bellum in Ægyptios parat. (*s*)

(*l*) Lib. 2. Macchab. c. 5. v. 1. &c. (*m*) Lib. 1. Macchab. c. 1. v. 16. &c. (*n*) Lib. 2. Macchab. c. 5. v. 5. &c. (*o*) Lib. 2. Macch. c. 5. v. 11. &c. Græcus codex hic ad exponendum Latinum adhibendus.)(Lib. 1. Macch. c. 1. v. 21.)(Joseph. libello de Macchabæis: Errat Josephus, & secum pugnat, dum Jerosolyma absque pugna capta scribit lib. 12. ant. c. 5. Ast contrarium habet lib. 1. de bello Jud. c. 1. & lib. 6. cap. ultimo: errat etiam in numero hominum hac clade involutorum.

(*p*) Lib. 2. Macchab. c. 5. v. 15. &c.)(1. Macchab. c. 1. v. 23. &c.)(Josephus contra Apionem lib. 2., & lib. 1. belli Jud. c. 1., & lib. 12. ant. c. 5.)(Ab Antiocho templi adyta ingresso inventam esse statuam viri barbari asino insidentis, & manu librum tenentis, aliasque gentilium fabulas refert Photius in biblioth. cod. 244. ex Diodoro Siculo.

(*q*) Polybius legat: 80. 81. 82.)(Diodori excerpta.

(*r*) Justinus lib. 34. c. 2.)(Livius lib. 44., & 45.)(Porphyrius in Græcis Eusebii.)(Polyb. legat. 83. & 84.)(Diodori excerpta. (*s*) Livius ibidem.)(Polybius legat. 89., & 92.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
168	4546	145

Antiochus cum exercitu Ægyptum petiturus in Cœlesyriam procedit, & a Philometoris, Evergetisque legatis pacem petentibus Cyprum, & Pelusium postulat. (*t*)

Apollonius tributorum præfectus ab Antiocho Jerosolyma mittitur, ut puberes omnes conciderent: pueros, & mulieres venderet. Ubi Jerosolyma advenit, pacem simulans, sabbatum præstolatus est, quo labente cædibus, incendiis, rapinis, murorum ruina late omnia funestavit. (*u*)

Judas Macchabæus Mattathiæ filius cum novem aliis in desertum secessit; quod more ferarum victitare mallet, quam impietate contaminari. Arcem Sion Apollonius communit, & infestum incolis præsidium imponit. Multi ex urbe profugiunt. (*x*)

Olympias CLIII.

Eclipsis lunæ totalis in Macedonia visa die XXI. Junii hora VIII. a meridie, quam L. Sulpicius Gallus tribunus militum legionis II. L. Æmilii Paulli recte prædixerat Idibus Martiis futuram. Ex quo calendarii Romani luxatus ordo certo indicio colligitur. Die sequente Perseus a L. Æmilio Paullo debellatus, fugatusque, & regnum Macedonicum extinctum est, postquam annos sexcentos viginti sex, si a Carano calculus ineatur, constitisset. (*y*)

Antiochus in Ægyptum copias promovens, ut Pelusium occuparet, obvios habet legatos Romanos, mandata, ut ab Ægypto abstineret, adferentes; C. Popillius tergiversantem, & effugia quærentem Antiochum vitiginea, quam manu gerebat, virga circumscripsit, atque senatus mandatis ut antea responderet, jussit, quam eo circulo excederet. Pressa animi ægritudine obtemperavit Antiochus, & exercitum in Syriam reduxit, (*z*)

Antiochus edicto proposito gentibus omnibus suo imperio obnoxiis severe mandat, ut relicta sua religione Græcorum superstitiones reciperent. Mittuntur, qui detrectantes cogant. (*zz*)

Samaritani intellecta Judæorum calamitate perterrefacti, ab Antiocho per epistolam, qua eum ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. titulo appellant, petunt: templum suum in monte Garizim Dei veri cultui excitatum, Διὸς Ἑλληνίȣ *Jovis Græcanici* nomine impie consecrari. (*a*)

Senex quidam Antiochenus, Athenæus nomine, ab Antiocho mittitur, qui Samaritanis petentibus Διὸς Ξενίȣ *Jovis Hospitalis* (quasi Jupiter *Græcanicus* Samaritanorum novus *Hospes* diceretur) idolum in templo Garizim: invitis vero Judæis in templo Jerosolymitano Διὸς Ὀλυμπίȣ, *Jovis Olympii* idolum erigeret. Die XV. mensis Casleu Jerosolymis id patratum est. (*b*)

(*t*) Livius lib. 45. (*u*) Lib. 2. Macch. c. 5. v. 24. &c.)(Confer. lib. 1. Macch. c. 1. v. 30.)(Joseph. lib. 12. ant. c. 5. (*x*) 2. Macch. c. 5. v. 27.)(1. Macch. c. 1. v. 39., & 40., & 41.)(Joseph. lib. 12. ant. c. 5.

(*y*) Livius lib. 44.)(Justinus lib. 33. c. 1.)(Valerius Max. lib. 8. c. 11.)(Frontinus stratagematum lib. 1. c. 12.)(Mentionem quoque victi Persei facit lib 1. Macch. c. 8. v. 5.)(Plinius lib. 2. c. 12., & Cicero de senectute hujus eclipsis meminere.)(Usserius in Annal. ad hunc annum ante æram Christi 168.

(*z*) Livius lib. 45.)(Polybius legat. 92.)(Cicero Philippica 8.)(Justinus lib. 34. c. 3.)(Vellejus Paterculus lib. 1. c. 10.)(Appianus Syr.)(Plutarchus in Apophthegmatis c. 32. &c.

(*zz*) Lib. 1. Macch. cap. 1. v. 43. &c.

(*a*) Joseph. lib. 12. ant. c. 5. ubi Samaritanorum epistolam, & Antiochi responsum adfert; sed horum fidem dubiam facit annus 46. in rescripto Antiochi signatus, cui æra congrua inveniri nequit. Nisi omisso centenario numero sit annus æræ Seleucidarum, ac tum hoc rescriptum anno sequenti conveniret.

(*b*) 2. Macch. cap. 6. v. 1. &c.)(1. Macch. c. 1. v. 46., & 57. &c.

Ante Chrift.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
167	4547	146

Judæi hoc, & fuperiore anno acerbiffime vexati funt. Præter profanata facra ad immolandum idolis, & porcinas carnes, lege vetitas, edendas adigebantur: difcindebantur libri facri, & flammis abolebantur, aliaque impie, & crudeliter patrabantur. Multi Judæorum turpiter a fancta lege fua defecere; multi Dionyfia, fefta Baccho facra, hederam ferentes deducere cogebantur. (*c*)

Eleazarus facerdotali e genere fcriba peritiffimus nonagenarius pro vera religione crudelem mortem fuftinet.

Septem fratres Macchabæi cum matre fua tormentis pro religione patrum fuorum fæviffime excruciantur. Fl. Jofephus hiftoricus matrem Solomonam (aliis Hannam) appellat; fratrum hæc nomina exhibet: Macchabæus, Aber, Machir, Judas, Achas, Areth, Jacob. (*d*)

Hifce temporibus in urbe Modin præcipuæ vir dignationis pro lege Dei fe extulit Mattathias, filius Johannis, filii Simeonis, facerdos ex filiis Joarib ab Jerufalem. Quinque ei erant filii: Johannes, qui cognominabatur Gaddis, Simon Thafi, Judas Macchabæus, Eleazarus Abaron, & Jonathan Apphus. Apud Jofephum Simeon, Mattathiæ avus, Affamonæi filius nominatur. Sane Pofteri Mattathiæ & *Macchabæi*, & *Affamonæi* appellari folent.

Hic Mattathias impia facrificia magna libertate detrectavit, & Judæum palam idolis facra facientem fuper ipfa ara jugulavit, hortatusque pios omnes, ut fe fequerentur, in montes feceffit. Eidem fortiter multa agenti Affidæi fefe adjungunt, multique alii ejus judicio fe fubmittunt. Ob multos Judæos fabbato jugulatos decernitur: Sabbato quoque repugnare fas effe. (*e*)

Completur abominanda impietas, dum xxv. die menfis Casleu fuper aram Deo dicatam diis facrificatur. (*ee*)

Ante Chrift.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
166	4548	147

Antiochus *Epiphanes*, cum ob alia multa, tum ob infanam fumptuum profufionem, qua ludos Antiochiæ ad Daphnen magnificentiffimos inftituit, *Epimanes*, id eft, *Infanus* merito audiit. Eos ludos etiam ftulta æmulatio concivit, qua incitatus Antiochus Paullum Æmilium liberalitate fuperare ftuduit, qui in Macedonia percelebres ludos ediderat. (*f*)

Mattathias ad pietatem, ac fortitudinem fuos cohortatus, fratribusque Simonem patris loco commendans, & belli ducem Judam Macchabæum conftituens, vitam finiit. Filii patris corpus in Modin fepelierunt, omnisque Ifrael eundem planctu profecutus eft. (*ff*)

16. Caput

(*c*) 1. Macch. c. 1. v. 58. &c.)(2. Macch. c. 6. v. 4. &c. (*d*) 2. Macch. c. 6. v. 18. &c., & c. 7. toto.)(Jofeph in libello de Macchabæis, feu περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ. (*e*) 1. Macch. c. 2. ufque v. 49.)(Jofeph. lib. 12. ant. c. 6., & lib. 1. belli c. 1. ubi Mattathias a Jofepho etiam Matthias appellatur.)(*Macchabæorum* nomen *Fortes*, ac *Pugnaces*. Atque ita feptem illi fratres Martyres Macchabæi vel ob fortitudinem, vel a fratris natu maximi nomine appellati funt. Simile quid de Judæ Macchabæi fucceffori-bus dici poteft. *Affamonæi*, vel *Afamonæi* dicebantur *Viri Principes*. *Affidæi*, vel *Afidæi Pii*, vel *Mifericordes* appellabantur, qui cœtu conftituto fe pro lege Dei, etiam fanguine propugnanda, offerebant.

(*ee*) 1. Macch. c. 1. v. 62. &c, confer. 1. Macch. c. 4. v. 52., & 59., & 1. Macch. c. 1. v. 57. Vide dicta in Prolegomenis parte 2. c. 5.

(*f*) Polybius apud Athenæum lib. 5. c. 4., & lib. 10. c. 12.)(Diodorus Siculus in Excerptis Valefii.

(*ff*) 1. Macchab. c. 2. v. 49. &c.

ΘΕΟΥ. Epiphanis.

Tabula VII.

Æneus III.	16. Caput Antiochi diadematum cum ſigno incuſo ad collum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩΝ. *Regis Antiochi Sidoniorum.* Navis. In alio literæ Phœniciæ ſubſcriptæ.	Noſter. Theupoli.
Æneus III.	17. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Antiochi.* Caput hujus Antiochi cum corona radiata, & diademate. ΣΙΔΟΝ. - - *ſic Sidoniorum.* Europa, vel Dea Sidonia tauro vecta.	Haym.
Æneus II.	18. ΔΜΡ. id eſt: *Anno* 144. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. *Regis Antiochi Tyriorum.* Navis, & literæ Phœniciæ.	Vaillant.
Æneus II.	19. Caput Antiochi diadematum, ad occiput ΕΜΡ. *Anno* 145. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. Navis, & literæ Phœniciæ.	Noſter.
Æneus III.	20. Caput Antiochi IV. cum corona radiata. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΩΣ. ΔΑΦΝΗΝ. *Antiochenorum, qui ſunt ad Daphnen.* Jupiter Olympius ſtans, d. corollam protendit, ſ. veſtem adducit.	Noſter. Vaillant.
Æneus III.	21. Similis numus; in area averſæ ΔΙ., & aliud monogramma dubium.	Noſter.
Æneus III.	22. Similes numi; ſed in area averſæ partis alter tripodem, alter ΓΑ. ΒΑ. exhibet: alii alia monogrammata.	Theupoli. D.Favvkener
Æneus III.	23. Caput Antiochi cum corona radiata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Figura bigis vecta, concitato equorum curſu.	Noſter. Baudelot.
Æneus II. vel III.	24. Caput Antiochi cum corona radiata. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Antiochenorum, qui ſunt Ptolemaide.* Jupiter Olympius ſtans, d. coronam protendit, ſ. veſtem colligit.	Vaillant.
Æneus III.	25. Simile caput. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΩΣ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ. *Antiochenorum, qui ſunt Callirhoën.* Jupiter ſtans, d. coronam, vel pateram, ſ. haſtam.	Vaillant.
Æneus III.	26. Simile caput. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ. *Antiochenorum, qui ſunt ad Callirhoën.* Jupiter ſtans, d. aquilam, ſ. haſtam.	Noſter. Theupoli.
Æneus III.	27. Caput Antiochi (quo ornatu, non eſt adnotatum.) ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Caput arietis.	Memoires de Trevoux. Anno 1737. pag. 1789.

(20.) Antiochia Syriæ metropolis ad Orontem fluvium ab aliis Antiochiis in numis ſe diſtinguit his adjectis: *Ad Daphnen*, amænum, & vicinum urbi locum, ubi Apollini ſplendidum templum, & in eo ſtatuam Jovis Olympii magnitudine, poſuit Antiochus, uti ſuperius ex Pauſania, & Marcellino dictum eſt: Ludos quoque magnificentiſſimos ad Daphnen inſtituit, uti in Annalibus memoratur: Jupiter Olympius coronam victoribus offert.

(23.) Certamina equorum, & curruum in ludis ad Daphnen indicantur, quos Antiochus inſtituit.

(24.) Sub his verbis: Antiochenorum, qui ſunt Ptolemaide, aut Antiocheni negotiatores, Ptolemaidem frequentantes, aut ipſi cives Ptolemaidis, jure civitatis Antiochenæ donati, intelligi poſſunt: poſterius præplacet. Vide lib. 2. Macch. c. 4. v. 9.

(25.)(26.) Duplici modo in Græco exprimitur τὸ ad Callihroën, quo ab aliis Antiochiis ſe hæc Antiochia diſcernit, quæ etiam Edeſſa vocatur, in Arabia Syriæ vicina trans Euphratem ad pulchras aquas (ſeu Callirhoën) ſita, de qua Plinius lib. 5.

(27.) Aries frequens in numis Antiochiæ ad Daphnen, aut Jovis Hammonis cultum, aut robur orbis, aut læta paſcua agri indicat.

Ante Christi.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
166	4548	147	Judas Macchabæus multa ſtrenue patrat pro lege DEI: Apollonium Samariæ, & Seronem Cœleſyriæ præfectos prælio profligat. Antiochus ira ſuccenſus vindictam de Judæis meditatur, ſed pecuniarum defectu belli ſumptibus tolerandis impar, in Perſidem iter parat, inde pecunias ablaturus. (*g*)
			Antiochus Lyſiæ Syriam regendam, & filium Antiochum educandum committit relicto dimidio exercitu, quo Judæos exſcinderet: quibus ita diſpoſitis rex iter in Perſidem ingreditur. Interea Philippus Jeroſolymorum præfectus a Ptolemæo Cœleſyriæ duce ſubſidiarias copias petit; mittitur Gorgias, & Nicanor ſtrenui ambo duces cum valida armatorum manu. Hi quoque a Juda cæduntur, dum Joſeph, & Simon (ſeu Simeon) & Jonathan (ſeu Jonathas) Judæ fratres ducum munere egregie funguntur. Lyſias auditis ſuorum cladibus confunditur. (*h*)
165	4549	148.	Lyſias coacto ſexagies mille militum exercitu in Judæos movet; ſed iterata clade a Juda illata Antiochiam inglorius revertitur. (*i*)
			Antiochus rex in Artaxiam Armeniæ regem arma expedit: eundem prælio victum capit. (*l*) Subinde in ulteriores regiones abit.
			Interea Judas Macchabæus depulſis hoſtibus Jeroſolyma ingreditur: templum, & aræ repurgantur, reſtituuntur, conſecrantur: die XXV. menſis Casleu ſacrificia peraguntur: ejus diei ſolemnis memoria inſtituitur: mons Sion, & alia Judææ loca muniuntur. Gentes idololatræ, Judææ confines, his auditis Judæos in ſuis terris degentes occidunt. (*m*)
			Judas in has gentes bellum parat, atque in Idumæa, & Acrabathane contra filios Eſau bellare incipit. (*n*)
164	4550	149	Multo ante veris initium Antiochus, regiones trans Euphratem peragrans, Perſepolin, ſeu Elymaidem petiit; qua in urbe templum prædives Veneris, vel Dianæ Perſicæ ſpoliaturus, a concurrentibus loci accolis cum dedecore repulſus eſt, atque inde Ecbatana fugit. (*o*)
			Prope Ecbatana audiens Antiochus clades ab Judæis in Syria ſuis illatas, rabie inſaniens horrendas minas eructat: tum illico diro viſcerum dolore correptus jubet furens equos impelli; at curru, quo per Babyloniam in Syriam tendebat, effuſus colliſis, ac diſtor-

(*g*) Judam Macchabæi nomen tuliſſe, quidam Rabbinice conjiciunt ex primis literis illius loci Exodi 15. v. 11. מי כמכה באלים יהוה *Quis ut in Diis ô Deus?* Primas vocabulorum hujus ſententiæ literas מכבי vexillis inſcripſiſſe putant Judam, atque inde Macchabæum dictum. Ingenioſæ, & aptæ cogitationi ſolida auctoritas deeſt.)(Lib. 1. Macchab. c. 3. v. 8. &c.)(2. Macchab. c. 8. v. 6. &c.)(Joſeph. lib. 12. antiq. c. 7.)(Severus Sulpitius ſacræ hiſt. lib. 2. (*h*) 1. Macch. c. 3. v. 31. &c.)(Confer. lib. 2. Macch. c. 5. v. 22., & c. 8. v. 8. &c.)(1. Macch. c. 4. v. 1. &c. (*i*) 1. Macch. c. 4. v. 28. &c. (*l*) Appianus Syr.)(S. Hieronymus in c. 11. Danielis.

(*m*) 1. Macch. c. 4. v. 36. &c.)(2. Macch. c. 10.)(Joſeph. lib. 12. antiq. c. 7.)(1. Macch. c. 5. v. 1., & c. 6.)(Vide dicta in Prolegomenis parte 2. c. 5. (*n*) 1. Macch. c. 5. v. 3. uſque ad 9.

(*o*) 1. Macch. c. 6. v. 1. &c.)(2. Macch. c. 9. v. 1. &c.)(Appianus in Syr.)(Vide Prolegomena noſtra parte 2. c. ultimo.)(S. Hieronymus in c. 11. Danielis.)(Seguinus numiſma vetus protulit, in quo capiti Dianæ adſcriptum: ΠΕΡΣΙΚΗ. *Perſica.*

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
164	4550	149	distortis membris, a vermibus prope urbem Tabas in montibus misere consumitur sub initium veris. Paullo ante mortem suæ in Judæos sævitiæ, & violati templi pœnam agnoscens, ad eosdem dictata epistola multa ipsis bona, si restitueretur, spondet, atque filium suum Antiochum commendat: Philippo amico, & secum educato diadema, stolam regiam, & annulum tradit, ad Antiochum filium deferenda. (p)

Antiochus regnavit annis XI. completis: fuit vitiis illustris, & politicis quibusdam virtutibus magnificentia, facilitate, & astutia. Filios duos reliquit Antiochum V., & Alexandrum I. de quo dubium, an legitima ex uxore natus sit, cujus nomen nescitur; filiam unam Laodicen sustulit, aut certe de aliis non constat, (q)

Antiochus IV. multa impii idolorum cultus monimenta reliquit: item Antiochiam Syriæ quarta parte auxit: urbem Emath (in regione tribus Nephtali ad Libanum, aut Antilibanum montem sitam, vel potius Chamath Oronti Syriæ fluvio affusam) instauravit, ac de suo cognomine Epiphaniam appellavit. (r)

Philippus procurato Antiochi regis funere, ab Lysia sibi metuens, vitata Syria in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem fugit. (s)

O o Alla-

(p) Auctores modo relati ibidem)(Polybius ob Dianæ templum violatum Antiochum a dæmone tortum fuisse refert, sed ex relatione idololatrarum.)(in excerptis Valesii.)(Joseph. lib. 12. antiq. c. 9.)(Prolegomena nostra parte. 2. c. ult.

(q) Eusebius. & Porphyrius.)(Appianus Syr. errat, qui duos, nec integros regni annos huic Antiocho adsignat.)(Polybius legat. 26.)(Athenæus lib, 10. c. 10.)(Malela in Chronico.

(r) S. Hieronymus c. 11. Dan.)(Strabo lib. 16.)(Pausanias lib. 5.)(Marcellinus lib. 22.)(Ptolem. & Plin. lib. 5. (s) 2. Macchab. c. 9. v. 29.

NUMISMATA ANTIOCHI IV. ΘΕΟΥ. EPIPHANIS.

TABULA VII.

Argent. III.	28. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΖΜΡ. *Regis Antiochi Tyriorum Anno* 147. Navis cum gubernaculo: inferius literæ Phœniciæ.	Noris Harduin.
Æneus III.	29. Caput Antiochi cum corona radiata, jugatum capiti muliebri. ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΞΜΡ. *Tripolitarum: Anno* 147. Duo Dioscuri in equis.	Noster,
Æneus III.	30. Caput Antiochi cum corona radiata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Antiochi Dei Illustris*, vel *Nobilis*. Ornamentum quidpiam gemmis distinctum. Vide numi imaginem.	Haym.

(29.) Vultus Antiocho IV. persimilis, & diadema præter radios, annique notæ persuadent hunc numum ad Antiochum IV. referendum esse. Neque obstat forma literæ Ξ, quæ seriori ætati propria videtur. Nam sæpe fallit hæc conjectura; dabimus numisma Alexandri II. cum simili Zeta: item dedimus Antigoni numum cum litera post Domitianum fere usitata forma.

(30.) Ornamentum hoc fibulam auream esse censeo, qualem intimis amicis, virisque summis, & cognatis dono dabant reges Syriæ, teste lib. 1. Macchab. c. 10. v. 9. Lysiæ data videtur hæc fibula, qui curator regni constitutus, gratæ memoriæ ergo hunc numum signandum curaverit.

Ante Chriſt. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

171 | 4543 | 142 Allato per curſores in Syriam de Antiochi IV. morte nuncio, Lyſias Antiochum V. Antiochi IV. filium, novem annos natum, regem promulgari, & inaugurari curat, addito cognomine: Eupatoris, id eſt: Boni, ſeu felicis patris filii. Lyſiæ negotia regni ſumma cum poteſtate curanda committuntur. (*t*)

Ipſo regni ſui initio Antiochus Eupator ad Lyſiam, tum forte ab aula abſentem literas dat, atque alias quoque ad Judæos ſcriptas die XV. Menſis Xanthici, quibus beneficia, & religionis libertatem pollicetur, ut pacem regni ſui exordio procuraret; Romani legati epiſtolam adjungunt, qua ſuam in Judæos benevolentiam conteſtantur. Pax conſtituitur. Ptolemæus Macer Judææ præfectus cum ea gente pacifice agit, ſed mox inſectationibus aulicis vexatus veneno vitam finit. (*u*)

Lyſias in Ptolemæi Macri præfecturam involat: Judæos affli-

Olympias CLIV. git; inde bellum recrudeſcit. Judas Macchabæus irruentes primum minores duces Timotheum, Chæream, & Apollophanem profligat, necatque, angelis etiam quinque a Deo ſubſidio miſſis forma aſpectabili. Cum Idumæis aut interea, aut paullo antea Judas prælia felicia miſcuit. Denique adproperans Lyſias cum octoginra millium exercitu ad Bethſuram ab Juda inſigni pugna, angelo duce, ſuperatur. Lyſias victus ad Judæos literas dat die XXIV. menſis Dioſcori circa autumni initium, & pacem cum Judæis inſtaurat. (*x*)

Judæos agriculturæ operam dantes vicinæ gentes rurſum infeſtant; aſt ab Juda coercentur, multa præclare patrantur, in Galaatide urbes occupantur. (*y*)

Demetrius Seleuci IV. Philopatoris filius Romæ jam ab anno Seleucidarum CXXXVI. obſes detentus, a ſenatu poſtulat in regnum patrium reſtitui. Sed ſenatus maluit ſub puero Antiocho, quam ſub Demetrio jam tertium, ac viceſimum ætatis annum agente Syriam eſſe.

163 | 4551 | 150 Legatos tamen ſenatus Romanus in Syriam dimittit Cn. Octavium, Spur. Lucretium, & L. Aurelium, qui ejus regni res diſpicerent, & adminiſtrationem captarent: elephantes enervari, naves armatas, quæ ſupra præſtitutum Syris numerum eſſent, comburi curarent. (*z*)

Judas Macchabæus pergit Judæos adverſus vicinarum gentium inſultus vindicare.

Antiochi V. duces Apollonius, & Timotheus (alius a ſupra memorato) pacem cum Judæis initiam violant.

Gorgiam Syriacum ducem Judas fugat: Idumæos infeſtat; Azotiorum agrum ſpoliat, & aras idolorum evertit. Sacerdotes quidam temere pugnam captantes cæduntur.

Judas Syros milites in arce Jeroſolymitana collocatos, & urbi ſanctæ infeſtos, obſidet: hæc poſt initium veris facta. (*a*)

Cn.

(*t*) Lib. 2. Macchab. c. 10. v. 10. &c.)(Appianus in Syriacis Antiochum V. novem annos natum a patre relictum adnotavit.

(*u*) Lib. 2. Macchab. c. 11. v. 22. &c., & c. 10. v. 12., & 13.)(Confer 1. Macchab. c. 8. v. 8.)(Vide dicta in Prolegomenis parte 2. c. 3., & 4.

(*x*) Vide Prolegomena noſtra ibidem.)(2. Macchab. c. 10. v. 14. &c., & c. 11. ab initio uſque ad v. 22.

(*y*) Lib. 2. Macchab. c. 12. v. 1., & v. 3. &c.)(1. Macchab. c. 5. v. 9. &c.

(*z*) Polybius legat. 107.)(Juſtinus lib. 34. c. 3.)(Appianus Syr. qui notat annum ætatis Demetrii.

(*a*) Lib. 2. Macch. c. 12. v. 2., & v. 17. &c.)(1. Macch. c. 5. v. 28. &c., & c. 8. v. 18. &c.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æneæ Seleuc.

163 4551 150 Antiochus Eupator auditis Judæ Macchabæi progressibus valido, & jam præparato cum exercitu in Judæos properat, & Bethzuram obsidet. Judas regi occurrit: prælium tentat; sed recedere cogitur. Hoc in prælio Eleazarus a maximo regio elephanto, quem confoderat, opprimitur. Judas Antiochum variis insultibus fatigat; Bethsura tamen se dedere cogitur defectu annonæ ob annum Sabbaticum, qui autumno anni Juliani præcedentis cœperat. Jerosolymis rex castra admovet. (*b*)

Philippus ille Antiochi IV. collactaneus (qui ex Ægypto prodiens, ab Antiocho V. negotiis Antiochiæ præpositus erat) copias e Media, & Persia collectas sibi obnoxias reddit, ut præreptam sibi a Lysia regni administrationem obtineret. (*c*)

Lysias Philippum veritus, suadet Antiocho, uti cum Judæis pacem instauraret; consit pax: rex in monte Sion sacrificium Deo offert, ac templum honorat; sed mox violat pacta, dum Sionis muros destrui jubet. Lysias apud Ptolemaidenses nova cum Judæis pacta tuetur. Rex adversus Philippum Antiochiam properat.

Menelaus pontifex, sed non legitimus, plurimorum malorum incentor regis jussu Berrhœæ in turrim cineribus plenam abjicitur. Menelao impio impium item Alcimum Antiochus in pontificatu Judaico sufficit; id videns Onias, Oniæ III. pontificis filius, in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem abit, a quo postea obtinuit, ut templum Jerosolymitano simile in præfectura Heliopolitana excitaretur. (*d*)

Legati Romani (de quibus initio hujus anni dictum) in Syria imperiose mandata ab senatu suo exequuntur. Id non ferens Leptines, nescio quis, Cn. Octavium legationis principem Laodiceæ in balneo occidit. Lysias Octavii funus honerifice procurat, atque illico ad se, & regem ab hujus facinoris suspicione purgandos legatos Romam dimittit. (*e*)

Ptolemæus Philometor ab Evergete fratre regno pulsus, Romam confugit: illic a Demetrio obside splendide, deinde etiam a senatu excipitur. (*f*)

162 4552 151 Antiochus Antiochiam a rebelli Philippo armis munitam vi occupat. Philippum morte mulctat. (*g*)

Romani Ptolemæum Philometorem Evergetæ fratri conciliare statuunt ita, ut huic Cyrene, Philometori Ægyptus cederet: Evergotes male contentus Romam properat. (*h*)

(*b*) 2. Macchab. c. 13. v. 1. &c.)(1. Macchab. c. 6. v. 31. &c.)(Joseph. lib. 12. ant. c. 9.

(*c*) Joseph. ibidem lib. 1. Macchab. c. 6. v. 55.)(Fasti Siculi Philippum hunc Βασιλεύοντα, *Regnantem* appellant; sed non constat ab eo titulum regis assumptum; inter reges Syriæ certe non solet referri.)(

(*d*) 1, Macchab. c. 6. v. 55. &c.)(2. Macchab. c. 13. v. 23. &c.)(Joseph. Bell. Jud. lib. 1. c. 1., & ant. lib. 12. c. 9.)((*e*) Polybius legat. 114., & 122.)(Appianus Syr.)(Cicero Philippica 9.)(Julius Obsequens de prodigiis.)(Plinius lib. 34. c. 6. errat confundendo legatos hos cum iis, qui ad Antiochum IV, Roma missi sunt. (*f*) Valer. Max. lib. 5. c. 13.)(Diodorus Sic. excerptis Valesii.)(

(*g*) 1. Macchab. c. 6. v. 63.)(Joseph. lib. 12. antiq. c. 9.)(Fasti Siculi, errant in anno.)(

(*h*) Polybius legat. 113.)(Livii epitome lib. 47.

NUMISMA ANTIOCHI V. EUPATORIS. TAB. VII.

Argent. I. Caput juvenile, diadematum Antiochi intra lauream. Vaillant. D. Favvkener

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Regis Eupatoris.*
Jupiter seminudus sedens, d. victoriolam, f. hastam, in area nota incerta. Cavendum, ne numi Antiochi Philopatoris mutatis literis adulterati pro numis Antiochi Eupatoris rarissimis obtrudantur: fraudem vultus etiam prodet.

Ante Chriſt.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
162	4552	151

Cn. Octavii cæde Romæ obnunciata, Syris legatis regem Antiochum, & Lyſiam excuſare contendentibus, nihil ab ſenatu reſponſum eſt: Octavio ſtatua in roſtris ponenda curatur. (*h*)

Demetrius in urbe obſes, Polybii hiſtoriographi tum Romæ agentis conſilio, itemque opera Menithylli, legati Ptolemæi Philometoris noctu Roma elabitur, navique ad oſtia Tiberina conſcenſa in Syriam tendit ipſo veris initio; Diodorum in Syriam præmiſerat, qui Syrorum animos exploraret, & ſolicitaret. (*i*)

In Lyciam primum delatus Demetrius (quem Romani re ſerius cognita perſequendum non putarunt) ad ſenatum Romanum officioſas literas dat, quibus ajebat hoc ſe iter Octavii legati ulciſcendi, & Lyſiæ caſtigandi cauſa arripuiſſe. Inde Tripolin devectus, & Apamea mox potitus, Antiochiam porro feſtinans Demetrius regem ſe ferre cœpit, primus e Seleucidis hujus nominis rex, aſſumptis titulis: ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Dei*, vel *Divi patrem amantis, Servatoris.* Quaſi Syriam amantiſſimi patris hereditatem adiens, Dei ſervatoris inſtar in meliorem ſtatum reſtitueret. Antiochus V. Eupator cum Lyſia Demetrio Antiochia amice obviam egreſſi ab exercitu, Demetrio volente, necantur. (*l*)

Periit Antiochus V. tertio regni ſui anno inchoato: vixit annos undecim completos. Ab hoc Antiocho V. expeditionem in Ægyptum contra Philometorem ſuſceptam eſſe, percuſſamque Ægyptum, Euſebius in Chronico priore refert; ſed videtur Antiochi IV. acta filio ejus Antiocho V. errore adſcribere. (*m*)

Demetrius Timarchum Babylonis præfectum, & Heraclidem ærario præpoſitum, munere ſuo acerbe functos e medio tollit; idcirco a Babyloniis ΣΩΤΗΡ. *Servator* acclamatus eſt. (*n*)

Alcimus circa autumni initium a Demetrio pontificatum, ab Antiocho V. ſibi datum confirmari petit, oblatis corona, & ramis aureis; multa contra gentem ſuam, & Aſſidæos, quorum caput erat Judas Macchabæus, apud Demetrium per calumniam queritur. Regis juſſu Alcimus, & Bacchides Meſopotamiæ præfectus cum exercitu adverſus Judæos mittuentur: Judam dolis capere, ſed fruſtra conantur. Alcimus Aſſidæos ad ſe fugientes occidit. Judas Alcimi copias coërcet. (*o*)

Alcimus accuſationes ſuas innovat. Nicanor elephantorum præfectus, & oſor Judæorum mittitur, ut Judam, & ſocios perderet. Gentes ſeſe jungunt Nicanori. Judas generoſe arma parat; cum eodem Nicanor pacem ferit, & familiariter agens nuptias ei perſuadet. Hæc ægre ferens Alcimus tertio ad Demetrium adit, & Nicanorem etiam accuſat; rex Nicanori mandat: Judam captivum ſibi tradat. Severo mandato coactus Nicanor Judæ inſidias ſtruit. (*p*)

(*h*) Polybius legat. 114.)(Cicero Philippica 9.)((*i*) Polybius legat. 114. fuſe hæc enarrat.)(1. Macchab. c. 7. v. 1.)((*l*) 1. Macch. c. 7. v. 1. &c.)(Appianus Syr.)(Juſtinus lib. 34. c. 3.)(2. Macch. c. 14. v. 1., & 2.)((*m*) Euſebius in Chronico, & Joſephus lib. 12. ant. c, 10. duos regni annos Antiocho V. tribuunt, qui completi accipiendi ſunt. Errat Porphyrius, & Sulpitius Severus hiſtor. ſacræ lib. 2. qui ſeſquialterum tantum annum hujus Antiochi regno adſcribunt.)(Vide Prolegomena noſtra, parte 2. c. 4., & 5. Appianus Syr. collatus cum ſacrá hiſtoria.)(

(*n*) Appianus Syr.)((*o*) 1. Macchab. c. 7. v. 5. Collatus cum 2. Macchab. c. 14. v. 3. &c.)(Thalli vocantur aurei rami olearum, quos ex templo Alcimus abſtuliſſe videtur: Bahe, vel Baine eſt ramus lauri aureus.)(De Aſſidæis dictum eſt ad annum ante æram Chriſti 168. nota (*a*)

(*p*) 2. Macchab. c. 14. v. 26. &c.

NUMISMATA DEMETRII I.

ΘΕΟΥ. PHILOPATORIS SOTERIS.

TABULA VII., & VIII.

Argent. I. 1. Caput Demetrii diadematum, & modice barbatum.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Regis Demetrii, Dei, Philopatoris, Soteris.* Jupiter semінudus sedens, d. victoriolam, s. hastam. Vaillant.
Argent. I. In alio inferius monogramma. D.Favvkener

Æneus III. 2. Caput simile præcedenti. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Regis Demetrii, Philopatoris, Soteris.* Mercurius nudus stans, d. ramum, s. caduceum. In area monogrammata.

Æneus III. 3. Caput Dianæ cum pharetra a tergo. Nofter,
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Regis Demetrii.* Pharetra, & arcus. Haym.

Æneus III. 4. Caput Demetrii diadematum. Geffnerus.
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΑΝΡ. *Regis Demetrii Tyriorum. Anno 151.* Navis, & literæ Phœniciæ.

Æneus III. 5. Caput Gryphi. Haym.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. Caput cervi, in area monogramma.

Æneus III. 6. Caput leonis.)(Eadem epigraphe: Caput apri. C.Reg.

Æneus III. 7. Caput equi. Nofter. Haym.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Caput elephantis.

Æneus II. & III. 8. Caput Apollinis laureatum vultu Demetrio simili. Similis inscriptio: Tripus stans. Nofter. Haym. Theupoli.

Æneus III. 9. Similis numus; sed ad caput Apollinis adjuncta pharetra cum arcu. Begerus.

Æneus III. 10. Caput Demetrii diadematum.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Regis Demetrii Sidoniorum.* Navis cum literis Phœniciis. Nofter. D.Favvkener

1. Demetrium hunc primum ejus nominis Syriæ regem dicimus, solam nempe respiciendo Seleucidarum regum seriem, ad quam Demetrius Poliorcetes non refertur.
2. Mercurius iter agentium patronus ab idololatris creditus est; huic gratum se Demetrius feliciter confecto Roma in Syriam itinere exhibuit.
3. Demetrius in Lyciam primum appulsus, videtur ad Dianam Ephesiam, vel Pergæam in Pamphylia vota suscepisse pro absolvendo prospere itinere, quæ vota in Syria solverit.
4. Dubito: an epocha ANP. recte lecta sit; nec sit ANΓ.
5. & 6. Gryphus fortitudinis, cervus celeritatis symbola habentur: leo, & aper fortitudinem in bello, aut in venatione indicare videntur.
7. Elephantorum, & equitatus robur instauratum denotatur.
10. Sidonii advenienti Demetrio, & ad vicinam Sidoni Tripolin appulso hoc numo signato gratulari videntur; nam certæ quidem annorum notæ in numis Demetrii hactenus non conspectæ sunt, nisi primum anni 154.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
161	4553	152

Judas Macchabæus Nicanoris dolos vitans, latibula quærit, & cum eodem congressum declinat. Re ad arma deducta, exercitus Nicanoris cæditur; Nicanor montem Sion ascendens, Judam sibi dedi deposcit: sacerdotes, & sancta aspernatur, atque impias sublata dextra in locum sanctum minas effundit. (*q*)

Rhazis senator Jerosolymitanus Judæorum pater dictus, a Nicanore ad excruciandum quæsitus, seipsum miseris modis interimit. (*r*)

Inter Bethoron, & Hadasa Judas ingenti clade Nicanoris copias afficit: Nicanor ipse obtruncatur, & ejusdem caput cum sacrilege elevata dextra in summa arce Jerosolymis suspenduntur. Pugnæ hujus memoria ad diem XIII. mensis Adar, qua commissa est, instituta, perenni deinceps festo celebranda præcipitur. Hic finit ordo temporum historiæ continentis, quæ in libro II. Macchabæorum recensetur. (*s*)

Modica quiete usus Judas, Eupolemum Johannis, & Jasonem Eleazari filios legatos illico Romam mittit, qui procurarent: ut Judæi societate cum populo Romano inita a Demetrii regis infestationibus liberi essent. (*t*)

Demetrius Bacchidem, & Alcimum adversus Judæos exercitum ducere jubet. Prope Paneadem, quæ olim dicta Laisa, vel Eleasa, Judas Bacchidem fortiter adoritur; sed a multis suorum desertus, strenue dimicans perimitur: a toto populo Israel lugetur, & in sepulchro patrum suorum adstituitur. Judæi, & præcipue Judæ Macchabæi amici a Bacchide magnopere vexantur. (*u*)

160 | 4554 | 153 — Legati Judæorum Romæ societatem, & fœdus æneis tabulis incisum impetrant. Senatus Romanus per literas Demetrio denunciat: abstineret a Judæis vexandis. (*x*)

Jonathan (seu Jonathas) loco Judæ fratris ab amicis dux Judaicæ gentis eligitur. Bacchides quærit Jonathan cum Simone fratre interficere. (*y*)

Jonathan Johannem fratrem ad Nabatæos Arabes mittit; at is in itinere a filiis Jambri, Medaba egressis, cum sociis interceptus necatur. De his latronibus paullo post ultionem sumpsit Jonathan, cum sponsam e Nadabath deducerent.

Alcimus usurpator pontificatus murum interiorem templi, quo atrium populi ab atrio gentium dirimebatur, ab ipsis Prophetis extrui curatum, dirui jubet; sed paralysi correptus, cito extinguitur. Pontificatus vacat usque ad annum Seleucidarum CLX.

Olympias CLV. — Bacchidem ad Jordanem fortiter aggressus Jonathan, multitudini hostium cedere cogitur, ac trans Jordanem evadit. Bacchides Jerosolyma redit, illic arcem, & vicinas urbes munit: filios principum obsides claudit; denique copias ad Demetrium in Syriam abducit. Judæa biennio quiete fruitur. (*z*)

Deme-

(*q*) 2. Macchab. c. 14. r. 30.)(1. Macchab. c. 7. v. 27. &c. (*r*) 2. Macchab. c. 14. v. 37. Vide S. Augustinum Epistola 61. ad Dulcitium, & lib. 1. contra Gaudentium c. 23.
(*s*) 1. Macchab. c. 7. v. 39. &c.)(2. Macchab. c. 15. toto.)(Joseph. lib. 12. ant. c. 10.)(
(*t*) 1. Macchab. c. 7. v. 50., & c. 8. v. 1. &c.)((*u*) 1. Macchab. c. 9. v. 1. &c.)(Joseph. lib. 10. ant. c. 10., & 11.)((*x*) 1. Macchab. c. 8. v. 19. &c.)(Justinus lib. 36. c. 3.)(
(*y*) 1. Macchab. c. 9. v. 28. &c.)(Joseph. lib. 12. ant. c. 10.)(
(*z*) 1. Macchab. c. 9. v. 35. ad finem usque. Joseph. lib. 12. ant. c. 10., & lib. 13. c. 1.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æneæ Seleuc.	
160	4554	153	Demetrius rex magnopere desiderans, ut ab Romanis Syriæ rex agnosceretur, ad id impetrandum Menocharem in Cappadociam ablegat ad Romanos legatos Tiberium Gracchum, L. Cornelium Lentulum, & Servilium Glauciam, qui tum apud Ariarathem Cappadociæ regem agebant. Tandem a Tiberio, qui Demetrio bene volebat, impetrat Menocharis, ut Demetrius a legatis Romanis rex salutaretur. (*a*)
			Sollicitus Demetrius de demerendo sibi senatu Romano Menocharem Romam cum donis mittit, & cum dedititiis Leptine, qui Octavium legatum occiderat, atque Isocrate grammatico, ejus homicidii defensore; ad quam deditionem Leptines sese ultro obtulit, Isocrates vero mente captus est. (*b*)
159	4555	154	Menocharis Demetrii legatus, Romam appulsus, senatui coronam auream, & duos reos dedititios offert; Leptines causam pro se dicit; senatus coronam auream accipit, reos respuit; ut semper causam repositam haberent Romani, ob quam, si quando res posceret, jure contra Syros, & Demetrium agere viderentur. Demetrio tamen benevolentiam eo pacto promittit senatus; si caverit, se in senatus potestate futurum, ut olim fuisset. (*c*)
			Orophernes (aliis Holophernes) Ariarathis Cappadociæ regis frater natu major, sed illegitimo thoro satus, ad Demetrium confugit, questus: regnum Cappadociæ a juniore fratre inique sibi ereptum esse. Demetrius alioqui Ariarathi infensus, quod oblatas cum Laodice Demetrii sorore nuptias, Romanos veritus, respuisset, Orophernem vi in Cappadociæ throno, dejecto Ariarathe, collocat, pro hac impensa opera mille talenta ab Oropherne solvenda depactus. Orophernes pecunias a subditis per fas, nefasque corradens tyranni more regnat. (*d*)

(*a*) Polybius legat. 119., & 120.)(Diodorus Sic. legat. 24.)(Justinus lib. 35. c. 1.
(*b*) Polybius legat. 122. (*c*) Diodorus Sic. legat. 25.)(Polybius legat. 122.)(Appianus Syr.
(*d*) Polybius lib. 3.)(Livius lib. 47.)(Justinus lib. 35. c. 1.)(Appianus Syr.)(Zonaras ex Dione.)(Polybius, & Diodorus in excerptis apud Valesium.

NUMISMATA DEMETRII I.
ΘΕΟΥ. PHILOPATORIS SOTERIS.

TABULA VIII.

Argent. III.	11. Caput diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. ΓΝΡ. *Regis Demetrii Soteris. Anno 153.* Cornucopiæ.	D.Favvkener
Æneus III.	12. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. L. ΔΝΡ. *Regis Demetrii, Tyriorum: Anno 154.* Navis cum acrostolio, & literis Phœniciis.	Theupoli.
Æneus III.	13. Caput Demetrii laureatum: cum simili parte aversa.	Vaillant.

 Bacchi-

(12.) Notas anni æræ Seleucidarum sæpe sine anni nomine Syri Monetarii numis insculpsere; nonnunquam præfixa litera L. quæ Græca pervetus, loco Λ, imo, & Hebraica vetustior τῦ Lambda, seu Lamed forma est. Hæc litera L. legenda est Λυκάβαντος *Anno.* Nam, Macrobio teste lib. 1. Saturn. annum vetustissimi græcorum Λυκάβαντα appellant. In Ægyptiis Imperatorum Rom. numis hoc L. perpetuum est.

Ante Christ.	Periodi Julianæ	Æræ Seleuc.	
158	4556	155	Bacchides pravorum impulſu Jonathan cum ſuis intercipere tentat; ſed ſuorum damno. Jonathan oppidum Bethbeſſen, ſeu Bethbaſin munit. Bacchides copiis conductis Bethbaſin obſidet, ſed a Jonathan obſidio ſolvitur Bacchide profligato. Pax initur: ſpondet Bacchides ſe nunquam deinceps mala Jonathani illaturum. Jonathan in pace gentem ſuam judiçat. (*e*)
157	4557	156	Legati Ariarathis, & Orophernis e Cappadocia Romam venere, Demetrii itidem legati illic Orophernis cauſam, & ſui regis agunt. Senatus Romanus Ariarathem, quem amicum ſuum appellaverat, in regnum reſtitui jubet, collega Oropherne. (*f*)
156	4558	157	Orophernes una cum Demetrii copiis ab Attalo Pergami rege Cappadocia exigitur. (*g*)
			Demetrius ab Archia Cypri præfecto ejus inſulæ proditionem quingentis talentis mercatur. Archiæ proditio detegitur:
Olympias CLVI.			proditor Ptolemæi Philometoris juſſu ad cauſam dicendam evocatus, laqueo ſibi gulam fregit. (*h*)
155	4559	178	Luxui indulgens Demetrius apud Syros contemptui eſt; porro ab Oropherne, principe ingrato, inſidiis petitur. Orophernes capitur. Antiocheni Syri Demetrium exoſi, Alexandrum puerum, Antiochi IV. filium, Rhodi educatum, cum Laodice ſorore, Heraclide oratore Romam mittunt, ut Alexandro regnum
154	4560	159	impetraretur. Suum quoque Demetrius filiolum, item Demetrium Romam expedit, ut Alexandri cauſæ officeret. Alexandri res Romæ promovent Ptolemæus Philometor Ægypti, Attalus Pergami, & Ariarathes Cappadociæ reges. (*i*)
153	4561	160	Heraclides Romæ a patribus eblanditur ſenatus - conſultum, quo Alexandro poteſtas fit adeundi regnum patris ſui Antiochi IV. Romanorum amici: auxilia quoque Alexandro ſpondentur.
			Alexander Roma Ptolemaidem appulſus, a civibus recipitur, & ILLIC, id eſt, in parte perexigua regni Syriaci, ſe regulum ferre incipit. (*l*)
			Demetrius copias comparat, filiolos ſuos Demetrium, & Antiochum cum auro in Cnidum mittit: Jonathani per epiſtolam poteſtatem facit milites legendi, & Judæorum obſides ex arce Jeroſolymitana reſtitui jubet. Jonathan Sionem munit.
			Alexander quoque Jonathan ſollicitat: eundem ſummum pontificem conſtituit, & amicum regis appellat, miſſa etiam eidem corona aurea, & purpura. Itaque Jonathan menſe ſeptimo, ſeu
152	4562	161	Tiſri ſtolam pontificalem in feſto tabernaculorum induit, ac Demetrio non audito Alexandri partibus ſe addicit. (*m*)
			Prælio inter Alexandri, ac Demetrii copias commiſſo Alexander victus diſcedit.
Olympias CLVII.			Hujus prælii tantum Juſtinus meminit: Joſephus cum prælio anni ſequentis confundit; ſacra hiſtoria de eodem ſilet, quia Judaicæ copiæ nondum videntur adfuiſſe. (*n*)

14. Ca-

(*e*) 1. Macch. c. 9. v. 57. &c. (*f*) Appianus Syr.)(Polybius legat. 126.)(Zonaras ex Dione. (*g*) Polyb. legat. 69. (*h*) Polybius in excerptis Valeſii.)(Suidas in vocabulario προτίνειν. (*i*) Juſtin. lib. 35. c. 1.)(Joſeph lib. 13. ant. c. 2., & 4.)(Alexandrum hunc ſpurium, aut ſuppoſititium Antiochi IV. filium ſcriptores profani appellant.)(Athenæus lib. 5. c. 10.)(Appianus Syr.)(Epitome Livii lib. 52.)(Hic Alexander a Strabone Balas. lib. 16.)(a Joſepho etiam Balles, item Veles a nonnullis ſed Alexander iſte in ſacra Hiſt. 1. Macch. c. 10. v. 1.)(item ab Euſebio ſimpliciter Antiochi filius dicitur, & ut talis ab ſenatu Romano agnitus eſt. Sulpitius Severus lib. 2. ſacræ hiſt. cum profanis ſentit. (*l*) Polybius legat. 138. & 140.)(1. Macch. c. 10. ℣. 1. & 2.)(Joſeph. l. 13. c. 2.)(Juſtinus lib. 35. c. 2.)(Livii Epitome lib. 52. (*m*) 1. Macch. c. 10. ℣. 3.)(Juſtinus l. 35. c. 2.)(Joſeph. lib. 13. antiq. c. 2. qui errat in anno pontificatus a Jonathan aſſumpti. (*n*) Juſtinus, & Joſephus ibidem.

NUMISMATA DEMETRII I. ΘΕΟΥ. PHILOPATORIS SOTERIS.

TABULA VIII.

Argent. I.	14. Caput Demetrii diadematum intra lauream. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. ΗΝΡ. *Regis Demetrii Soteris, Anno 158.* Apollo veſtitu muliebri indutus ſedens, d. ſagittam, ſ. cornu copiæ.	Vaillant.
Argent. I.	Simile numiſma, ſed ſine epocha.	D.Favvkener
Æneus III.	15. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. L. ΗΝΡ. *Regis Demetrii Tyriorum. Anno 158.* Navis cum acroſtolio, & literis Phœniciis.	Noſter, Haym. D.Favvkener Begerus. Noris.
Æneus III.	16. Caput diadematum Demetrii. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΝΡ. *Anno 159.* Cornu copiæ, monogramma.	D.Favvkener
Æneus III.	17. Numus utraque parte ſimilis Num. 15: ſed cum aliis anni Seleucidarum notis: L. ΘΝΡ. *Anno 159.*	Noſter. Theupoli.
Æneus I.	18. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. ΘΝΡ. *Regis Demetrii Soteris, Anno 159.* Apollo muliebri veſtitu ſedens, d. ſagittam, ſ. cornu copiæ; in area duo monogrammata.	Leebe Collegium Græcenſe S. J.
Aureus I.	19. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. tantum: priori ſimile numiſma; monogramma.	Muſ. Florent.
Æneus III.	20. Caput Demetrii diadematum. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. ΘΝΡ. *Sidoniorum. Anno 159.* Navis multis remigibus inſtructa.	Vaillant.
Argent. III.	21. Numus ut ſequens, ſed caput diadematum, & epocha ΞΡ. *Anno 160.*	D.Favvkener
Argent. III.	22. Caput Demetrii laureatum, intra coronam lauream. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΞΡ. *Regis Demetrii Soteris, Anno 161.* Cornu copiæ tantum.	Vaillant. Theupoli.
Argent. I.	23. Numiſma ut Numero 14. epocha ΑΞΡ. *Anno 161.* monogrammata.	D.Favvkener
Æneus III.	24. Caput Demetrii cum corona radiata, & modice barbatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Regis Demetrii Dei Philopatoris Soteris.* Victoria gradiens. d. elata quid gerat, non diſcernitur, ſ. palmæ ramum. Dextra lauream geſtare ſolet Victoria.	Vaillant.
Æneus III.	25. Similis numus ſine addito titulo ΘΕΟΥ.	D.Favvkener

(14.) Sitne hæc Apollinis muliebris, an Fortunæ armatæ figura, alius decidat. Apollinem quidem certe apud Actium muliebri ſtola amictum in honore fuiſſe, ex Imperatorum Romanorum numis apertum eſt.

(15. 16. 17.) Vetuſtiſſimæ duæ, ac potentiſſimæ Phœniciæ urbes Sidon, ac Tyrus, quoniam navigandi arte, & commerciis plurimum valebant, navem fere (Tyrus etiam aquilam) in Syriæ regum numis conſignavere. Tyrus hac ætate opulentiæ, Sidon vetuſtatis laude excellebat.

(24.) Victoriæ typum, etſi anni nota deſtitutum, tamen ad annum Seleucid. 160., vel 161. refero, quo Demetrius pugna quadam Alexandrum vicit, Juſtino teſte. Neque puto, hunc numum ad eam expeditionem bellicam reponendum, qua Demetrius ereptam Ariarathi Cappadociam Oropherni dedit; nam ea expeditione alteri potius, quam ſibimet vicit Demetrius.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

151 | 4563 | 162 Hoc, aut proxime præcedente anno Andriſcus quidam Adramyttenus Perſei regis filium mentiens, atque Philippum ſe compellans, ad Demetrium confugit, reſtitutionem in Macedoniæ regnum ab eo petens; ſed Demetrius hunc pſeudo-Philippum Romanis tradidit. (*o*)

Alexander auxiliis Ægypti, Pergami, & Armeniæ regum adjutus, alio prælio cum Demetrio decernit: ſub initium Demetrii copiæ vincunt ex una parte, at altera ex parte fugantur, & ipſe Demetrius ſtrenue pugnans occumbit. (*p*)

Hæc pugna poſt initium quidem autumni hujus anni Juliani facta eſt, quia numus Demetrii extat cum anno æræ Seleucidarum CLXII., attamen certo ante initium veris anni Juliani ſequentis; quia liber I. Macchabæorum nuptias Alexandri, poſt hanc pugnam cum Cleopatra Ægyptia initas, refert anno Græcorum CLXII. id eſt, ante ver anni Juliani æræ Seleucidarum CLXIII.

Demetrius regnavit annis XII. non integris; vixit XXXV. (*q*) Fuit magni animi, ſuperbus, & potui deditus. (*r*) Demetrii filiis Demetrio, & Antiocho quædam urbes aliquamdiu fideles manent, numo Antiochi id monente; Antigonus quoque Demetrii filiolus erat, de eo infra. Poſt mortem Demetrii cometes effulſit non minor Sole, de quo Seneca. (*rr*)

150 | 4564 | 163 Alexander I. Antiochi IV. filius, totius Syriaci imperii Monarcha efficitur; ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Theopatoris* (Deo patre nati, quia Antiochus IV. Deus Epiphanes dictus) *Evergetæ* benefici, titulos adſumpſit.

Ptolemæus Philometor filiam ſuam Cleopatram Alexandro petenti uxorem annuit, & ipſe Ptolemaidem ad nuptias invitatus adfuit, quæ ante ver celebratæ ſunt. Amicitia, & fœdus ſocerum inter, & generum firmatur. Jonathan ab Alexandro advocatus, cum donis comparet, & ab rege munifica pompa excipitur. (*s*)

Onias, Oniæ III. pontificis Max. filius, qui e Judæa in Ægyptum ſeceſſerat, poſt multa illic laudabiliter geſta, templum Heliopoli DEO vero ædificandi poteſtatem cum agro impetrat, atque ſplendidum ædificium molitur. (*t*)

Jeroſolymitani, & Samaritani in Garizim, ubi templum quoque erat, quod Sanaballetes, permiſſu Alexandri Magni excitarat, Deum adorare ſoliti, inter ſe contendentes, ūtrorum templum e Moyſis mente erectum ſit? Ptolemæum Philometorem arbitrum eligunt, qui ſecundum Jeroſolymitanos ſententiam dixit. (*u*)

149 | 4565 | 164 Alexander luxuria diffluit: Ammonio regni ſummam committit; hic Laodicen, Alexandri ſororem, & Antigonum Demetrii filiolum e medio tolli jubet, atque regis amicos alium poſt alium opprimit. Antiochiæ præfectura Hieraci, ac Diodoto concreditur, qui Diodotus etiam Tryphon dictus eſt. (*x*)

26. Ca-

(*o*) Epitome Livii lib. 48., & 49.)(Zonaras ex Dione. (*p*) 1. Macch. c. 10. v. 48. &c.)(Joſeph. lib. 13. c. 2.)(Juſtinus lib. 35. c. 1.)(Appianus Syr. errat, dum Demetrium in exilio obiiſſe refert. (*q*) Euſebius in Chron. poſter.)(Porphyrius.)(Severus Sulpitius ex Polybii lib. 3. XII. annos regni Demetrio tribuunt, recte, ſi incompletos; nam ex ſacra hiſtoria certum eſt, initium Demetrii in vere anni 151. Juliani, & finis ex numis, & ſacra hiſtoria poſt autumnum 162. Errat ergo Joſephus annos 11. incompletos dans Demetrio. (*r*) Polybius legat. 114.)(Athenæus lib. 10. c. 11. (*rr*) Seneca Natur. quæſt. lib. 7. c. 15.

(*s*) 1. Macch. c. 10. v. 51. &c.)(Joſeph. lib. 13. c. 7. (*t*) Joſeph. lib. 13. c. 3. Impletur vaticinium Iſaiæ c. 19. v. 18., & 19., & 20. (*u*) Joſeph. ibidem, & lib. 11. c. 8. (*x*) Epitome Livii lib. 50.)(Joſeph. lib. 13. c. 8.)(Athenæus lib. 5. c. 10.)(Excerpta e Diodoro Siculo.

NUMISMATA DEMETRII I.
ΘΕΟΥ. PHILOPATORIS SOTERIS.

TABULA VIII.

Argent. I. 26. Caput Demetrii diadematum intra lauream. Begerus Theupoli. D.Favvkener
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. ΒΞΡ. *Regis Demetrii Soteris Anno 162.* Apollo muliebri veſtitu ſedens, d. ſagittam, ſ. cornu copiæ. *Vide Annales.* In alio monogram.

Argent. I. 27. Similis numus ſine epocha: in area acroſtolium, & clava cum monogrammate. Begerus in Palatino Theſauro.

Argent. I. 28. Caput laureatum Demetrio ſimile.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Antiochenorum, Demetrii.* Pegaſus, alacritatis ſymbolum. Begerus in Palatino.

Æneus III. 29. Caput Demetrii diadematum. Noſter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. Apollo nudus cortinæ inſidens, ſ. arcum.

Æneus III. 30. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΩΣ. - - - - - - Remus, & literæ Phœniciæ, ſeu aliæ. Relandus in Palæſtina.

NUMISMA ANTIOCHI VII. (vel VI.) EVERGETIS.

TAB. X.

Æneus III. * 1. Caput juvenile Antiochi, Demetrii filii, corona hederacea cinctum. Haym.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΒΞΡ. *Regis Antiochi, Anno 162.* Anchora cum monogrammate. Omnia intra coronam hederaceam.

NUMISMATA ALEXANDRI I.
THEOPATORIS EVERGETIS, vulgo BALÆ.

TAB. VIII.

Argent. I. 1. Caput Alexandri diadematum. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΒΞΡ. *Regis Alexandri Theopatoris Evergetis, Anno 162.* Jupiter ſeminudus ſedens, d. victoriolam, ſ. haſtam.

Argent. I. Similis alius ſine epocha, cum monogrammate, & Δ. D.Favvkener

Argent. I. 2. Capita jugata Alexandri diadematum, & muliebre velatum, cum impoſito modio, forte Cleopatræ Ægyptiæ, ſub ſpecie Iſidis: in area cornu copiæ, & A. Vaillant. Geſſnerus. Begerus in Palatino.
Pars averſa ut in præcedente numo; ſed ſine epocha.

Æneí I.& II. 3. Similes duo numi ænei. Theupoli.

Æneus III. •4. Caput Cleopatræ, uxoris Alexandri, elephantis exuviis tectum Haym.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Regis Alexandri.* Acroſtolium tantum.

Æneus III. 5. Caput Alexandri galeatum. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Regis Alexandri.* Victoria ſtans, d. coronam, ſ. lauream: in area A. inferne monogramma.

Æneus III. 6. Similes duo numi: alter cum ſpica ad latus victoriæ, alter cum alio monogrammate præter ſpicam. Theupoli. Haym.

(* 1.) Singularis hic numus ob epocham, anchoram, & vultum juvenilem ad alium Antiochum referri non poteſt, quam Demetrii Soteris filium. Ob florentis formæ elegantiam velut juvenis Bacchus hedera coronatus effingitur Antiochus. Similia alibi occurrent.

(2. 3. 4.) Nuptiæ Alexandri cum Cleopatra Ægyptiaca indicantur. Vide Annales.

(5., & 6.) Victoria ab Alexandro de Demetrio Sotere relata: apte hic galeatum Alexandri, in prælio victoris, caput exhibetur. Vide Annales.

Theopatoris Evergetis, vulgo Balæ.

Tabula VIII. & IX.

Argent. II. 7. Caput Alexandri diadematum. Vaillant. Haym.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΓΞΡ. id eſt: - - - *Anno 163.* Apollo nudus cortinæ inſidens, d. ſagittam, ſ. arcum.

Argent. II. 8. Similis præcedenti numus, ſed abſque epocha. Theupoli.

Argent. I. 9. Caput Alexandri diadematum. Vaillant.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΓΞΡ. & ſupra clavam ΤΥΡ. *Alexandri Regis, Anno 163. Tyriorum.* Aquila cum ramo palmæ, roſtro navis inſiſtens; in area H.

Æneus III. 10. Simile caput ejusdem. Noſter. Haym. Spanheim. D.Favvkener

ΑΠΑΜΕΩΝ. ΓΞΡ. *Apamenorum. Anno 163.* Jupiter ſeminudus ſtans, d. galeam, ſ. haſtam: in area monogramma.

Æneus III. 11. Caput diadematum Alexandri. Noris.
Eadem inſcriptio, & epocha eadem: Jupiter ſeminudus ſedens, d. galeam.

Æneus III. 12. Caput Alexandri diadematum. Vaillant.

ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ. ΔΞΡ. *Cyrrheſtarum: Anno 164.* Jupiter ſtans, d. coronam porrigit, ad pedes bubo adſtat; in area eſt monogramma.

Æneus III. 13. Similis numus cum eadem epocha, ſed in area loco monogrammatis quaſi inverſum K. ꓘ Haym.

Æneus III. 14. Caput Jovis laureatum, & barbatum. Haym.
ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. ΔΞΡ. *Fratrum Populorum, Anno 164.* Fulmen intra coronam lauream. Monogrammata varia in variis ſimilibus numis occurrunt: aliqua ad imaginem hujus numi adjunximus.

15. Ca-

(9.) Ramus aquilæ adjunctus aut ad victoriam indicandam facit, aut aureos illos in palmæ, aut oleæ formam elaboratos ramos denotat, quales populi, & proceres regibus offerre ſolebant. Vide lib. 2. Macchab. c. 14. v. 3. ad 6. Clava Herculem Tyriorum indigetem, aquila Jovem, & majeſtatem imperii ſignificat.

(10.) Eſt hæc Apamea in Syria ad Axium fluvium; illic delubrum Jovis ampliſſimum fuiſſe memorat Theodoretus lib. 5. hiſtor. c. 21. Galeam votivam Jovi Alexander obtulerit.

(12.) Cyrrhus Syriæ urbs ad Marſyam fluvium, ab urbe vicina regio Cyrrheſtica dicta: utraque a Cyro rege nomen habet, teſte Procopio lib. 2. Erat hic celebre templum Minervæ Cyrrheſtidis, ut refert Strabo lib. 16. Porro bubone Minervam notari Jovis filiam nemo ignorat, & monet Philoſtratus in vita Apollonii lib. 11. c. 9.

(14.) Quatuor Syriæ urbes, Antiochia ad Daphnen, Seleucia Pieriæ, Apamea ad Axium, & Laodicea ad mare ſita, a Seleuco Nicatore conditæ, atque idcirco urbes ſorores, & earum populi fratres dicti ſunt, teſte Strabone lib. 16. Hic numus Seleuciæ ſignatus eſt, ubi fulmen inſtar numinis colebatur; vide numiſma numero 33. ſequente. Hujusmodi numos fratrum populorum olim ad epocham aliam poſteriorem cum Noriſio ſupputabam; ſed inſpectis pluribus id genus numis, annos ibi notatos cum Haymio ad æram Seleucidarum exigo.

THEOPATORIS EVERGETIS, vulgo BALÆ.

TABULA IX.

Argent. II.	15. Caput Alexandri diadematum. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Laodicensium ad mare.* Neptunus sedens, d. delphinum, f. tridentem.	Vaillant.
Æneus III.	16. Simile caput. ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΑΞΙΩ. *Apamenorum ad Axium fluvium.* Jupiter seminudus sedens, d. victoriolam, f. hastam.	Vaillant.
Æneus III.	17. Simile caput. ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, *Hieropolitarum.* Vir stans, d. ramum oleæ protendit.	Haym.
Æneus III.	18. Simile caput. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Regis Alexandri.* Pallas galeata stans, d. victoriolam, f. hastam, & clypeum: in area monogramma.	Vaillant. Theupoli.
Æneus III.	19. Similis numus, sed in area aliæ notæ.	Begerus. Noster.
Æneus III.	20. Caput Jovis barbatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Pallas galeata stans, d. hastam, f. clypeum: inferne ΙΣ.	Theupoli.
Æneus III.	21. Caput Alexandri diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Apollo nudus, cortinæ insidens, d. sagittam, f. arcum.	Theupoli.
Argent. III.	Similis numus argenteus cum titulis ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.	D.Favvkener
Æneus III.	22. Caput Alexandri leonis exuviis tectum. Eadem inscriptio: Apollo nudus stans, d. sagittam, f. arcum: in area A. & inferne monogramma. In nostro tridens in area.	Vaillant. Noster.
Æneus III.	23. Similis numus: sed in aversæ area ramus palmæ: In alio simili M. & infra tridens.	Haym. Theupoli. Noster.
Æneus III.	24. Caput Alexandri galeatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Tripus stans.	Haym.

(15., & 16.) En duas urbes, quarum populi Ἀδελφοὶ dicebantur; uti numero præcedente monuimus. Laodicea, quia ad mare sita, Neptunum colit: Apamea Jovem suum, de cujus templo Num. 10. Axius fluvius antea Orontes dicebatur; nam Macedones nonnulla nomina urbium, & fluviorum Macedoniæ in Asiam transtulere.

(17.) Hierapolis, seu Hieropolis Syriæ urbs, quam Plinius lib. 5. c. 23. Bambycem quoque, & Syris Magog dictam fuisse perhibet, eandem Procopius lib. 2. de ædific. urbem eo tractu principem, & nobilissimam appellat. Alia Hierapolis Phrygiæ, alia Cretæ urbs fuerat, quæ huc non faciunt.

(18. &c. 21. &c.) Palladem, & Apollinem, illam Macedonum universe tutelarem, hunc vero proprium, & originarium Seleucidarum stirpis numen sæpius numis inferendos curavit Alexander, ut populo identidem contestaretur, se esse Antiochi IV. filium.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
148	4566	165

Demetrius, Demetrii I. Soteris filius natu major, audita Alexandri regis luxuria, & ſubditorum averſis ab eodem animis, occaſione utendum ratus, cum jam annos pubertatis egreſſus eſſet, e Creta inſula in Ciliciam cum armatis copiis venit, res ejus procurante Laſthene Cretenſi. Alexander his intellectis e Phœnicia Antiochiam trepidans properat, ibique cum Hierace, ac Diodoto (ſeu Tryphone) qua ratione hoſti occurrendum, conſtituit. (*y*)

Demetrii cauſæ favet Apollonius (Daus a Joſepho compellatus) Cœleſyriæ præfectus, qui multorum animos ab Alexandro alienat, & conſcripto, collectove exercitu plurimos Demetrii partibus adjungit. Jonathan vero, conſtans in fide Alexandro data, Simone etiam ejus fratre ſuppetias adducente, Joppen oppugnat, ab Apollonii militibus infeſſam, eamque deditione accipit.

Apollonius adverſus Jonathan copias educit: commiſſo prope

Olympias CLVIII.

Azotum prælio Judæi primum inferiores, ſed inſtauratis ordinibus, & animis victores fuere. Jonathan Azotum, & vicinas urbes incendit, vetus, ac percelebre Dagonis idoli templum cum omnibus, qui illuc confugerant, concremari jubet.

Jeroſolyma plenus gloriæ revertitur Jonathan: eidem Alexander rex fibulam auream dono mittit, qualis non niſi cognatis, aut præcipuis regum amicis tribuebatur. (*z*)

147 | 4567 | 166

Marathenſes in Phœnicia ab Aradiis variis fraudibus impetuntur, dum hi apud Ammonium ſub Alexandri luxurioſo regno res maximas curantem, & Syriæ præfectum, Marathenſium traditionem depoſitis CCC. talentis proditorie mercantur. Alia quoque nefarie, & ſacrilege patrant, cum Marathenſium ſacra profanando, ſpernendoque, tum occidendo eorum legatos, atque eorundem annulis ſignatoriis ad malas artes abutendo. Cum vero dolis, & inſidiis parum proficerent Aradii, in apertam vim erupere, & Alexandro rege ipſo ſibi timente, Marathum aggreſſi expugnant, urbem ſolo æquant: agrum inter ſe partiuntur. (*a*)

Ptolemæus Philometor Ægypti rex ingentem exercitum comparat, ſpecie quidem objecta, Alexandro genero ſuo auxilia contra Demetrium II. adducendi, reipſa animo Alexandri regna ſuo imperio adjungendi. (*b*)

25. Ca-

(*y*) Lib. 1. Macchab. c. 10. v. 67., & 68.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 4.)(Juſtinus lib. 35. c. 2.)(Excerpta ex Diodor. Sic. apud Valeſium.)(Appianus Syr.)(Livius lib. 50.)(Athenæus lib. 5. c. 10.

(*z*) Lib. 1. Macchab. c. 10. v. 69. &c.)(Joſephus lib. 13. ant. c. 4.)(Templi, & idoli Dagon mentio frequens in libro Judicum, item lib. 1. Regum. Et 1. Paralipomenon. Τὸ דגון *Dagon.* Philo Byblius exponit Σίτων, *Frumentarius*, quod is Deus arandi, frumentique ſerendi artem reperiſſet, atque adeo a Græcis Ζεὺς Ἀρότριος *Jupiter aratorius* dictus ſit. Superſtitio ab Ægyptio Serapi fluxiſſe videtur, cujus capiti ob ſimile beneficium, modius imponi ſolebat. Fibulæ aureæ imaginem vide in numiſmate 30. Antiochi IV. quod primus quidem in lucem protulit Nicolaus Haymius in Theſauri Britannici Tomo I., ſed una illic ſe neſcire ingenue profeſſus eſt, quid ea figura ſibi velit.

(*a*) Diodorus Sic. legat. 29.)(Strabo lib. 16.

(*b*) Lib. 1. Macchab. c. 11. v. 1.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 4.

THEOPATORIS EVERGETIS, vulgo BALÆ.

TABULA VIIII.

Argent. I.	25. Caput Alexandri diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΞΡ. *Regis Alexandri Theopatoris Evergetis, Anno 165.* Jupiter ſeminudus ſedens, d. victoriolam, ſ. haſtam.	Theupoli.
Æneus III.	26. Caput Jovis laureatum barbatum. ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. ΕΞΡ. *Fratrum populorum, Anno 165.* Fulmen, & duo monogrammata. quæ vide Numero 14.	D.Favvkener Noſter. Theupoli.
Æneus III.	27. Caput Apollinis laureatum. Eadem inſcriptio: Tripus ſtans, & duo monogrammata.	Haym.
Æneus III.	28. Duo capita jugata barbata. Eadem inſcriptio, & epocha 165. Mulier ſtans, d. ſertum, ſ. cornu copiæ.	Noſter.
Argent. I.	29. Caput Alexandri diadematum. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΥΡ. ςΞΡ. *Alexandri Regis Tyriorum, Anno 166.* Aquila ſtans cum ramo palmæ, in area clava, ſupra quam ΤΥΡ. jam expoſitum, & aliud pone monogramma.	Vaillant.
Æneus III.	30. Caput Alexandri diadematum. Tridens, cui ſerpens obvolutus, ſine epigraphe.	Haym.
Ænei III.	31. Caput muliebre, hedera ornatum, Bacchæ, vel Cleopatræ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΩΥ. *Regis Alexandri.* Elephas ſtans; in area monogramma. In noſtro A. tantum in averſæ partis area.	Haym. Noſter.
Æneus III.	32. Caput muliebre ornatum, ſine hedera, forte Cleopatræ. Similis pars averſa præcedenti.	Begerus. Spanheim. Cuperas.
Æneus III.	33. Caput Jovis laureatum. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΙΕΡΙΑΙ. ςΞΡ. *Seleucenſium in Pieria, Anno 166.* Fulmen alatum. In area monogramma.	Haym.
Æneus III.	34. Caput Alexandri cum corona radiata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Jupiter ſedens, d. pateram, ſ. haſtam.	Vaillant.
Æneus III.	35. ΑλεξΑΝΔΡ. ΒΑΣΙ. - - *Alexandri Regis.* Anchora. Rota, vel ſimile quid ſine epigraphe. Goltzius in theſauro, numiſmata hujus Alexandri indicans, male legit. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. pro ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ.	Noſter.

(26.) Seleuciæ in Pieria cuſus numus. (30.) Neptuni, & Palladis, vel Æſculapii cultus indicatur.
(33.) Seleuciæ in Pieria quanto in honore, & quam ob cauſam fulmen fuiſſet, dictum in Annalibus ad annum Seleucidarum 13. In vocabulo Πιεριαι, Τὸ Jota, quod alioqui ſubſcribi, aut omitti ſolet hic majuſcula, & pari cum aliis literis forma expreſſum eſt; etſi hoc non eſſe ſolum exemplum ſciam.
(35.) Incertum eſt, utrum hic numus ad primum, vel ſecundum Alexandrum referendus ſit.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
146	4568	167

Ptolemæus Philometor cum exercitu Syriaci imperii terras ingreditur, Alexandri amicitiam, & suppetias prætexens; atque adeo Alexandri jussu ab urbibus pacifice Ptolemæus excipitur, & milites ejus velut præsidiarii impositi servantur. (c)

Azotum advenienti Ptolemæo templi Dagonis busta ostenduntur, & Jonathan accusatur; sed hic regi Ptolemæo occurrens, ab eodem benevole accipitur. Jonathan Ptolemæo usque ad Eleutherum fluvium deducto Jerosolyma revertitur, (d)

Ptolemæus plerisque maritimis urbibus jam potitus Seleuciam etiam venit: ubi structas sibi ab Ammonio insidias queritur, eundemque sibi ab Alexandro dedi postulat; sed non auditus Ptolemæus larvam ponit, Cleopatram filiam Alexandro aufert, atque advocato Demetrio cum spe regni Syriaci conjugem despondet. (e)

Antiocheni Ammonium regni procuratorem occidunt, & Philometorem receptum regem salutant. Philometor sibi duo diademata imponit, Ægypti nempe, & Asiæ, seu Syriæ. (f)

Alexander e Cilicia, ubi rebelles compescuit, in Syriam cum milite redux, Antiochenum agrum vastat. Occurrit Philometor; pugna ad Oenoparam fluvium conferitur; Alexander victus velocissime in urbem Abas ad Zabdielem, Arabiæ dynastam (Zabelum Josephus, Dioclem Diodorus Siculus appellat) confugiens, ab suismet ducibus illic occiditur; a Zabdiele vero abscissum caput ad Ptolemæum Philometorem mittitur, qui e pugna saucius tertia post allatum Alexandri caput die expiravit. Syriacus exercitus Demetrium II. regem agnoscit. (g)

Alexander regnavit universe annis septem; in toto imperio Syriaco in annum quintum; e Cleopatra filiolum reliquit Antiochum, Dionysium deinde dictum. (h)

Ptolemæus Evergetes II, qui etiam Physcon dictus est, in Ægypti regno succedit Philometori fratri suo.
Interea in toto Syriæ regno recipitur Demetrius II. Demetrii I. filius, compellatur ΘΕΟΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ. ΝΙΚΑΤΩΡ. *Deus, Fratris Amans* (nempe Antiochi Evergetis) *Victor* ejus, qui a stirpe Seleuci alienus jactabatur. (i)

Demetrius rex beneficii ab Ægypto accepti immemor, Ægyptios milites male habet, qui Alexandriam denique se recipiunt, elephantis Demetrio relictis. (l)
Antiochum, Alexandri I. filiolum in Arabiam a patris interitu salvum translatum fuisse, ex iis constat, quæ inferius ad annum sequentem dicentur.

1. Ca-

(c) 1. Macch. c. 11. v. 2. &c.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 4. (d) Iidem ibidem v. 4. &c. (e) 1. Macchab. c. 11. v. 8. &c.)(Joseph. lib. 13. antiq. c. 4.)(Livius lib. 52.
(f) 1. Macch. c. 11. v. 13.)(Joseph. lib. 13. c. 4.)(Justinus lib. 35. c. 2.)(Non sunt audiendi scriptores, qui referunt: Philometorem omnino recusasse diadema, & regnum Syriæ, ut ea Demetrio darentur; nam contra sunt sacra historia, & forte Philometoris numi. (g) 1. Macch. c. 11. v. 14. &c.)(Polybius in excerptis Valesii.)(Diodorus Sic. apud Photium cod. 244.)(Livius lib. 52.)(Euseb. Chron.)(Joseph. lib. 13. c. 4.)(Strabo lib. 16. (h) Errat Eusebius in Chron. posteriore, annos 10., & menses 7. Alexandri regno tribuens: Porphyrius amplius errat, 15. annos numerans. Certum esse regni Alexandri initium, & finem ex libris Macch., & numis patet, cum utrique annos egregio consensu definiunt.)(Joseph. lib. 13. c. 4. recte 5. annos Alexandro dat, si non completos intelligit.
(i) Appian. Syr.)(Euseb. Porphyr., & numi. (l) 1. Macch. c. 11. v. 18.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 4.

Ægypti, & Syriæ regis.

TABULA VIIII.

Argent. I.	1. Caput Philometoris diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. *Regis Ptolemæi Dei Philometoris.* Aquila cum ramo palmæ fulmini insistit.	Vaillant.
Argent. I.	2. - - - - ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. ΤΥΡ. *Regis Ptolemæi Tyriorum.* Aquila cum ramo palmæ.	Harduinus.
Ænei maximi moduli & III.	3. Caput Jovis laureatum barbatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. Aquilæ duæ junctæ insistunt fulmini.	Nostri.

(2.,& 3.) Ob adscriptam Tyrum, & ob duas aquilas, duo imperia denotantes, P. Harduinus hosce numos Ptolemæo Philometori tribuit: est autem utrumque non satis certum, ac firmum.

NUMISMATA DEMETRII II.

ΘΕΟΥ. PHILADELPHI, NICATORIS.

TABULA VIIII.

Æneus III.	1. Caput Demetrii diadematum, vultu modica lanugine barbato. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Regis Demetrii Dei Nicatoris.* Victoria gradiens, d. lauream, s. palmam; in area Ξ.	Haym.
Æneus III.	2. Caput Jovis laureatum, & barbatum. Alius cum capite imberbi. Eadem inscriptio, & victoriæ figura: in area Ξ. & botrus.	Noris. Haym. Theupoli. D.Favvkener
Argent. I.	3. Caput Demetrii diadematum, vultu imberbi. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΞΞΡ. *Regis Demetrii. Anno 167.* & ΤΥΡ. *Tyriorum* monogramma supra clavam. Aquila cum ramo palmæ, insistens proræ navis. In area monogramma aliud.	Vaillant.
Æneus III.	4. Caput Cleopatræ, uxoris Demetrii. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Pharetra, & arcus.	Theupoli.
Argent. I.	5. Caput Demetrii diadematum, vultu juvenili, perelegante. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Regis Demetrii Philadelphi Nicatoris.* Figura (forte Apollinis) muliebri vestitu sedens, d. sagittam, s. cornu copiæ: sellæ figura quasi Sphingem refert. Inferius monogramma.	Noster.

Ss Jona-

(1.) Videtur Demetrius, quasi ex exilio in patriam redux, barbatulus, quantum ætas ferebat apud Ptolemæum Philometorem se stitisse, atque ita pugnæ, ac victoriæ de Alexandro interfuisse; deinde lætitiæ ergo de recepti regni fortuna, attonsa barba comparuisse.

(3.) Egregie hic annus congruit cum illis verbis lib. 1. Macch. c. 11. v. 19. Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo.

(4.) Vereor, ne hic numus idem forte sit cum eo, quem sub Demetrio primo Numero 3. posuimus, illic Dianæ caput expressum censentes; sed catalogus Musei Theupoli isthic Cleopatræ caput exhiberi arbitratur.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
145	4569	168

Jonathan collectis copiis Syros milites in arce Jerosolymitana oppugnat. Demetrius ea de re certior factus jubet Jonathan obsidionem solvere, & ad se Ptolemaidem venire. Obsidione non soluta Ptolemaidem tamen venit Jonathan, multisque muneribus regem placat, eique porro CCC. talenta promittit pro obtinenda toti Judææ immunitate. Itaque Jonathan a Demetrio pontifex maximus confirmatur, petitas gratias aufert, atque Judæis porro tres toparchiæ, Apherimæ, Lyddæ, & Ramathæ adjiciuntur. His de rebus literas dat rex ad Lasthenem, quem parentem suum appellat, quod ab eodem in Creta educatus, & regno velut illatus esset. (*m*)

Demetrius pace gaudens omnes milites patrum suorum, eosque suos subditos dimittit, Cretenses, aliosque alienigenas retinet: porro Lasthenis consiliis ad nefaria inductus, eos e medio tolli jubet, qui sibi belli tempore adversi fuissent. Hinc ingentia in Demetrium Syrorum odia. (*n*)

Diodotus, seu Tryphon alienatos militum, civiumque ab rege animos secum reputans ad Elmalchuelem Arabem proficiscitur, qui Antiochum, Alexandri I. filiolum enutriebat; puerum hunc ab Elmalchuele sibi tradi orat Tryphon, ut eundem in patrium regnum reduceret. Difficilem se præbet Elmalchuel, apud quem multos dies Tryphon moratur spe obtinendi, quod petebat. (*o*)
Jonathan a Demetrio rege precibus contendit, ut præsidiarius miles ex arce Jerosolymitana deduceretur. Respondit rex: hæc, & plura adeo se præstiturum, cum opportuniora sese tempora dederint; in præsenti sibi adesset Jonathan, & subsidia militaria pro securitate regis mitteret. Jonathan tria millia fortissimorum virorum Antiochiam properare jubet, quos Demetrius lætus accipit. (*p*)

Antiochenis sibi suspectis rex arma eripi jubet; sed facto fere centum viginti millium tumultuantium concursu regia Demetrii petitur, & oppugnatio tentatur. Judæi milites Demetrio succurrunt, & per urbem discurrentes ad centum millia hominum occidunt, urbem ipsam incendunt, plurima spolia colligunt. Cives pacem a Demetrio petere coguntur. Judæi multa cum gloria, & opibus, facta a rege abeundi potestate, Jerosolyma revertuntur. (*q*)

Antiocheni cives per Demetrium bonis exuti, regis odium per Syriam circumferunt. Jonathani promissa non præstat Demetrius, sed eundem vexat, additis etiam belli Judæis inferendi minis, ni tributa, aliis regibus pendi solita, sibi quoque persolverentur. (*r*)

6. Ca-

(*m*) 1. Macch. c. 11. v. 20. &c.)(Conferatur lib. 1. Macch. c. 10. v. 30.)(Λασθένης Lasthenes, in Græco Completensium Bibliorum codice Αασθένης Aasthenes exprimitur, facili typothetæ lapsu in similibus elementis. (*n*) 1. Macch. c. 11. v. 38.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 4.)(Diodorus Sic. in excerptis Valesii.
(*o*) 1. Macch. c. 12. v. 39. 40.)(Joseph. lib. 13. c. 5.)(Livius lib. 52. & 53.)(Strabo lib. 16.
(*p*) Lib. 1. Macch. c. 11. v. 41. &c.)(Joseph. lib. 13. c. 5. (*q*) 1. Macchab. c. 11. v. 45. &c.)(Diodor. Sic. in excerptis Valesii.)(Joseph. lib. 13. c. 5.
(*r*) 1. Macch. c. 11. v. 53.)(Joseph. lib. 13. c. 5.

NUMISMATA DEMETRII II.

ΘΕΟΥ. PHILADELPHI NICATORIS.

TABULA X.

Æneus III.	6. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡΙΩΝ. ΗΞΡ. *Regis Demetrii Tyriorum. Anno 168.* Navis, infra quam literæ Phœniciæ.	Nofter, Vaillant. Theupoli. D.Favvkener
Æneus II.	7. Caput Jovis laureatum, ac barbatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΝΙΚΑ-ΤΟΡΟΣ. ΗΞΡ. - - *Anno 168.* Pallas, feu victoria alata, & galeata ftans, d. victoriolam, f. haftam, & fcutum: in area ΣΙ.	Haym.
Æneus II.	Similis præcedenti numus, fed absque epocha.	Theupoli.
Æneus III.	8. Caput Apollinis muliebri ferme capitis ornatu. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΗΞΡ. *Anno 168.* Cornu copiæ; in area H., & inferius Ξ.	Haym.
Argent. I.	9. Caput diadematum regis. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑ-ΤΟΡΟΣ. ΗΞΡ. *Anno 168.* Apollo nudus fedens, d. fagittam, f. arcum.	D.Favvkener
Æneus III.	10. Caput Apollinis laureatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΗΞΡ. - - *Anno 168.* Tripus ftans. Similis numus, fed fine epocha.	Theupoli. D.Favvkener Haym.
Æneus III.	11. Simile caput. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Tripus ftans.	Theupoli.
Æneus III.	12. Caput Apollinis laureatum, & comatum cincinnis. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑ-ΤΟΡΟΣ. Tripus ftans.	Nofter. D.Favvkener
Æneus III.	13. Simile caput laureatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Tripus ftans: in area litera A.	Haym.
Æneus III.	14. Caput muliebri ornatu decorum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑ-ΤΟΡΟΣ. Forceps.	D.Favvkener
Æneus III.	15. Caput muliebre peregrino ornatu, forte Cleopatræ. Pars averfa uti Numero 12. præcedente.	Nofter.
Æneus III.	16. Similis numus præcedenti, fed ornatu capitis diverfo.	Haym.
Æneus III.	17. Caput imberbe, fafcia obvolutum, dependentibus cincinnis. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑ-ΤΟΡΟΣ. Figura virili veftitu tecta ftans, d. facem longam, f. - - -	Theupoli.

 Sub-

(6. 7. 8. 9. 10. &c.) En eodem anno ejusdem utique Demetrii numifmata, alia nullis, pluribus alia, alia paucioribus titulis infcripta. Fruftra igitur funt, qui e fola hac titulorum varietate numismata diverfis tribuenda regibus contendunt. Vide Prolegomena noftra parte 4. c. 1., & 2.

(7.) Pallas ipfa, non tantum Νικηφόρος, *Victoriam ferens;* fed etiam *Victoria*, nonnunquam appellata eft. Paufanias in Atticis mentionem facit templi Ἀθηνᾶς τῆς καλουμένης Νίκης. *Palladis, quæ Victoria dicta eft.*

(14.) Infolitus hic forcipis typus (fi aliorum Græcorum, & Latinorum numorum fymbola fimilia confulamus) aut Vulcani cultum, aut aliquid ad monetæ fabricam fpectans indicat.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

144 | 4570 | 169 Sub hujus anni Juliani initium, aut præcedentis finem Tryphon ex Arabia parvulum Antiochum, ab Elmalchuele impetratum, in Syriam deducit, & regem promulgat. Itaque Antiochus VI. (vel VII.) Alexandri I. filius titulis ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Illustris*, seu *Nobilis*, & ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Bacchi* susceptis, rex a multis agnoscitur: *Epiphanis* titulum ab avo Antiocho IV., Alexandri I. patre, *Dionysi*, seu *Bacchi* nomen ob florentem ætatem, & formæ elegantiam nactus videtur. Confluunt ad novum regem multæ Syriacæ copiæ, quibus Tryphon Demetrium adortus, & prælio victum Seleuciam fugere cogit. Antiochiam, & elephantos Demetrii Tryphon obtinet. (*s*)

Tryphon Antiochi nomine Jonathani præter tres toparchias, a Demetrio promissas, quatuor alias offert: eundem inter amicos novi regis cooptat, multisque donis, & honoribus mactat: porro Simon frater Jonathan, dux regiæ militiæ a Tyro usque ad Ægyptum constituitur. Gratus ob hæc Jonathan Antiocho Dionyso adhæret, & arma contra Demetrium offert. (*t*)

Demetrius parte imperii sibi adhuc subdita Laodiceæ conviviis indulget. (*u*)

Jonathan adversus Demetrii duces movens, Ascalone honorifice accipitur: Gazenses ad preces pro obtinenda pace, & ad dandos obsides compellit: victor hostium omnia late Damascum usque pervagatur. In campo Asor cum Demetrianis congressus Jonathan, cum sui primum fugerent, fusis ad Deum precibus, cum paucis aciem restituit, & hostem cædit. (*x*)

Olympias CLIX. Amicitiam cum Romanis, & Laconibus, fœdusque instauraturus Jonathan, elegit Numenium, & Antipatrum legatos: ipse interea Demetrianos iterum perculsos fugat; tum Nabathæos, seu Zabadæos Arabes impetit, ac spoliat: Simon quoque duces Demetrii persecutus, Joppen occupat, atque illic suos præsidio imponit. (*y*)

Iter ingrediuntur Judæorum legati, benigne a Romanis, & Laconibus excipiendi. Jonathan Jerosolyma, & alia loca munire incipit. (z)

Judæi in Palæstina scribunt ad fratres in Ægypto de celebrando novo festo Encæniorum, quod festum tabernaculorum (Scenopegiæ) idcirco appellatum est, quod per octo dies mense Casleu celebraretur, sicut vetus tabernaculorum festum per totidem dies mensis Tisri. (*a*)

Tryphon, seu Diodotus sibi regnum quærens, Coracesium Cili-
143 | 4571 | 170 ciæ arcem sedem armorum deligit: Cilices ad piraticas societates ineundas concitat: Jonathanem Antiocho fidelem primum armis opprimere tentat; sed fortiorem occurentem dolo malo Ptolemaidem invitat. Venit bona fide Jonathan cum mille viris Ptolemaidem; sed jussu Tryphonis mille Judæi necantur; Jonathan vinculis constringitur. (*b*)

Simon loco fratris captivi dux eligitur a Judæis, Joppen præsidio firmat: idem Tryphoni resistit, sed pro liberatione Jonathanis, duos hujus filios, & argenti C. talenta dolose petenti, utrumque tamen, etsi fraus suboleret, misit; ne apud suos calumnias incurreret. Jonathan Tryphonis jussu necatur. (*e*)

1. Vail-

(*s*) 1. Macch. c. 11. v. 54. &c. Antiochus ob ætatem vocatur Παιδάριον Νεώτερον, *Parvulus*, & *Junior*.)(Livius lib. 52.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 5. qui male hunc Antiochum Θεὸν dictum fuisse perhibet.)(Appian. Syr. (*t*) 1. Macch. c. 11. v. 57. &c.)(Joseph. lib. 13. c. 5. (*u*) Diod. Sic. in excerpt. Valesii. (*x*) 1. Macch. c. 11. v. 60. &c., & c. 14. v. 7. &c.)(Joseph. lib. 13. c. 5. (*y*) 1. Macch. c. 12. v. 1. &c. (*z*) 1. Macch. c. 12. v. 3. &c., & v. 35. &c., & c. 14. v. 22.)(Joseph. l. 13. c. 5. (*a*) lib. 2. Macch. c. 1. v. 1., & 7. 8. 9. (*b*) 1. Macch. c. 12. v. 39. &c. (*c*) 1. Macch. c. 13. v. 1. &c.)(& c. 14. v. 5. &c.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 6.)(Strabo lib. 16.)(Eusebius in Can. Chron. errat, dum Jonathanis necem refert ad annum secundum Olympiad. 160, est metachronismus integræ Olympiadis.

EPIPHANIS DIONYSI, Adolescentis.

TABULA XI.

Argent. I.	1. Vaillantius in historia Ptolemæorum pag. 100. numisma argenteum se vidisse memorat hujus Antiochi cum epocha: HΞP. *id est: 168.*	Vaillant.
Æneus III.	2. Caput Antiochi vultu puerili cum corona radiata, & hederæ foliis ornata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Regis Antiochi Illustris*, seu *Nobilis*, *Dionysi.* Victoria stans, d. lauream, s. ramum.	Noster.
Æneus III.	3. Simile caput, & aversæ partis inscriptio. Elephas stans facem proboscide gestat: a tergo cornu copiæ, & literæ ΣΤΑ.	Noster. Vaillant. Begerus.
Æneus III.	4. Similis numus præcedenti: sed loco cornu copiæ astrum. ΣΤΑ.	Noster. Haym. Theupoli.
Æneus III.	5. Similis numus: sed loco astri ramus, seu spica est. ΣΤΑ.	Noster. Theupoli.
Æneus III.	6. Caput, & inscriptio aversæ partis ut Numero 2. Stans panthera dextro pede anteriore aliquid radici simile gestat: cum literis ΣΤΑ.	Noster. Vaillant. Theupoli.
Argent. III.	Alius fere similis, in quo panthera stans tantum, & K.	D.Fawkener
Æneus II.	7. Simile caput, & aversæ inscriptio, uti Numero 2. Bacchus nudus stans, d. cantharum, s. thyrsum. In area monogramma.	Noster. Vaillant.

(1.) De hoc numo vide Prolegomena nostra parte 3. cap. 5. cusus est ante autumnum anni 169.
(2.) Victoriæ de Demetrio relatæ indicantur. Hedera coronatus Antiochus effingitur, quia Bacchus appellatur: Bacchi orgiis faces conveniunt; porro Macedonum hunc ritum fuisse, ut facibus collucentibus sacrificarent, *Arrianus lib.* 13. testatur. Elephanti, faces allucere edocti Δᾳδοῦχοι, vel Λυχνοφόροι dicti sunt. Tales elephantes Cæsar adhibuit, dum in capitolium ascendebat, teste *Suetonio in ejus vita. cap.* 37.
(3.) Literas ΣΤΑ. legit Begerus ΣΤΑφυλίτε, Bacchi est epitheton. Sed cur hoc in eo numo non comparet, in quo Bacchus stans, uti Numero 7.? Vanæ conjecturæ in re adeo incertæ significationis. Alius legit: Συρίας τῆς Ἄνω. *Syriæ superioris*, quæ Antiocho parebat. Mallem esse nomen magistratus.

NUMISMATA DEMETRII. II.

ΘΕΟΥ. PHILADELPHI, NICATORIS.

TABULA X.

Æneus III.	18. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Anchora tantum.	Vaillant. Spanheim.
Æneus III.	19. Caput simile. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, ΝΙΚΑΤΩΡΟΣ. Anchora inversa.	Haym. Theupoli.
Argent. I.	20. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩνίων. ΘΞΡ. *Regis Demetrii Sidoniorum, Anno 169.* Aquila stans cum ramo palmæ: pone acrostolium. In area monogramma ex A., & Π.	Theupoli. D.deSutmern
Argent. I.	21. Caput simile. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΞΡ. ΤΥΡίων. *Regis Demetrii. Anno 169. Tyriorum.* Aquila cum ramo proræ navis insistit.	Theupoli.

(20. 21.) Postremi hi duo numi egregie nos docent: Phœniciam Demetrio non Antiocho subjectam fuisse. Propterea perrara Antiochi Dionysi numismata, epocham exhibentia, producta esse existimo.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
143	4571	170

Jonathanis ossa a Simone fratre in Modin condita sunt cum aliis e stirpe Macchabæa cadaveribus, extructo illic magnifico Mausolæo, armis, ac navibus affabre sculptis ornato. (*d*)

Simonis legati Romam, & Spartam missi, honorifice utrobique excipiuntur: morti Jonathanis indoletur: fœdus & amicitia cum Judæis ab utroque populo innovatur, decreto ea de re æneis tabulis insculpto. (*e*)

Varia Judæorum oppida, Betsura imprimis, munimentis novis, aut instauratis veteribus, firmantur. (*f*)

Sarpedon Demetrianus belli dux ab Antiochi copiis vincitur; sed victores, ad littus maris Tyrum inter, & Ptolemaidem iter facientes, maris fluctibus repente effusis abripiuntur. Demetriani eo venientes, hostium cadavera, & ejectos complures pisces illic læti reperiunt, atque Ποσειδῶνι Τροπαίῳ, *Neptuno Vertenti*, hunc eventum tribuentes, eidem ante portas Ptolemaidis sacra faciunt. (*g*)

Sub anni finem Antiochus Dionysus adolescens, impio Tryphonis dolo corruptis medicis, prætensa secandi calculi necessitate, occiditur. Tryphon urbibus aliquot illico occupatis, Pella inprimis (quæ, & Apamea) ubi equi regii alebantur, diadema sibi imponit, & præter regis etiam ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *Imperatoris* sibi titulum tribuit. Fuit hic Tryphon oriundus e castello Secoanis, vel Casianis prope Apameam Syriæ, & ante regnum usurpatum, si Appiano credimus, Diodotus appellatus. (*h*)

Antiochus VI. (vel VII.) Epiphanes Dionysus regis nomen tulit annis duobus, aut non omnino, aut vix expletis. (*i*) Tryphon tyrannus, partis imperii Syriaci rex dici incipit.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
142	4572	171

Simon Macchabæus Antiocho Dionyso, cui fidelis manserat, occiso, Tryphonis scelera detestatus, coronam auream, & ramum aureum ad Demetrium mittit, ab eodem tanquam vero rege tributorum remissionem, & gentis suæ libertatem supplex orat. Demetrius (ante veris initium) Simoni pontificatum, & principatum confirmat, eundem amicis suis adnumerat: omnia olim pacta rata esse jubet: tributa remittit, libertatem dat. Ablato itaque jugo gentium (quæ jugi ablatio nunc cœpta, & post initium sequentis anni *Judaici*, capta arce, completa est) cœperunt Judæi in publicis instrumentis scribere: anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, & principe Judæorum. (*l*)

Tryphon Romam legatos mittit, addito in donum signo Victoriæ pondere CIↃ. aureorum petens: ut rex agnosceretur. Senatus accepto dono, eidem non Tryphonis, sed occisi Antiochi regis nomen inscribi jussit. (*m*)

Simon rebelles Gazæos ad deditionem compellit: cives cum omni idololatria ex urbe illa ejicit, vero Deo laudibus decantatis locum Judæis frequentat, munimenta instaurat, & sibi domum eadem in urbe ædificat. (*n*)

15. Ca-

(*d*) 1. Macch. c. 13. v. 25. &c.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 11.)(Eusebius de locorum nominibus. (*e*) 1. Macch. c. 14. v. 16. &c. (*f*) 1. Macch. c. 13. v. 33., & cap. 14. v. 10. (*g*) Strabo lib. 16.)(Athenæus lib. 8. c. 2. ex historia Posidonii Stoici. (*h*) 1. Macch. c. 13. v. 31., & 32.)(Livius lib. 55. Strabo lib. 16.)(Justinus lib. 36. c. 1. (*i*) Errat Eusebius in Chronico posteriore, seu Chronico Canone, ubi Antiochum adolescentem ante initia regni Demetrii II. a Tryphone interfectum perhibet, contra sacram hist. & concordes numos. Nam lib. 1. Macch. c. 11. v. 19. regnavit Demetrius anno 167. Tum ibidem post varias res gestas Antiochi fit mentio. Lib. 1. Macch. c. 13. mors Antiochi hujus ante ver anno Seleuc. 171. narratur. Porro primi hujus Antiochi numi autumno 168. vel paullo serius cusi habentur.)(Errat item Josephus, qui Antiocho adolescenti 4. annos regni tribuit lib. 13. ant. c. 7. (*l*) 1. Macch. c. 13. v. 34. &c., & 14. v. 11., & c. 14. v. 11., v. 38. (*m*) Diodor. Sic. legat. 31. (*n*) 1. Macch. c. 13. v. 43. &c.)(Videri potest Salianus ad annum mundi 3913. castigans Josephum.

NUMISMATA DEMETRII II.
ΘΕΟΥ. PHILADELPHI NICATORIS.
TAB. X.

Argent. III.	22. Caput Demetrii diadematum. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΙΔΩνίων. ΟΡ. *Demetrii Regis Sidoniorum. Anno 170.* Aquila cum ramo: in area acroſtolium.	Vaillant.
Æneus III.	23. Simile caput Demetrii. ΒΑ. ΔΗ. id eſt: *Βασιλέως Δημητρίȣ. Regis Demetrii.* Figura longo veſtitu ſtans, capite tutulato, d. extenſa, ſ. baculum cruce armatum, ſeu Nilometrum geſtat. Forte Iſidos figura.	Vaillant.
Æneus III.	24. Simile caput, & averſæ partis figura, ſed navi inſiſtens. Inſcriptio Phœniciis, aut aliis incognitis literis inſerta.	Vaillant.

NUMISMATA ANTIOCHI VI. vel VII.
EPIPHANIS DIONYSI, Adoleſcentis.
TAB. XI., & XII.

Argent. III.	8. Caput Antiochi adoleſcentis cum corona radiata, & hedera ornata. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΟΡ. & ΣΤΑ. *Regis Antiochi Epiphanis Dionyſi. Anno 170.* Apollo nudus ſedens, d. ſagittam, ſ. arcum; in area Φ.	Begerus.
Argent. I.	9. Caput Antiochi corona radiata, & hedera ornatum, vultu florente. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. Dioſcuri in equis currentibus, cum ſua uterque ſtella: in area ΤΡΥ. item ΟΡ. id eſt: *anno 170.* & ΣΤΑ. item monogramma. Numiſma elegantiſſimum, & rariſſimum.	D.Favvkener
Æneus III.	10. Simile caput, & averſæ partis inſcriptio: ſed ſine ΤΡΥ. & ΟΡ. Equus gradiens. In area Α. numus ora denticulata: ſimilem equi typum vide ſub Seleuco II. Numero 6.	D.Favvkener
Æneus III.	11. Simile caput, & averſæ inſcriptio: Apollo ſtans, d. ſagittam, ſ. tripodi innititur.	Vaillant. Theupoli.
Æneus III.	12. Simile caput, & averſæ inſcriptio: Amphora ſtans, pone ramus: in area monogramma.	Noſter. C. Reg. Vaillant.
Ænei III.	13. Similes duo numi: alter in area Μ. alter ſine litera.	Begerus.
Argent. III.	14. Simile caput, & inſcriptio: Galea extenſa, adpoſito cornu quaſi capri montani: in area monogramma.	Vaillant. C. Reg.
Æneus III.q	15. Simile caput, & averſæ inſcriptio: Figura ſuccincta veſte ſtans, d. extenſa ſertum, ſ. haſtam, vel ſceptrum.	Noſter. Theupoli.
Æneus III.	16. Simile caput, & averſæ inſcriptio: Mulier gradiens, d. demiſſa, ſ. facem. Cereris figura.	Theupoli.
Æneus III.	17. Sola inſcriptio ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. intra coronam ex hedera. Dimidius bos.	Noſter. Haym.
Æneus III.	18. Similis inſcriptio, & corona. Dimidia fera ſine cornibus, quaſi tigris, aut ſimilis bellua.	Liebe.
Æneus III.	19. Caput dei Luni pileo Phrygio tectum: infra pectus luna falcata. ΑΝΤΙΟΧου. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Antiochi Dionyſi.* Bos ſtans.	Liebe.

(8.9.) ΟΡ. ΣΤΑ. Begerus legit *Orgia Staphylitæ*, ſeu Bacchi. Sed quid hæc ad Apollinis figuram? Τὸ ΟΡ. epocha eſt, uti in numo Demetrii 22. Τὸ ΣΤΑ. neſcitur, niſi ſit nomen magiſtratus, ut ΤΡΥ. legendum eſſe videtur *Tryphonis*, qui omnia regebat.

(14.) Galeæ ſimilis typus in Tryphonis monetis, nec alibi invenitur. Id ipſum confirmat: numos Antiochi Dionyſi ad Tryphonis tempora referri oportere.

(19.) Lunus in tota fere Aſia minore, & Syria magnopere colebatur, numis multis teſtibus, & *Spartiano in Caracalla.* Bovem fuiſſe ab Ægyptiis Iſidi, ſeu lunæ ſacratam, & bovis cornua lunæ ſymbolum habitum, *Diodor. Sic. lib.* 1. & *Prudentius lib.* 1. *contra Symachum* docuere.

Ante Chriſt. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

142 4572 171 Naſcitur Alexandra (Hebræis Salome, Euſebio Salina) Judæorum futura regina. (*o*)

Præſidiarii milites in arce Jeroſolymitana fame adacti ſe, & arcem Simoni Macchabæo dedunt. Simon ejectis idolis cum choro muſicorum arcem victor ingreditur die XXIII. menſis ſecundi Jiar (circa finem Aprilis, vel initium Maji.) Anno regni Græcorum (ſecundum Judæos) CLXXI. numiſmata cum Simonis ducis nomine & *Anni primi* nota ſignantur. Dicta dies quot annis deinceps inter feſtas habenda conſtituitur. (*p*)

Johannem (ſubinde Hircanum dictum) filium ſuum Simon belli ducem renunciat: ipſe in urbe Gadara, ſeu Gazara ſibi habitationem deligit. (*q*)

Demetrio II. regi naſcitur ex Cleopatra, Ptolemæi Philometoris filia, Antiochus filius, deinde vulgo Grypus dictus. Hoc ex anno obitus hujus Antiochi ſatis certo, & ex Joſepho colligetur, qui eidem XLV. vitæ annos adſcripſit. (*r*)

141 4573 172 Eclipſis lunæ die XXVII. Januarii, hora X. poſt meridiem Rhodi ab Hipparcho obſervata. (*s*)

Demetrius rex ſegnitiei maculam abſterſurus, & alioqui a ſatrapis ſuperiorum provinciarum ſtimulatus, ut Arſacis VI. (qui & Mithradates dictus) Parthiæ regis potentiam minueret: potiſſimum vero ea de cauſa, ut adverſus Tryphonem majus ſibi robur pararet, bellum Arſaci infert. (*t*)

Interea Tryphon invaleſcit, & multæ Syriæ urbes ad eundem deficiunt. Ab hoc tempore Tryphonis regnum ſupputare videtur Joſephus, qui eidem tres regni annos tantum tribuit. (*u*)

Parthos aliquot præliis fundit Demetrius; ſed ab Arſacis belli duce tandem vi, vel fraude captus, in Parthiam abductus eſt. (*x*)

Utrum prælia iſta hoc anno omnia, an potius pars in vere anni ſequentis comiſſa ſint, ac tum captus ſit Demetrius, certo definire non poſſumus. Videri poſſunt, quæ diſceptata ſunt Prolegomenorum noſtrorum parte III. cap. V.

Arſaces Mithradates captivum Demetrium in Hircaniam mittit: filiam ſuam ei uxorem dat, & regie habet: ita Juſtinus; ſed Appianus narrat: Demetrium in Arſacis Phraatis (qui Arſacis Mithradatis frater, & in regno ſucceſſor fuit) aula vixiſſe, cum conjuge Rhodoguna, Phraatis ſorore, Utrumque forte ſucceſſu temporis factum eſt. (*y*) Nempe antea Demetrius duxerit Mithradatis filiam, cujus nomen ignoratur: ſubinde Phraatis ſororem Rhodogunam, mortua, aut repudiata priore uxore.

Pace reſtituta Simon anno Græcorum (ſecundum Judæos) CLXXII. die XVIII. menſis ſexti Elul, pontificatus ſui, a morte Jonathan, anno III. in illuſtri procerum cœtu honoratus, & laudatus eſt, edita publica ſcriptura, qua Simonis merita, jura principatus, decreta, & confirmationes, ac fœdera cum exteris gentibus inita comprehenſa ſunt: ea ſcriptura æneis tabulis inſculpta, & Simoni magna poteſtas conſtabilita fuit. (*z*)

25. Ca-

(*o*) Colligitur ex Joſepho lib. 13. ant. cap. ultimo.)(Et ex Judaicæ hiſtoriæ c. 33. quæ habetur Arabice in Bibliis Polyglottis Pariſinis, & Londinenſibus.)(Euſebii Chron.)(Epiphanius hæreſi 29.)(S. Hieronymus in cap. 9., & 11. Danielis. (*p*) 1. Macch. c. 13. v. 49. &c., & c. 14. v. 36., & 37.
(*q*) 1. Macch. c. 13. v. 54., & c. 14. v. 6., & 7.)(Strabo lib. 16. de Gadaris.
(*r*) Joſeph lib. 13. ant. c. 13. (*s*) Ptolemæus in Almageſto lib. 6. c. 5.
(*t*) 1. Macch. c. 14. v. 1. &c.)(Joſeph. lib. 13. c. 9.)(Juſtinus lib. 36. c. 1., & lib. 41. c. 5., & 6.)(Oroſius lib. 5. c. 4. (*u*) Joſeph. lib. 13. c. 7. (*x*) Vide auctores in (*t*)
(*y*) Juſtinus lib. 36. c. 1., & lib. 38. c. 9.)(Appianus in Syriac.)(Euſebius & Porphyrius tres tantum regni annos Demetrio II. ante captivitatem tribuunt; ſed addendi ſunt ſaltem duo.
(*z*) 1. Macch. c. 14. v. 27. &c. conferantur cum ejuſdem capitis v. 4. uſque ad 26.

TABULA X.

Argent. I.	25. Caput Demetrii diadematum: in area M. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Figura ſtolata ſtans, capite corona radiata, & floribus ornato, infulis quoque dependentibus, d. thyrſum, ſ. pomum, vel globum tenet: ad pedes utrinque exporriguntur quaſi bacilli modice incurvi: prope caput in area numi utrinque aſtrum.	Haym.
Argent. III.	26. Caput Demetrii diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Apollo nudus ſtans, d. ſagittam, ſ. arcum.	Theupoli.
Æneus II. & III.	27. a. Caput Jovis laureatum, & barbatum. Eadem inſcriptio: Apollo nudus cortinæ inſidens, d. ſagittam, ſ. arcum; in area infima monogrammata.	Noſter. D.Favvkener
Æneus II.	In alio ſimili alia ſigna.	Noſter.
Æneus II.	27. b. Similis numus, ſed ſine monogrammate, aut alia nota.	Haym. Theupoli.
Argent. I.	28. Caput Demetrii laureatum. Inſcriptio incerta præter ΑΟΡ. *Anno* 171. Aquila ſtans cum ramo.	De Wilde.
Æneus III.	29. Caput Demetrii laureatum. ΔΗΜΗΤΡ. ΒΑΣΙΛΕως. *Demetrii Regis.* Palma arbor.	Theupoli.
Argent. I.	30. Caput Demetrii diadematum. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. ΒΟΡ. *Demetrii Regis. Tyri ſacræ, & aſylo gaudentis. Anno* 172. Partis averſæ figura non memoratur: aquila eſſe ſolet.	Harduinus.

(25.) Videtur Aſtartes, ſeu Veneris cœleſtis figura eſſe, ſed ſolito ornatior; certe fertum florum, & pomum Venerem notant, radii cœleſtem; baculus a Luciano deæ Syriæ, ſeu Aſtartæ tribuitur. Thyrſus quidem Baccho proprius eſt, ſed Veneri, Baccho amiciſſimæ, non inepte adjungitur. Proſtantes illos bacillos, phallos votivos, Veneri adpenſos, cenſet Haymius, qua in re diſertus eſſe nolim. Hic, & ſequentes quatuor numi, incertum eſt, quo anno Demetrii II. cuſi ſint.

(30.) Eſt hic primus, quantum hactenus mihi innotuit, Tyriorum numus, qui titulos urbis ſacræ, & aſylo gaudentis offerat. Videtur Demetrius fideles ſibi Phœnicios privilegiis, aliisque gratiis ornaſſe.

NUMISMATA HEBRAICA SIMONIS MACCHABÆI.

TABULA XVIII.

Cum inſcriptione: *Simeon princeps: Anno primo Redemptionis Iſrael:* Item: *Anno primo Redemptionis Sion.* Item: *Liberationis Iſrael. Liberationis,* vel *Libertatis Jeruſalem: Siclus Iſrael Anno primo &c.* Item: *Liberationis Sion: Anno ſecundo.* Tum etiam: *Siclus Iſrael: Anno ſecundo.*

Annus primus, & ſecundus horum numiſmatum reſpondet maxima ex parte anno Juliano æræ Seleucidarum 171., & 172. Qua omni de re videri poſſunt Prolegomena noſtra tota parte V., & præcipue cap. quinto.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
140	4574	173

Olympias CLX.

Cleopatra absente marito Demetrio II. Tryphonis invalescentis metu se cum prolibus Seleuciæ inclusit. Multi milites Tryphonis tyrannidis pertæsi ad Cleopatram, alioqui regnandi avidam, deficiunt: ipsa vero, intellecta Demetrii conjugis captivitate, & nuptiis, ut a Tryphone tutior, & certo regina esset, Antiochum, Demetrii mariti fratrem literis datis ad regnum, thorumque vacuum fratris sui capessendum invitat (*a*)

Antiochus itaque animos potentiorum præparaturus, ex insulis maris, ubi tum agebat, ad Simonem & Judæos missa epistola multa eisdem promittit, imo confert: Jerusalem sanctam, & liberam esse: debitum omne remitti: dari jus percutiendi proprii numismatis, & alia, quæ quidem confirmare potius Judæis, quam dare poterat Antiochus. (*b*) Hæc Antiochum Rhodi scripsisse, ex Appiano probabiliter colligitur. (*c*)

139 4575 174 Numenius, & alii Judæorum legati Sparta, & Roma hoc, aut superiore anno in patriam reduces, oblato Romæ clypeo aureo cIↃ. minarum pretio, referunt literas L. Calpurnii Pisonis consulis Romani (cujus collega L. Popilius Lænas tum in Hispania bello præerat) datas ad reges Ptolemæum Evergetem II. Ægypti, Attalum Philadelphum Pergami, Ariarathem Cappadociæ, Arsacem Mithradatem Parthiæ, Demetrium II. Syriæ (quem captum esse aut Romæ, dum scripta est epistola, nondum legitime constabat, aut captivus licet, tamen rex habebatur) atque ad urbes & insulas nonnullas, quibus commendatur: Ne Judæos infestent, atque etiam transfugas eisdem restituant. (*d*)

Antiochus (Syriæ rex eo nomine VII. vel VI.) Demetrii I. filius, secundi frater, adsumpto cognomine ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Evergetis*, seu *Benefici*, Cleopatra sibi matrimonio juncta, regnum adit. (*e*) Antiochum Evergetem scriptores passim *Sidetem* appellant, ab urbe Sida Pamphiliæ, unde in Syriam venit: aut a Syriaco vocabulo, quod *Venatorem* notat: sed utrumque vulgi dicterium erat. Josephus etiam *Pii*, & *Soteris* titulum huic Antiocho datum perhibet: *Soter* a Trogo quoque, & ab Eusebio compellatur. Sed verum, ac certum *Evergetis* titulum numis debemus. (*f*)

Pleræque Tryphonis copiæ ad Antiochum transeunt: Tryphon arcte in urbe Dora obsidetur. Simon ad Antiochum dona, & bellicas machinas mittit; sed rex perfidus ea respuit, pacta rescindit, per Athenobium arcem Jerosolymitanam, & alia munita oppida repetit: tributa imperat, adjectis belli minis, ni imperata Judæi faciant. Tryphon Dora navi elapsus fugit Orthosiadem Phœniciæ urbem. Cendebæus littoralis Syriæ præfectus jussu Antiochi Judæos invadit. Simon princeps ætate fatiscens senioribus duobus filiis suis Judæ, & Johanni rerum curam committit: ab his Cendebæi copiæ profligantur, & hostium turres succenduntur. (*g*)

31. Deme-

(*a*) Joseph. lib. 13. ant. c. 7. (*b*) 1. Macch. c. 15. v. 1. &c. conferatur: 1. Macch. c. 13.)(De numis Hebræorum jam ante signatis vide Prolegomena nostra parte 5. c. 3.

(*c*) Appianus in Syriacis. Conferatur Justinus lib. 35. c. 2., & lib. 36. c. 1.

(*d*) 1. Macch. c. 15. v. 15. &c.)(Valerius Maximus lib. 1. c. 3. istorum consulum meminit.

(*e*) Justinus lib. 36. c. 1.)(Appianus Syriac. (*f*) Joseph. lib. 13. ant. c. 7., & 8., & 10.)(Trogus Pompejus in Prologo lib. 39.)(Euseb. Chron.)(Georgius Syncellus nomen *Sidetes* a Sida urbe deducit.)(Eusebius in Canone Chron. regnum Antiochi Sidetis inchoat Olympiadis CLX. anno tertio. Sed uno anno, etsi non integro illo fortasse, verum tempus retardat, a lib. 1. Macch. discrepans.

(*g*) 1. Macch. c. 15. v. 25. &c., & c. 16. v. 1. &c.

NUMISMATA DEMETRII II. ΘΕΟΥ. PHILADELPHI NICATORIS.

TABULA X.

31. Demetrii numifma cum epocha ΓΟΡ. *Anno* 173. indicatur in Chronologia veteris teftamenti a P. Harduino. — Harduinus.

Argent. I. 32. Caput Demetrii diadematum imberbe.
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΙΔΩνίων. ΔΟΡ. *Demetrii Regis Sidoniorum. Anno* 174. Aquila ftans cum ramo: in area hinc ramus alter, inde monogramma. — Vaillant.

Hic, & præcedens numus Demetrii jam capti memoriæ, & honoribus a fidelibus Phœniciis fignati funt, non invitis Cleopatra, & Antiocho.

NUMISMATA HEBRAICA SIMONIS MACCHABÆI.

TABULA XVIII.

Cum infcriptione: *Liberationis Jerufalem*, vel *Liberationis Sion*, & cum *Anno tertio*, vel *Anno quarto*. Item: *Jerufalem fancta: Siclus Ifrael* &c. cum annis iisdem III. & IV. qui fere refpondent anno Juliano æræ Seleucidarum 173. & 174. Vide Prolegomena noftra parte V. cap. V.

NUMISMATA TRYPHONIS AUTOCRATORIS.

TABULA XII.

Æneus III. 1.* Caput Tryphonis diadematum.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *Regis Tryphonis fupremi imperatoris.* Galea extenfa cum tæniis, vel ligamentis, & adpofito cornu quafi capri montani. In area ΛΣ. — Nofter. Haym. D.Favvkener
In alio ΑΣΚ. — Vail.C.Reg.

Æneus III. 2.* Similes numi: alius in area cornu copiæ: alius acroftolium: alius aftrum: alius duos pileos Diofcurorum. — Nofter. Theupoli. Vaillant.

Argent. III. 3.* Similis numus: in area prope galeam litera A. — Begerus

(1.*) Vocabulum Τρυφῶν non tantum vulgari fignificatione *Voluptuarium* notat: fed etiam eft Τρύφων, *Splendidus*, quo fenfu ab Ifocrate oratione ad Nicoclem Τρυφᾶσθαι accipitur: & ita in exponendo regis nomine accipiendum, quod fibi honoris caufa fumpfiffe creditur.

NUMISMATA ANTIOCHI VII. (vel VI.) EVERGETIS, vulgo SIDETIS.

TABULA XI.

Argent. III. 1. Caput Antiochi diadematum. — Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡου. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΔΟΡ. *Regis Antiochi Tyriorum, vel Tyri facræ, Afylo gaudentis. Anno* 174.
Aquila cum ramo palmæ: monogramma Tyri fupra clavam.

Argent. III. 2. Similis numus; fed aquila proræ navis infiftit. — Haym.

Æneus III. 3. Caput imberbe, ornatum, cum alato humero: Victoriæ, vel Cupidinis. — Nofter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΔΟΡ. *Regis Antiochi Evergetis, Anno* 174. Flos loti, infra quem aftrum.

Æneus III. 4. Similis numus: infra florem loti clava loco aftri. — Begerus

Æneus II. 5. Dimidia navis cum puppi, fupra eam duo pilei Diofcurorum cum aftris. — Haym.
Eadem infcriptio, & epocha ΔΟΡ. id eft: *Anno* 174. Tridens cum alio ornamento ad latus: in area monogramma. — D.Favvkener
In alio iterum duo pilei. — Mufei De Wilde.

(3., & 4.) Flos loti (quæ herba Ægypti celeberrimæ utilitatis erat) fub Antiocho Evergete potiffimum in numis comparens, videtur Cleopatræ Ægyptiæ juffu numis inferta; Nam nobilis hæc fæmina, & tertium regina, etiam fuo vultu numos hifce temporibus fignandos curavit, uti fequentia docebunt.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

138 4576 175 Tryphon fugitivus in urbem Apameam, ubi educatus erat, ſeſe recipit, ſparſa per viam, qua fugerat, pecunia, ut inſequentes Antiochi equites moraretur. Paullo poſt Apamea capta Tryphon in poteſtatem Antiochi venit, ejusdemque juſſu aut occiſus, aut mortem ſibimet inferre coactus eſt: anno quinto uſurpati regni ineunte, poſt ſublatum Antiochum VI. Dionyſum adoleſcentem. (*b*)

137 4577 176 In tota Syria cum Cleopatra ſua rerum potitur Antiochus Evergetes, dum urbes, quæ mortuo Demetrio I. ab ſua ſtirpe de-
136 4578 177 fecerant, magna induſtria ſuæ ditioni reſtituit. (*i*)

Olympias CLXI. Hujus anni autumno cœpit annus ſabbaticus Judæorum, de quo mox ſermo erit.

135 4579 178 Simon pontifex, & princeps Judæorum luſtrans civitates Judææ circa menſem Februarium (Anno Græcorum CLXXVII. menſe undecimo Schabat) Hierichuntem deſcendit cum filiis duobus Mattathia, & Juda. Ptolemæus Abobi filius, ejus urbis præfectus a Simone ſocero ſuo conſtitutus, cum eſſet abſolutæ poteſtatis avidus, ſplendide quidem hoſpites accipit, ſed per collocatos in inſidiis milites Simonem cum filiis poſt epulas contrucidandos curat. Occubuit Simon anno pontificatus nono, nempe a morte Jonathan elapſis annis VIII., & menſibus circiter tribus. (*l*)

Perfidus Ptolemæus de perpetrato facinore Antiochum regem, alioqui jam Judææ inhiantem, certiorem reddit; unde ſuſpicio eſt: Antiochum cædis conſcium fuiſſe. Sicarios alios Ptolemæus celeriter Gaderam dimittit, qui illic Johannem Hyrcanum, reliquum Simonis filium, & Judæos duces imprudentes opprimerent. Sed præmonitus de inſidiis Johannes, occupatos ſicarios interficiendos curat. (*m*) Definit liber primus Macchabæorum.

Hierichuntis ab Johanne obſeſſæ narrationem haud ſatis probabilem Joſephus contexuit. (*n*)

Antiochus Evergetes in Judæam movet: evaſtatis agris, Johannem cum ſuis intra Jeroſolymorum mœnia compulſum obſidet, exercitu in ſeptem caſtra diviſo. Ingruente tempore feſti tabernaculorum obſeſſis inducias indulget, & victimas mittit Antiochus. Traditur urbs Antiocho, & arma civium; muri diruuntur (ſi Diodoro Siculo fides) vectigalia, & Iↄ. talenta ad redimendum præſidii imponendi jugum regi a Judæis promittuntur, quos etiam anni ſabbatici penuria premebat: ita pax cum Antiocho conſtituitur. (*o*)

De aperto Davidis ſepulchro, & erutis inde ab Johanne Hyrcano ingentibus theſauris incredibilia narrat Joſephus. (*p*)

Legati anno ſuperiore Roma ad reges miſſi, & in Ægypto regie habiti, P. Scipio Africanus, Spur. Mummius, & L. Metellus, hoc anno in Syriam veniſſe, & illic quoque ſplendide excepti fuiſſe videntur. (*q*)

1. Ca-

(*b*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 7.)(Frontinus lib. 2. Stratagem. c. 13.)(Appianus Syr.)(Athenæus lib. 8.)(Strabo lib. 14.)(De Joſephi errore circa Tryphonis regni annos, dictum eſt paullo ſuperius.

(*i*) Juſtinus lib. 36. c. 1. (*l*) 1. Macch. c. 16. v. 11. &c.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 7.)(Euſebius in Chron. priore. (*m*) 1. Macch. c. 16. v. 19. uſque ad finem.)(Euſeb. & Joſeph. citato loco.

(*n*) Joſeph. lib. 1. de bello c. 2., & lib. 13. ant. c. 7., & 8.)(Videatur Salianus ad annum mundi 3920.

(*o*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 8.)(Plutarchi apophthegmata.)(Diodor. Sic. apud Photium cod. 244.)(Euſebius in Chronico Canone male Simonem loco Johannis obſeſſum memorat: Contra Trogus prologo lib. 36. Hyrcanum loco Simonis, male ponit occiſum eſſe, ac Judæam deinde ab Antiocho ſubactam. (*p*) Vide Salianum ad annum mundi 3921. (*q*) Juſtin. lib. 38. c. 8.)(Strabo lib. 14.)(Diod. Sic. legat. 32.)(Athenæus lib. 6. c. 8.)(Cicero Somnio Scipion. Erat hic Scipio Æmilianus, celebris Africani nepos adoptivus.

NUMISMATA CLEOPATRÆ,
Uxoris ANTIOCHI EVERGETIS, vulgo SIDETIS.
TAB. XI.

Æneus III. 1. Caput Cleopatræ velatum. — Nofter.
ΡΟΔ. id eft: *Anno* 174. Taurus currens. Aliæ literæ per aream numi fparfæ. — Liebe.
Æneus III. 2. Similis numus, fed epocha ΡΟΕ. id eft: *Anno* 175. In area ΚΝ. ΠC. Mq. — Noftri duo.
Alius loco Mq. habet pq. — Liebe.
In alio ΡΟΕ. epocha Ε. rotundo. — Liebe.
Æneus III. 3. Similis numus: ΡΟϛ. *Anno* 176. — Nofter.

Cleopatra prima e Syriæ reginis caput fuum fine regis adfcripto nomine æri infculpendum curavit: fuum tamen nomen nondum exprimere aufa, id fubinde effecit fub Antiocho VIII. filio fuo, cum quo, imo cui etiam imperavit.

NUMISMATA ANTIOCHI VII. (vel VI.) EVERGETIS.
TABULA XI.

Æneus II. 6. Caput Antiochi diadematum. — Nofter.
ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜ (*Sic.*) ΠΙΕΡΙΑΙ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ.—ΑΣΥΛΟΥ. ΕΟΡ. *Seleucienfium, qui in Pieria funt, facræ, & afylo gaudentis urbis.* Jupiter fedens, d. victoriolam, f. haftam.
Æneus III. 7. Caput imberbe cum humero alato. — Vaillant. Nofter. D. Favvkener. Theupoli.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΟΡ. *Regis Antiochi Evergetis. Anno* 175. Flos loti; infra acroftolium: in area monogramma.
Æneus III. 8. Caput leonis. — Liebe.
Eadem infcriptio, & epocha ΕΟΡ. *Anno* 175. Clava. — Nofter. De Wilde.
Æneus III. Similis numulus, fine epocha; in area monogramma.
Æneus II. 9. Navis pars pofterior: fupra duo pilei Diofcurorum cum aftris. — Nofter.
Eadem infcriptio, & epocha 175. Tridens. In area acroftolium, & monogramma.
Alius fine acroftolio, monogramma. — Liebe.
Alius, monogramma aliud. — Haym.
Æneus II. 10. Similis præcedentibus numus, fed fine epocha. Typum horum fimilem dedimus numero 5. fub hoc rege Antiocho. — Theupoli.
Æneus III. 11. Caput diadematum Antiochi. — Vaillant. D. Favvkener
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ϛΟΡ. id eft: *Anno* 176. Flos loti, fub quo ramus palmæ. In area monogram. — Nofter. Haym.
Æneus III. 12. Caput imberbe cum humero alato. — Theupoli. Vaillant.
Similis pars averfa priori, & eadem epocha: 176. Monogramma.
Æneus III. 13. Caput cum humero alato. — Nofter. Harduinus.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΖΟΡ. id eft: *Anno* 177. Flos loti, fub quo ramus palmæ.
Similis cum ΗΟΡ. *Anno* 178. — Vaillant.
Æneus III. 14. Caput Antiochi diadematum. — C. Reg.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΖΟΡ. *Regis Antiochi, Tyri facræ, afylo gaudentis. Anno* 177. Navis, infra quam literæ Phœniciæ.
Æneus III. Similis priori, fed epocha ΗΟΡ. *anno* 178. — Vaillant.
Argent. III. 15. Caput Antiochi diadematum. — Vaillant. Theupoli.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Victoria gradiens, d. lauream, f. palmæ ramum.

(7., & 8.) Originis Macedonicæ ab Hercule deductæ, aut bellicæ fortitudinis fymbola hic exhibita videntur.
(15.) Victoriæ, vel de Tryphone tyranno, vel de Judæis reportatæ confignata hic eft memoria; anni nota cum numus careat, alterum horum certo definire non licet.

Ante Chrift.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
134	4580	179	Hoc, aut fequente anno Demetrius II. duce Gallimandro, amico fuo, primam e captivitate Parthica fugam infeliciter tentaffe videtur. (*r*)
133	4581	180	Scipioni Africano (qui anno ab hinc altero legatus in Syria fuerat) ad bellum Numantinum conftituto imperatori Antiochus Evergetes ampliffima munera mifit: ea Scipio non clam, ut alii folebant, fed pro tribunali fedens accipere voluit, & per quæftorem in tabulas publicas referri juffit: ut inde viris fortibus munera elargiretur. (*s*)
132	4582	181	Alteram fugam (licet jam e Parthica uxore liberos fufcepiffet) Demetrius rex captivus eodem Gallimandro duce arripit; fed ex hac quoque, prope regni fui fines deprehenfus, retrahitur atque ad Arfacis Phraatis aulam deductus irati regis Parthi confpectu arcetur. Attamen uxori, ac liberis donatur Demetrius, eique in Hyrcaniam reducto, ad exprobrandam levitatem tali aurei offeruntur. Maxima Demetrium fervandi ratio creditur fuiffe, ut haberent, quem regni æmulum opponerent Antiocho Evergeti Demetrii fratri, qui liberandi fratris Demetrii caufa
Olympias CLXII.			collecto ingenti exercitu, jam formidandus Parthiæ imminebat. (*t*)
			In hoc Antiochi exercitu uti magnus militiæ, ita major luxuriæ apparatus erat; cum lixarum, & ad voluptates fervientium numerus militum numerum duplo, aut, ut alii, triplo excederet. (*u*)
			Reges quidam, & fatrapæ orientales, Parthicæ arrogantiæ pertæfi, ad Antiochum confluebant, fefe, & regnorum facultates eidem offerentes. (*u*)
131	4583	182	Antiochia Syriæ terræ motu fuccuffa eft menfe Februario. (*x*)
			Parthi tribus præliis ab Antiocho Evergete funduntur: Indates Parthorum dux ad Lycum Affyriæ fluvium a Syris victus, atque in ejus rei memoriam tropæum erectum eft. Parthis ab Antiocho pene omnia præter Parthiam eripiuntur. (*y*)
			Sed hæc omnia hoc folo anno contigiffe non arbitror; verum alia horum in præcedentem, in fequentem annum forte alia difpertienda videntur.
			Huic expeditioni Johannes Judæorum dux, & pontifex cum Judaicis copiis interfuit; Antiochus rex in Judæorum gratiam, biduo ad Lycum fluvium fubftitit; cum poft fabbatum Pentecoftes inftaret, atque utroque illo die Judæis iter profequi nefas effet. Johannem fervente hoc bello in Hyrcaniam cum fuis miffum effe, iisque populis celeriter fubactis Hyrcani titulum obtinuiffe (qui eidem fæpe προληπτικῶς tribuitur) Jofephus commemorat. (*z*)
			Quædam orientis urbes ab Antiocho alienantur propterea, quod Syri milites, illis in urbibus hibernantes, incolas injuriis affecerint.

(*r*) Juftinus lib. 38. c. 9.

(*s*) Livii epitome libri 57.)(Attali Pergami regis dona fimili ratione Scipio accepit.

(*t*) Juftinus lib. 38. c. 9., & 10., & lib. 42. c. 1.)(Appianus Syriac.)(Athenæus lib. 10. c. 12., & lib. 12. c. 19.)(Livii epitome lib. 59.

(*u*) Juftinus lib. 38. c. 10.)(Valerius Max. lib. 9. c. 1.)(Athenæus lib. 5. c. 9., & lib. 12. c. 19.

(*x*) Chronicon Malelæ Antiocheni, ad annum Antiochi Evergetæ octavum.

(*y*) Juftinus lib. 38. c. 10.)(Nicolaus Damafcenus in hiftoria univerfali apud Jofephum lib. 13. antiq. c. 8.

(*z*) Jofephus ut ante. Antiochum Evergetem Ἐυσεβοῦς *Pii* titulum a Judæis obtinuiffe ob religionis honorem, idem Jofephus perhibet. Sed hic *Pii* titulus apud Jofephum ex Hebraica voce *Chafid* natus videtur; nam hac voce apud Hebræos, & *Pius*; & *Beneficus*, feu Ἐυεργέτης venire folet, quod folum Evergetis nomen huic Antiocho proprium eft. Originem nominis *Hyrcani*, quod Johanni duci tribuitur, nonnulli cum Scaligero in dubium vocant.)(Henricus Dodwellus de veteribus Græcorum, Romanorumque Cyclis Differt. 9. Sect. 24. videri poteft.

NUMISMATA ANTIOCHI VII. (vel VI.) EVERGETIS, vulgo SIDETIS.

TABULA XI.

Æneus III.	16. Caput Antiochi diadematum; ad occiput: ΘΟΡ. id est *Anno 179.* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Regis Antiochi Sidoniorum.* Navis, & literæ Phœniciæ.	Vaillant.
Æneus III.	17. Caput Victoriæ, vel Cupidinis, humero alato. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Regis Antiochi Evergetis*, cum epocha ΘΟΡ. *Anno 179.* Flos loti.	Theupoli.
Argent. I.	18. a. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡΑ ΑΣΥ. ΠΡ. *Regis Antiochi, Tyri sacræ, asylo gaudentis. Anno 180.* Aquila cum ramo palmæ navi insistens. Iconismum vide Numero 1. sub hoc rege.	Vaillant.
Argent. I.	18. b. Simile priori numisma, sed epocha ΑΠΡ. *Anno 181.* In area monogramma.	Reverendiss. P. Bianchi. Romæ.
Argent. I.	19. Caput Antiochi diadematum intra lauream. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΑΠΡ. *Anno 181.* Pallas galeata stans, d. Victoriolam, f. scutum: in area monogramma, omnia intra lauream.	Vaillant. Theupoli.
Æneus III.	20. Caput cum humero alato. Eadem inscriptio, & epocha ΑΠΡ. *Anno 181.* Lotus.	Vaillant.
Argent. I.	21. Similis Numero 19. Monogramma discerptum in duas notas, sed sine epocha, estque numus integer. In aliis monogrammata.	Noster. B. Roth. Begerus.
Plumbeus I.	22. Similis numus præcedenti, certo antiquus, fortasse olim argentea bracteola vestitus, cujus tamen nullum vestigium relictum est.	Noster.

(18. a.) Apud Vaillantium in iconismo hujus numi male legitur ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. loco ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Sed in expositione numi correctus est error.

(18. b.) Reverendissimus, ac Doctissimus P. Bianchi Minorita hoc, & simile numisma Romæ possidet.

(22.) Rarissimum hoc numisma plumbeum ex oriente attulit Collega meus R. P. Josephus Franz, e S. JEsu, qui idem inter alios Græcos fere numos, omnesque vere antiquos coëmerat, dum Constantinopolin legationem Cæsaream, Regiamque sacrorum causa comitaretur. Plumbum hujus numi duriusculum est, & solito candidius, ac stanno affine.

NUMISMATA DEMETRII II. ΘΕΟΥ. PHILADELPHI NICATORIS, apud Parthos captivi.

TABULA X.

Argent. I.	33. Caput Demetrii barbatum diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΠΡ. *Regis Demetrii Dei Nicatoris. Anno 180.* (nisi ante Π. alia defuit litera) Jupiter sedens, d. Victoriolam, f. hastam, in area monogrammata.	Goltzius.
Ænens II. vel III.	34. Caput Demetrii imberbe diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΑΠΡ. *Regis Demetrii Tyri sacræ, asylo gaudentis. Anno 181.* Triremis.	Theupoli.

Xx 2 Quæ-

(33.) Goltzius hunc numum, qui sinceræ antiquitatis signa præ se fert, perquam infeliciter Demetrio Poliorceti attribuit.

(34.) Alii monetarii vultum Demetrii barbatum, uti tum erat, alii imberbem numis consignabant: isti fortasse veteribus typariis usi sunt, aut parsimoniæ causa, aut quod barbæ squallorem, & captivitatis memoriam in ære perennare nollent.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

130 | 4584 | 183 rint. (*a*) Arſaces Phraates Parthiæ rex Demetrium II. regem captivum in Syriam cum Parthico præſidio dimittit, ea ſpe, ut oppoſito regni æmulo Parthia Antiochus avocaretur, quem alioqui Arſaces omnibus modis a ſe avertere moliebatur. (*b*)

Hoc anno, neque antea, Demetrium in Syriam dimiſſum eſſe, conficio ex Euſebio, & Porphyrio, qui Demetrium e captivitate reducem quatuor annis regnaſſe perhibent: itemque ex numis, quorum teſtimonio Demetrius anno Seleucidarum CLXXXVII. ineunte demum obiit, id eſt poſt initium autumni anni Juliani ante æram Chriſtianam CXXVI. Conferantur ea, quæ ad eundem annum adnotata ſunt. Interea multæ Antiochi Evergetis copiæ ab irritatis acerba annonæ exactione variarum regionum incolis ex inſidiis carpuntur. Cum reliquo milite ſociis opem laturus Antiochus obvium ſibi cum exercitu Arſacem Phraatem offendit. Commiſſo prælio vincitur Antiochus, fugaturque, Athenæo primo fugæ authore, licet ipſe rex fortius milite dimicaſſet. Hac in pugna Demetrii filia, quam Antiochus ſecum adduxerat, capta, & ob formæ elegantiam ab Arſace ſubinde in conjugem aſſumpta eſt. (*c*)

Scriptores profani, veteres quidem, non tamen ſynchroni, mortem Antiochi in hac pugna, aut paullo poſt eandem accidiſſe perhibent; ſed dum in ipſo mortis genere mire variant, ſatis produnt: incertis ſeſe rumuſculis, quibus alii olim ſcriptores decepti erant, fidem habuiſſe. (*d*) Egimus hac de re in Proleg. noſtris parte 3. cap. 4. ubi ex libri 2. Macchabæorum cap. 1., & ex numiſmatis antiquis deduximus: Antiochum Evergetem poſt hanc pugnam tres circiter annos vixiſſe, & regis titulo gaviſum eſſe.

Si Moſi Chorenenſi hiſtoriæ Armeniacæ lib. 2. cap. 2. fides habenda, hæc pugna ſæviente hieme commiſſa eſt, deprehenſo inter anguſtias Antiocho. Quod ſi hujus anni Juliani exeuntis hiemem ſumamus, congruere poteſt numus Antiochi Evergetis, exhibens annum CLXXXIII. qui hoc autumno cœpit. Sed malim anni hujus Juliani Januario, aut Februario hanc pugnam tribuere, ſi Armeniaci ſcriptoris auctoritas tanti eſt, ut hieme pugnam conſertam credamus.

Arſaces, fuſis Antiochi copiis, iiſque partim cæſis, partim captis præter fuga dilapſas, illico equites Parthos dimittit, qui Demetrium, cui in Syriam abire permiſſum eſt, ex itinere retraherent; ſed eorum diligentiam Demetrii celeritas eluſit. (*e*)

129 | 4585 | 184 Videtur Demetrius, in regnum reſtitutus Antiocho Evergeti fratri aut communionem regni, aut aliquas in oriente provincias conceſſiſſe, quibus pacate reliquo vitæ ſuæ tempore præeſſe potuit Antiochus; quod Phraates (Juſtino teſte) relatæ de Antiocho victoriæ fructus propter Scytharum in Parthiam irruptionem carpere non poſſet. (*f*) Euſebius, & Porphyrius, qui hoc anno Antiochum obiiſſe credebant, eidem regni annos tribuunt novem, qui complete accipiendi videntur apud Euſebium, qui initium regni Antiochi Evergetis, vulgo Sidetis, ponit Olympiadis CLX. anno tertio; finem vero Olympiadis CLXII. anno quarto.

23. Flos

(*a*) Juſtinus lib. 38. c. 10.)(Diodorus Sic. in excerptis Valeſii. (*b*) Juſtinus lib. 38. c. 10. (*c*) Juſtinus ibidem.)(Julius obſequens de Prodigiis.)(Diod. Sic. Excerpt. Valeſii. (*d*) Antiochum in prælio occubuiſſe narrant: Joſeph. lib. 13. ant. c. 8.)(Oroſius lib. 5. c. 10.)(Julius Obſequens.)(Juſtinus lib. 38. c. 10. & lib. 39. c. 1.)(Sed Antiochum victum ſibi manus intuliſſe vult Appianus in Syriac.)(Eundem regem ab Arſace interfectum Euſebius in utroque Chronico memorat.)(Denique Ælianus hiſtoriæ animalium lib. 10. c. 34. tradit: Antiochum ſeſe de altiore loco præcipitem dediſſe.)(Antiochum nec in prælio, nec ejus occaſione, ſed ſubinde ſerius in templo Naneæ cecidiſſe, jam olim e lib. 2. Macch. c. 1. docuit Rupertus Tuitienſis lib. 10. de victoria Verbi., quem Salianus, aliique ſequuntur: Nos numis comprobamus. (*e*) Juſtinus lib. 42. c. 1. & lib. 38. c. 10. (*f*) Juſtinus lib. 42. c. 1.

NUMISMATA ANTIOCHI VII. (vel VI.) EVERGETIS, vulgo SIDETIS.

TABULA XI.

Æneus III. 23. Flos lilio omnino similis. — Noster.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΒΠΡ. *Anno 182.* Anchora inversa

Æneus III. 24. Caput Antiochi diadematum. — D. Favvkener. Vaillant.

Eadem inscriptio, & epocha ΒΠΡ. *Anno 182.* Flos loti, sub quo ramus palmæ.

Æneus III. 25. Caput Victoriæ, vel Cupidinis humero alato. — Noster. Theupoli.

Eadem inscriptio, & epocha: ΒΠΡ. *Anno 182.* Flos loti sine palmæ ramo; in area litera Λ.

Æneus III. 26. Simile caput cum humero alato. — Noster.
Elephas stans; sine ulla inscriptione.

Argent. I. 27. Caput Antiochi diadematum. — C. Reg.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. (monogrammate supra clavam.) ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΓΠΡ. *Regis Antiochi, Tyri sacræ, asylo gaudentis. Anno 183.* Aquila navi insistens cum ramo.
De hoc egregio numismate in Prolegomenis dictum est, parte 3. cap. 4.

(23.) Repræsentari hic arbitror celeberrima illa lilia convallium, quorum fit mentio in Canticis Canticorum c. 2. v. 2. Plinius quoque lib. 13. c. 9. Convalles Judææ, Hierichuntinam, & Phasaëlida, seu Phaselida a fertilitate laudat. Videri etiam potest de his Josephus lib. 16. ant. c. 5., & lib. 1. de bello c. 21.

(23.24.25.) Annus Seleucidarum 182. in Antiochi Evergetis numis frequens, in Demetrii jam liberati, aut jam jam liberandi numis nondum detectus est; etsi non dubitem Demetrii honoribus anno hoc 182. numos cusos fuisse, cum annos 180., & 181., & 183. in Demetrii numis legamus.

(26.) Hic numus ob caput Victoriæ, seu Cupidinis, & fabricæ modum Antiocho Evergeti probabiliter tribuitur.

NUMISMATA DEMETRII II.

ΘΕΟΥ. PHILADELPHI, NICATORIS.

TABULA X.

Argent. I. 35. Caput Demetrii diadematum, vultu barbato. — Theupoli. Gessnerus.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Regis Demetrii Θεȣ Nicatoris.* Jupiter sedens, d. Victoriolam, s. hastam.

Argent. I. Alius numus similis: in area monogrammata. — D. de Sutnern

Aureus III. 36. Similis numus: in area monogrammata similia prioribus. — Begerus.

Argent. III. Similis numus: monogramma inferius positum non satis discernitur. — D. Favvkener

Æneus III. 37. Similis numus: in area literæ Ξ., & Δ. — Vaillant.

Æneus III. 38. Caput Demetrii diadematum vultu barbato. — Theupoli. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Apollo nudus stans, d. sagittam, s. arcum.

Argent. I. 39. Caput diadematum imberbe. — D. Favvkener
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΓΠΡ. *Anno 183.* Aquila.

(35.) Iconismum pro his numis vide Tab. X. Numero 40. sub Demetrio. Captivus apud Parthos Demetrius barbam promisit, aut Parthicæ gentis more, aut exilii dolorem ita proditurus. Post reditum e captivitate Demetrius in quibusdam numismatis barbato, in aliis imberbi vultu comparet. Ea varietas aut monetariorum negligentiæ, vel parsimoniæ, uti dixi superius, aut ipsius Demetrii voluntati adscribenda est, qui barbato vultu, in memoriam suæ ab exilio liberationis: imberbi porro etiam, in memoriam status pristini, & Syro-Macedonum more, sese effingendum curaverit.

(35.) Utrum numismata hæc captivi adhuc tum regis Demetrii, an jam in regnum reducis honoribus percussa sint, defectu epochæ definire non licet: ad medium igitur quoddam tempus eadem referenda duximus. Sed Num. 39. ad reducem pertinet.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
129	4585	184

Demetrius Nicator regno potitus, tota Syria ob Antiochi cladem lugente, unus nihil eo casu commotus lætitiæ indulget. Phraates multas Antiochi copias bello captas secum in suas terras abducit. (*g*)

Johannes Hyrcanus Judæorum dux pugnæ illi, qua victus est Antiochus Evergetes, interfuisse non videtur, sed aut paullo ante illam, aut illa audita, cum ex Hyrcania rediret, illico in Judæam reversus esse; sane Johannem ex Parthica expeditione cum gloria reducem commendat Josephus, illudque comprobat: impositum ab Antiocho Evergete jugum, rursum Johannem excussisse. Idem strenuus dux hoc anno varia Syriæ, & Phœniciæ oppida capit: Garizim montem occupat, & templum Chutæorum schismaticorum, seu Samaritanorum diruit, quod ducentis abhinc annis a Saballete permissu Alexandri Magni excitatum fuerat. (*h*)

Phraates Arsaces captos Antiochi Evergetis milites duriter habuit: hos cum adversus Scythas educeret Arsaces, vindictæ cupidi ad Scythas transeunt; Parthi cum rege suo cæduntur. Arsaci Phraati successit in regno ejus patruus Artabanus; sed huic paullo post occiso sufficitur Mithradates Magnus. (*i*)

His Parthorum casibus videntur res Antiochi Evergetis in oriente convaluisse. Idumæos subjugat Hyrcanus (quod hoc, aut sequente anno gestum puto) eosque proposita in refractarios exilii pœna, ad circumcisionem adigit. Idumæi, Nabatæi origine, ab Esau descendentes, ita religionis Judaicæ proselyti facti sunt. (*l*)

Eclipsis lunæ spectata Athenis die VI. Novembris hora III. matutina. (*m*)

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
128	4586	185

Cleopatra Ægypti regina (mater Cleopatræ, quæ Demetrii II. uxor erat) a Demetrio genero suo auxilium petit contra Ptolemæum Evergetem II. seu Physconem, fratrem ipsius Cleopatræ, qui ob sævitiam suis invisus ex Ægypto profugit, inde mercenario milite collecto Ægyptum invadens, multa occupabat. Demetrius spe Ægyptiaci regni a Cleopatra ostentata, in Ægyptum cum exercitu properat: Pelusium oppugnat. (*n*)

Johanni Hyrcano nascitur filius, Alexander Jannæus, olim rex futurus. Simoni, Apollonio, & Diodoro, Hyrcani legatis Romæ senatus datur; Syris imperatur: Judæis omnia, ab Antiocho Evergete erepta, restituunto. Firmantur vetera, & nova, constabilita libertate, privilegia Judæis dantur: id negotium accurrante Fannio Marci filio prætore urbis. (*o*)

Eclipsis lunæ visa Athenis die XI. Maji hora V. matutina. (*p*)

Demetrio in Ægyptum profecto, Antiocheni, Apameni, aliique Syri Demetrio ob superbiam infensi, ab eo deficiunt, ad Ptolemæum Physconem mittunt, sibique alium regem e Seleucidarum stirpe dari petunt. Physcon illico submittit quendam nomine Alexandrum, Protarchi mercatoris filium, is Antiochi IV. vel

Olymp. CLXIII.

Alexandri I. filius esse jactatur. Alexandrum cum milite advenientem, Syri multi regem proclamant. Zabinas, vel Zebina hic Alexander a scriptoribus compellatur, quod vulgi convitium, Syriace *Emptitium* significat. (*q*)

28. Ca-

(*g*) Justinus lib. 39. c. 1. (*h*) Joseph. lib. 13. ant. c. 9.)(Strabo lib. 16. (*i*) Justinus lib. 42. c. 1., & 2.
(*l*) Joseph. lib. 13. ant. c. 9., & lib. 15. c. 7., & lib. 4. de bello c. 4.)(Strabo lib. 16.)(Conferatur Stephanus Byzant. in vocabulo Idumæus. Item Dio Cassius lib. 37., & Joseph. lib. 16. ant. c. 11. ubi Ammonium Grammaticum adducit. (*m*) Prolegomena nostra parte 1. c. 3. (*n*) Justinus lib. 38. c. 9.)(Athenæus lib. 5.)(Porphyrius apud Scaligerum. (*o*) Joseph. lib. 13. ant. c. 9., & 12., & 15. (*p*) Proleg. nostra part. 1. c. 3.
(*q*) Joseph. lib. 13. c. 9.)(Justinus lib. 39. c. 1.)(Alexandrum Zabinam Athenæus lib. 5. c. 17. Alexandri I. Porphyrius Antiochi IV. filium jactatum fuisse perhibent.

NUMISMATA ANTIOCHI VII. (vel VI.) EVERGETIS, vulgo SIDETIS.
TABULA XI.

Argent. II. | 28. Caput Antiochi diadematum.
ANTIοχου. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΥΡ. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΔΠΡ. *Antiochi Regis, Tyri sacræ, asylo gaudentis; anno 184.* Aquila cum ramo palmæ fulmini insistit: in area monogramma, vel alia nota. | Noster.

Est hoc rarissimum numisma citra dubium antiquum, & præter mancam quidem, sufficientem tamen τȣ̃ *Antiochi* expressionem, integrum, & bene excusum. Τὸ Δ. in epocha est plane diversa forma ab Α. in eadem aversa parte ter signati; ut adeo suspicari non liceat: Τὸ ΔΠΡ. loco τȣ̃ ΑΠΡ. lectum fuisse, quod facile alioqui fieri his in literis potest. Quod si Δ. non esset, Β. potius, quam Α. isthic esset. Igitur post initium autumni anni Juliani Æræ Seleucidarum 148. rex, aut regis Demetrii collega a Tyriis agnitus est Antiochus Evergetes.

NUMISMA CLEOPATRÆ, UXORIS DEMETRII II. & ANTIOCHI EVERGETIS.
TABULA XI.

Æneus III. | 4. Caput Cleopatræ velatum.
ΡΠΔ. id est: *anno 184.* Bos currens; in area sparsæ literæ ΒC. Δ. | Noster.

NUMISMATA DEMETRII II. ΘΕΟΥ. PHILADELPHI NICATORIS.
TABULA X.

Argent. I. | 40. Caput Demetrii diadematum, vultu barbato, totum intra lauream.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΔΠΡ. *Regis Demetrii Θεȣ̃ Nicatoris; anno 184.* Jupiter sedens, d. Victoriolam, s. hastam; in area ϛ., & Δ. | Vaillant.

Æneus III. | 41. Caput Demetrii, barba in cuspidem coëunte.
Eadem inscriptio, & epocha ΔΠΡ. *anno 184.* Apollo nudus stans, d. sagittam, s. arcum. | D.Favvkener

Argent. I. | 42. Caput Demetrii diadematum, vultu imberbi.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΔΠΡ. *Regis Demetrii; anno 184.* Cornu copiæ: in area monogramma. | Goltzius.

NUMISMATA ALEXANDRI II. vulgo ZABINÆ.
TABULA XII.

Æneus III. | 1. Caput Alexandri diadematum.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΔΠΡ. *Regis Alexandri; anno 184.* Bacchus cum amiculo stans, d. cantharum, s. thyrsum, vite obvolutum. In area tridens, vel monogramma.
Alius sine eo. | Vaillant. Noster. Haym. D.Favvkener

Æneus III. | 2. Caput Alexandri diadematum.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΔΠΡ. *Anno 184.* Anchora. In area monogramma. | Haym.

Argent. III. | 3. Similis numus, cum eodem *Anno 184.* sine monogrammate. | Theupoli.

Æneus III. | 4. Caput Alexandri diadematum.
Inscriptio charactere Phœnicio, cum epocha ΔΠΡ. *anno 184.* Figura vestitu talari ornata, navi insistens, d. extensa, s. tenet perticam cruce armatam, seu gubernaculum id sit, seu Nilometrum. | Begerus.

(42.) Demetrio Macedoniæ regi male hoc numisma attribuit Goltzius, quod epocha demonstrat.
(2.) Anchoram, Seleucidarum signum gentilitium ostentat Alexander, qui pro Seleucida vulgo obtrudebatur.
(4.) Videtur Serapis, Ægyptiorum idolum, hic referri. Alexander in Syriam ex Ægypto submissus est.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

128 | 4586 | 185 Alexander rex cum Johanne Hyrcano societatem init adversus Demetrium; inde res Judaicæ magna incrementa sumunt. (*r*)

Olymp. CLXIII. Demetrius Pelusio abscedens, adversus Alexandrum æmulum in Syriam properat. (*s*)

127 | 4587 | 186 Hyrcani, & Judæorum legati, Roma reduces clypeum, & phialam ex auro afferunt cum literis commendatitiis ad reges, & urbes liberas. (*t*) Syriacæ quædam copiæ ex Antiochi Evergetis clade in patriam elapsæ, sese Alexandro, magnam commiserationem erga ipsos præ se ferenti, adjungunt. His, & submissis a Ptolemæo Evergete suppetiis fretus Alexander in Demetrium copias ducit. (*u*) Circa hoc tempus contigisse existimo cædem Antiochi VII. (vel VI.) Evergetis, qui in Perside templum Naneæ, vel Anææ (Veneris, aut Dianæ) ingressurus, ut sub specie sibi Deam illam despònsandi thesauros inde auferret, a sacerdotibus, quibus periculum suboluit, cum paucis admissus est. Tum sacerdotes occluso templo, ex adytis proruentes regem, & socios lapidibus obruunt, abscissis capitibus trunca cadavera ejiciunt. (*x*)

126 | 4588 | 187 Propudiosa Antiochi mors in Syria suppressa, atque aliter ab aliis narrata historicis ansam dederit, in diversas adeo, uti superius dictum, de morte Antiochi sententias abeundi. Regnavit Antiochus proprie ab an. Seleucidarum Juliano CLXXIV. usque ad CLXXXVI. per annos præter propter XII. Reliquit e Cleopatra filium Antiochum, dein nonum eo nomine Syriæ regem, Philopatorem dictum, vulgo Cyzicenum. Fuit Antiochus luxui, ac potui deditus: ejus cadaver ab Arsace sepulturæ datum. (*xx*)

Demetrius ab Alexandri exercitu, conflictu ad Damascum inito, superatus ad uxorem Cleopatram Ptolemaidem fugit; sed ab eadem exclusus Tyrum petit, templi Herculis asylo se tutum fore sperans. (*y*) Vide numos anno CLXXXVI. & sequente in Demetrii honorem Tyri signatos.

Tyri Demetrius primum regie habitus, postea Cleopatra urgente multa ab inimicis passus, denique sub autumni exitum occisus est. Vide Numum numero XLVII. Tyri signatum anno CLXXXVII. ineunte. Tyriorum æra incipit hoc autumno. (*z*) Fuit Demetrius superbus ac sævus: e Cleopatra uxore duos filios suscepit, Seleucum V., & Antiochum VIII. tum filiam, quam captam Phraates duxit. De prolibus Rhodoguna Parthica uxore susceptis dicere nec suppetit, nec magnopere attinet. Regnavit Demetrius ab exilio redux annis quatuor, expletis, ut puto. (*a*)

Interea Seleucus, hoc nomine rex V. Demetrii II. e Cleopatra filius natu major, invita matre (quæ juniori filio Antiocho favebat) sese regem promulgari facit.

Alexandri II., & Seleuci V. Eusebius in Canone chronologico, & Porphyrius in catalogo regum Syriæ mentionem non fecere; attamen Porphyrius in fragmentis historicis, quæ Græce tantum a Scaligero edita sunt in Thesauro temporum, utriusque horum regum meminit; Livius quoque hunc Seleucum commemorat. (*b*)

43. Ca-

(*r*) Joseph. lib. 13. ant. c. 9. sub finem. (*s*) Colligitur ex Josephi adducto loco, & ex sequente rerum gestarum serie.
(*t*) Joseph. lib. 14. ant. c. 8. sed male Josephus Hyrcanum I. cum II. confundit. (*u*) Justinus lib. 39. c. 1. (*x*) Lib. 2. Macch. c. 1. v. 10. &c.)(Videatur hic græci codicis narratio.)(In Prolegom. nostris part. 3. c. 4. ostendimus, quæ de morte Antiochi hoc loco, anno Seleucidarum 188. data epistola, scripta habemus, de alio Antiocho, quam de Evergete, seu Sidete accipi non posse. De similibus desponsationibus principum cum deabus exempla M. Antonii Imperatoris Romani: Caji Caligulæ, & M. Antonini Elagabali Augustorum, jam allata sunt a Saliano in Annalibus Eccles. ad annum mundi 3923. & a Cornelio a Lap. atque a Tirino in c. 1. lib. 2. Macch. Dianæ Anææ (seu Naneæ) multa templa in oriente recenset Strabo pluribus locis. (*xx*) Athenæus lib. 10. e Posidonii lib. 16.)(& lib. 12. ex Posidonii lib. 14. (*y*) Justinus lib. 39. c. 1.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 9.)(Porphyr. apud Scaliger. (*z*) Porphyr., & Justinus loco eodem.)(Joseph. ibidem.)(Livii epitome lib. 60.)(Appianus Syr.)(Vide Noris de Epochis Syromaced. dissert. 4. c. 3. (*a*) Euseb. & Porphyr.
(*b*) Justin. lib. 39. c. 1.)(Porphyr.)(Livii epitome lib. 60.)(Appianus Syr.

NUMISMATA DEMETRII II.
ΘΕΟΥ. PHILADELPHI, NICATORIS.
TABULA X.

Argent. I. | 43. Caput Demetrii barbatum, & diadematum. | Vaillant.
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΠΡ. - - *Anno 185.* Aquila fulmini insistens; intra ejus pedes M. In area monogrammata.

Argent. I. | 44. Caput Demetrii imberbe diadematum. | Vaillant.
ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΕΠΡ. *Demetrii Regis, Tyri sacræ, asylo gaudentis. Anno 185.* Aquila cum palmæ ramo insistens navis rostro: clava in area, supra quam Tyri monogramma.

Argent. III. | 45. Caput Demetrii barbatum, diadematum. | Haym.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Vir nudus, cui e tutulato capite amiculum defluit, d. sertum, s. poculum gerens, pharetra a tergo armatus, insistit tergo animalis quadrupedis forma incerta, cauda canina, ad cujus occiput, imo ad collum, cornu recurvum prominet.

Argent. I. | 46. Numisma, uti Numero 42. Tyri signatum; sed cum epocha alia nempe ϚΠΡ. id est: *Anno 186.* | Vaillant. D.Favvkener

Argent. I. | 47. Numisma, uti Numero 44. Tyri signatum; sed cum epocha alia nempe ΞΠΡ. id est: *Anno 187.* | Liebe.

(43.) Tò M. legi potest Marathoniorum; nam hujus Phœniciæ urbis cives Demetrio perpetuo fideles mansisse testatur Pomponius Mela lib. 1. cap. 12.

(45.) Haymius Sardanapalum hac figura repræsentatum opinatur; quid si Hercules sit?

NUMISMA CLEOPATRÆ, Uxoris DEMETRII II.
TABULA XI.

Æneus III. | 5. Caput Cleopatræ velatum. | Nöster.
ΡΠϚ. id est: *Anno 186.* Bos currens. Sparsæ in area literæ AC. & ΕωΜ. item monogramma.

NUMISMATA ALEXANDRI II. vulgo ZABINÆ.
TABULA XII.

Æneus III. | 5. Caput Alexandri diadematum. | Vaillant. Theupoli. Noster.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΕΠΡ. *Regis Alexandri. Anno 185.* Bacchus cum amiculo stans, d. cantharum, s. hastam in area ΣΙ.

Æneus III. | 6. Simile caput, & inscriptio; sed epocha ϚΠΡ. *Anno 186.* | Noster.
Bacchus similis: in area acrostolium, & ΚΣΙ.

Æneus I. vel II. | 7. Caput Alexandri diadematum. | Noster.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΞΠΡ. *Alexandrinorum. Anno 187.* Bacchus nudus stans, d. cantharum, s. thyrsum; ad pedes tigris.

Ænei III. | 8. Caput Alexandri diadematum, & leonis exuviis tectum: | Haym.
In alio galeatum caput. | Noster.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Victoria gradiens, d. sertum; in area monogramma.
In alio simili ad pedes Victoriæ quasi amphora. | D.Favvkener

(7.) Rarissimum hoc numisma Alexandriæ ad Issicum sinum procusum esse censeo, quæ urbs in Ciliciæ, ac Syriæ confiniis sita, olim celebris erat, nunc fere deserta. Eandem porro ad Syriacum imperium cum magna Ciliciæ parte referendam esse nullus ambigo. Regis Alexandri vultum omisso nomine signavit monetarius; quod crederet ipso gentili Alexandrinorum vocabulo satis Alexandri regis nomen indicari.

(8.) Victoria Alexandri de regni æmulo Demetrio II. hoc typo significari videtur.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

125 | 4589 | 188 Judæi Palæstinæ, præcipue senatus Jerosolymitanus, & Judas (seu Essenus, seu alius e proceribus) celebraturi encænia mensis Casleu, instituta ob repurgatum templum, scribunt ad Judæos in Ægypto agentes, & ad Aristobulum, magistrum Ptolemæi Evergetis, descendentem e stirpe Aaronis. In hac epistola narratur vera mors Antiochi Evergetis Syriæ regis in templo Naneæ. Festa encæniorum mensis Casleu vocantur festum Scenopegiæ, quia more festi Scenopegiæ, quod mense Tisri celebrabatur, hæc nova festa octo dies durabant, & similes lætitiæ ritus in utroque adhibebantur. (*c*)

Seleucum V. anno regni non expleto, Cleopatra crudelis mater dolo, vel manu propria interficit, atque ante finem autumni hujus anni Juliani, juniorem filium suum Antiochum VIII. regem promulgat, & Alexandro opponit. (*d*)

Antiochus hic ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Nobilis*, seu *Illustris* titulo compellatur; vulgi dicterio *Grypus* ob nasum aduncum audiit. Potestas imperii, imo & *Reginæ* titulus, vultusque numis insertus, Cleopatræ cum filio communia fuere. (*e*) Unde etiam Antiochus ob amorem erga matrem *Philometor* a nonnullis scriptoribus dictus est. (*ee*)

Præcipui Alexandri II. duces Antipater, Clonius, & Æropus ad Antiochum VIII. deficiunt, & Laodiceam occupant. Hos tamen paullo post Alexander expugnavit, & in captivos perduelles mitem sese exhibens, magnum apud suos amorem collegit. (*f*)

Usserius in Annalibus veteris Testamenti initium regni Antiochi VIII. Epiphanis rejicit ad annum ante æram Christi CXXIII. biennio serius, quam nos. Porphyrius in fragmentis Græcis apud Scaligerum, Antiochum hunc anno II. Olympiadis CLXIV. regni negotia, regnum vero biennio post adiisse perhibet. Sed numus Antiochi cum anno CLXXXVII. evincit: Antiochum Epiphanem (seu Grypum) intra autumnos anni ante Christi æram CXXV. & CXXVI. jam cum Cleopatra matre regnasse. Petavius de doctrina temporum lib. x. cap. XLV. annum regni Antiocho Grypo, seu Epiphani, eundem, quem nos, adsignat; ast in Chronico ad annum sequentem rejicit.

124 | 4590 | 189 Alexander II. cum se in aliqua certe Syriaci regni parte stabilitum crederet, adversus Ptolemæum Evergetem II. Ægypti regem insolentius sese efferebat, a quo in solium intrusus erat. Id ægerrime ferens Ptolemæus, ingentia Antiocho Epiphani subsidia, & filiam suam Cleopatram Tryphænen sponsam offert. Antiochus

Olymp. CLXIV. utraque perlubenter acceptat, atque ita ad Antiochum, Ægyptiaco fœdere auctum aliæ, aliæque Syriaci regni urbes, relicto Alexandro, sese adjungunt. (*g*)

Res Alexandri hoc anno multum concidisse, etiam numi comprobant; nam cum certa anni nota procusi Alexandri numi, post autumnum anni proxime elapsi nulli producti sunt.

I. Ca-

(*c*) Lib. 2. Macch. c. 1.)(Conferatur Levitici c. 23.)(Rupertus Tuitiensis lib. 10. de victoria Verbi.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 10.)(Clemens Alexandr. lib. 5. Stromatum.)(Eusebius in Chronic. & Præparationis Evangel. lib. 8. c. 3.)(Vide dicta, & notata sub (*x*) pag. præcedente.

(*d*) Epitome Livii lib. 60.)(Justinus lib. 39. c. 1.)(Appianus Syr.)(Vide numum Antiochi VIII. Numero 1. (*e*) Numismata. (*ee*) Porphyrius apud Scaligerum in fragmentis Græcis.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 10.

(*f*) Diodorus Sic. in excerptis apud Valesium. (*g*) Justinus lib. 39. c. 2.)(Tryphæne, seu Tryphæna verum nomen est hujus mulieris, non vero Gryphina, ut quidam non recte detorsere ex agnomine vulgari Antiochi Epiphanis, quo is Grypus, vel Gryphus compellabatur. Tryphæne dicta est a vocabulo Τρύφων, quod significat splendidum.

Æneus III.	1. Caput Cleopatræ velatum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Bos ſtans.	Theupoli.
Æneus III.	2. Simile caput, & eadem adverſæ inſcriptio. Apollo nudus ſtans, d. ſagittam, ſ. tripodi innititur. Aliud ſimile numiſma, in area A.	Theupoli.
Æneus III.	3. Similis numus præcedenti; ſed Apollo arcui, non tripodi, ſiniſtra innititur.	Theupoli.
Æneus III.	4. Caput Cleopatræ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Dimidia navis: in area AT.	Theupoli.
Æneus III.	5. Aliud ſimile numiſma: in area Δ.	Theupoli.

(1. &c.) Utrum hi numi Seleuci V. ſint, ex vultu Cleopatræ deſumi poterat. Ego ea fide huc adſcribo, qua in Catalogo Muſei Theupolitani referuntur. Vir peritus rei numariæ veteris eum catalogum confeciſſe videtur. Attamen numus Numero 4. hic relatus videtur geminus eſſe illi, quem ſub Seleuco IV. Num. 7. ex Haymio protulimus.

NUMISMATA ANTIOCHI VIII. EPIPHANIS, vulgo GRYPI, & CLEOPATRÆ Matris.

TABULA XIII.

Argent. I.	1. Capita jugata Cleopatræ velatum, ac diadematum, & Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΞΠΡ. *Reginæ Cleopatræ: Regis Antiochi. Anno 187.* Aquila inſiſtens fulmini. In area monogram. ex Σ. & Υ. forte *Syriorum.*	Vaillant.
Æneus III.	2. Caput Antiochi diadematum. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΗΠΡ. *Reginæ Cleopatræ. Et Regis Antiochi. Anno 188.* Flos loti cum ramo palmæ. Similem iconiſmum damus ſub Num. 4.	Vaillant.
Æneus II.	3. Caput Antiochi VIII. ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗΠΡ. *Sidonis Deæ. Anno 188.* Figura partis averſæ a P. Harduino non eſt adnotata.	Harduinus.

(1.) Ex hoc numo initium regni Antiochi VIII., & finis regni Seleuci V. certa fiunt, contendendo hunc numum cum numo Demetrii II. in quo annus 187., & cum epitome Livii lib. 60. ubi Seleucus V. qui Demetrio capto, vel occiſo potius, regnare cœpit, anno non integro regnaſſe perhibetur.

NUMISMATA ALEXANDRI II. vulgo ZABINÆ.

TABULA XII.

Argent. I.	9. Caput Alexandri diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Regis Alexandri.* Jupiter feminudus ſedens, d. Victoriolam, ſ. haſtam; in area Δ. & monogramma.	Vaillant.
Æneus III.	10. Simile caput, & averſæ inſcriptio: Pallas galeata ſtans, d. Victoriolam, ſ. haſtam, & clypeum; in area quaſi litera M. & aſtrum.	Noſter.
Æneus III.	11. Caput Alexandri, cum corona radiata: cetera numus ſimilis præcedenti.	Theupoli.
Æneus III.	12. Numus ſimilis præcedenti; ſed in area literæ E. Γ	Vaillant.

 13. Ca-

TAB. XII.

Ænei III.	13. Caput diadematum Alexandri. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Duo cornua copiæ jugata, cum fascia; in area clava, & botrus, & literæ ΑΠ. Similis numus alius, sed caput Alexandri cum corona radiata.	Noster. Theupoli, & Noster.
Æneus III.	14. Similis præcedenti numus; sed in area aversæ caduceus loco clavæ.	Noster.
Æneus III.	15. Similis numus, cum corona radiata in capite Alexandri, in area ramus, & ΑΠ. In alio corona, & ΑΠ.	Vaillant. Haym. Begerus.
Æneus III. Argent. III.	16. Caput Alexandri diadematum. Similis inscriptio, & figura partis aversæ; sed in area ΣΑ. In alio Δ., qui argenteus est.	Vaillant. D. Favvkener
Æneus III.	17. Caput Alexandri, aut aliud corona hederacea cinctum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Mulier stans, tutulato capite, d. gubernaculum, s. cornu copiæ. In area litera Δ. & aliquid serto simile.	Vaillant. Haym. Theupoli.
Æneus III.	18. Caput Alexandri diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. adjunctis literis Phœniciis. Vir stans in veste talari, capite tutulato, s. tridentem gerit.	Vaillant.
Æneus III.	19. Caput galeatum, vel Palladis, vel Alexandri. Eadem inscriptio: mulier stans, d. temonem, vel anchoram; s. cornu copiæ.	Noster.
Æneus III.	20. Caput Alexandri diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Tripus.	D. Favvkener
Æneus III.	21. Navis, supra quam duo pilei Dioscurorum cum stellis. Eadem inscriptio: Tripus. In area ΑΠ., & monogramma.	D. Favvkener
Argent. III.	22. Caput galeatum. Eadem inscriptio: Victoria expansis ambabus alis stans, d. elata forte gerit fertum, s. palmæ ramum; in area X. & aliquid monogrammatis incertæ formæ.	Noster.
	Alexandri II. numisma satis aperte adulterinum, in Annalibus veteris Testamenti produxit Usserius, quod ita falsa manus inscripsit: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΖΕΒΕΝΝΟΥΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. E thesauro Goltzii adulterina hæc merx prodiit.	

4. Ca-

Numismata Alexandri II. hac, & præcedente pagina recensita, cum certi temporis nota destituta sint, huc ad finem rejicienda putavimus.

(13.) Duo cornua copiæ jugata: duos reges amicitia conjunctos, Ptolemæum Evergetem II. Ægypti, & Alexandrum II. Syriæ, enatamque inde regno Syriæ abundantiam, ac felicitatem indicare videntur. Τὸ ΑΠ. Ἀπαμέων. *Apamenorum* legendum putant; ita in numo 16. τὸ ΣΑ. ΣΑΜΟΣΑΤΕΩΝ. *Samosatenorum* Vaillantius legit.

(14.) Insolita hæc Neptuni figura, aut Osirin marinum, aut Syriacum quoddam Neptuni idolum referre videtur. Venit in mentem Ποσιδῶνος τροπαίου. *Neptuni Vertentis*, vel *Averrunci*, cui exercitus Demetrii II. sacra fecit, quod in littore, præter demersas eluvione maris hostiles Antiochi Dionysi copias, multos pisces reperisset. Vide dicta ad annum Seleucidarum 170.

(22.) Hunc numum Alexandri II., aut omnino Syriacum esse, certo præstare non ausim. Sed Viris in re numaria peritis visum est, huc eundem commodissime referri: mihi videtur Alexandro Magno tribuendus.

TABULA XIII.

Æneus III. 4. Caput Antiochi ſolius diadematum. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΠΡ. *Reginæ Cleopatræ, & Regis Antiochi: Anno 189.* Flos loti cum ramo palmæ.

Æneus III. Alius ſimilis, ſed capite cum corona radiata. D. Favvkener

Æneus III. 5. Capita jugata Cleopatræ, & Antiochi. Noſter.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Antiochenorum, qui Ptolemaide ſunt.* Cornu copiæ, & botrus. In area ΔΝ.

Æneus III. 6. Inſcriptio numi eadem, quæ in præcedente, ſed cum epocha ΘΠΡ. id eſt: *anno 189.* Caput, & averſæ partis figura a P. Harduino non ſunt deſcripta. Harduinus.

Æneus III. 7. Caput Antiochi cum corona radiata. Haym.
ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Laodicenorum ſacræ urbis, & ſuis legibus utentis.* Vir galeatus ſtans, d. haſtam. Inferius literæ ΚΛ.

Æneus III. 8. Caput Antiochi cum corona radiata. Begerus.
ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΕΝ. ΠΙΕΡΙΑ. *Seleucenſium in Pieria.* Jupiter Olympius ſtans, d. extenſa coronam porrigit, ſ. demiſſa; in area monogramma; totum intra lauream.

Æneus III. 9. Simile caput, & figura averſæ partis, Jupiter ſ. haſtam, d. coronam. Begerus.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΝ. *Antiochenorum ad Daphnen.* In area duplex monogramma.

Æneus III. 10. Similis numus cum epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ. *Antiochenorum, qui ſunt ad Callirhoën.* Jupiter ſtans, d. aquilam. Begerus.

Æneus III. 11. Similis fere numus cum epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Antiochenorum, qui Ptolemaide ſunt.* Begerus.

Æneus III. 12. Similis numus, ſed epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. C. Reg.

Æneus III. 13. Caput Antiochi diadematum. Noſter. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Regis Antiochi Illuſtris, ſeu Nobilis.* Duo cornua copiæ jugata, faſcia colligata.
Numus alius ſimilis: in area ramus, & monogramma. Noſter. D. Favvkener

Æneus III. 14. Similis numus præcedenti, ſed caput Antiochi cum corona radiata. Theupoli.

(5. &c.) Similes urbium numos ſub Antiocho IV. protulimus, ubi vide Notas ad illos numos: Antiochia ad Daphnen, Seleucia in Pieria, Laodicea ad mare, & Apamea quatuor urbes ſunt, quarum populi Ἀδελφῶν, *Fratrum* titulo jungebantur, uti ad numos Alexandri I. e Strabone adnotavimus.

(7.) Αὐτονόμου titulus hoc in numiſmate primum, quod ſciam, expreſſus legitur.

(13.) Duo cornua copiæ colligata hic quoque duos reges amicitia, & affinitate junctos, deſignare poſſunt Antiochum VIII., & Ptolemæum Evergetem II. Ægypti regem, qui ab Alexandro alienatus, Antiocho filiam Tryphænen uxorem, & militares ſuppetias dedit: uti in Annalibus dictum eſt.

Ante Chriſt.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
123	4591	190	Alexander II. videns, ſe eo in ſtatu eſſe, ut Antiochi potentiæ reſiſtere non poſſit, pugnam declinans ſibi proſpicit: theſauros regios convaſat, donaria templis etiam ſacrilegus eripit. Eadem avaritia ſtimulante cum Jovis Antiocheni fanum ſpoliaret, & ſpoliis onuſtus Græciam pètere moliretur, parum abfuit, quin a concurrente populo cum ſuis trucidaretur. Seleuciam fugienti cives portas urbis occludunt. Inde Poſidium movens littus maris oberrat. (*h*)
122	4592	191	Antiochus cum exercitu fugienti Alexandro inſiſtens ejusdem copias ad dimicandum adactas ingenti clade afficit; Antiochiam Alexander elabitur, & illic ſimulacro Jovis erepturus Victoriæ ſignum ex auro ſolido conflatum, addito dicterio: acceptandam eſſe Victoriam ſibi a Jove oblatam; a furente populo in fugam agitur, ac derelictus a ſuis in via in latrones incidit. Captivus Alexander a latronibus ad Antiochum regem deducitur: cujus juſſu, ſi Juſtinum audimus, occiſus eſt; ſi Porphyrio credere malimus, ſponte ſumpto veneno animam exhalavit. Joſephus ab utroque diverſus in pugna Alexandrum cecidiſſe commemorat. (*i*)
			Alexander II. vulgo Zabinas, vel Zebinas regnavit in parte Syriæ annis ſex; Nam initium regni certum eſt ante exitum autumni anni Juliani æræ Seleucid. CLXXXV. numis teſtibus: finem Porphyrius ſtatuit anno tertio Olympiadis CLXIV. qui hujus anni æſtate inchoatur. Fuit Alexander miti ingenio, & philoſophorum amans. (*l*)
			Antiochus VIII. Epiphanes ſublato regni æmulo, victoria obtenta clarus, & amplificata potentia ferox Cleopatræ matri, regnandi avidiſſimæ, minus ſeſe obnoxium præbebat. Ita ea res arrogantem feminam urebat, ut filio regi poculum veneno mixtum offerre auderet. Sed Antiochus, de matris ſcelere clam edoctus, idem poculum, producto facti indice, Cleopatram exhaurire coëgit. (*m*) Ea mors non niſi poſt autumnum hujus anni accidit, teſtibus numis cum nota anni 191.
			Hæc Cleopatra, Ptolemæi Philometoris Ægypti regis filia, trium regum Syriæ uxor, quatuor regum mater fuit; nempe ex Alexandro I. genuit Antiochum Dionyſum; e Demetrio II. Seleucum V., & Antiochum VIII., ex Antiocho Evergete, ſeu Sidete Antiochum IX., vulgo Cyzicenum.
121	4593	192	Cleopatra e medio ſublata, Antiochus VIII. Epiphanes per annos octo regnum quiete poſſidet. (*n*) Quam Juſtini narrationem numiſmata antiqua mire confirmant. Nam Cleopatræ numi ultimi habentur cum nota anni CXCI. Tum Antiochi IX. Philopatoris numiſmata prima prolata ſunt cum nota anni CXCIX. Fuit autem Antiochus Philopator primus, qui tranquilitatem regni Antiochi Epiphanis, vulgo Grypi, interturbaret.

15. Ca-

(*h*) Juſtinus lib. 39. c. 2.)(Diodor. Sic. in excerptis Valeſii.

(*i*) Juſtinus lib. 39. c. 2.)(Porphyrius in Græcis apud Scaligerum.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 17.)(Jovis Victoriolam porrigentis ſimulacrum, quale Antiochiæ ex auro erat, ſæpius in Syriæ regum numis repræſentavimus.

(*l*) Porphyrius apud Scaligerum.)(Athenæus lib. 5.

(*m*) Juſtinus lib. 39. c. 2.)(Appianus Syr.

(*n*) Juſtini verba lib. 39. c. 2. hæc ſunt: Sic victa regina, ſcelere in ſe verſo, veneno, quod alii paraverat, extinguitur. Parta igitur regni ſecuritate Grypus octo annis quietem & ipſe habuit, & regno præſtitit. Natus deinde illi eſt æmulus regni frater ipſius Cyzicenus &c. (Antiochus Philopator.)

EPIPHANIS, vulgo GRYPI: & matris ejus CLEOPATRÆ.

TABULA XIII.

Æneus III. 15. Caput Antiochi cum corona radiata. Noſter. Vaillant. Theupoli.
ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. qp. *Reginæ Cleopatræ, & Regis Antiochi: Anno 190.* Noctua amphoræ jacenti inſiſtens. In area monogramma ΠΡ. conjunctum.
In alio etiam aſtrum in area.

Æneus III. Similis numus ſine epocha. D.Favvkener

Æneus III. 16. Caput Dianæ cum pharetra ad humeros. Noſter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. qp. *Regis Antiochi Epiphanis: Anno 190.* Apollo nudus ſtans, d. ſagittam, ſ. arcum; inferne ramus.

Æneus III. Similis numus, ſed ſine epocha. Haym.

Æneus III. 17. Caput Antiochi cum corona radiata.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. qp. - - - *Anno 190.* Theupoli.
Aquila ſtans cum ramo palmæ.

Æneus III. 18. Caput Antiochi cum corona radiata. Vaillant.
ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Αqp. id eſt: *Anno 191.* Noctua amphoræ jacenti inſiſtens.

Æneus III. 19. Caput muliebre, modio impoſito (in noſtro numo ſine modio) Haym. Noſter.
Inſcriptio uti in præcedente numo, & epocha AqP. id eſt: *Anno 191.* Cornu copiæ.

Æneus III. 20. Similis priori numus; ſed caput muliebre diadematum: forte Cleopatræ. Haym.

Æneus III. 21. Capita jugata, Cleopatræ velatum, ac diadematum: Antiochi diadematum. Vaillant. Theupoli. D.Favvkener
ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΘΕΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Reginæ Cleopatræ Deæ (ſeu Divæ) Et Regis Antiochi.* Victoria gradiens, d. lauream, ſ. palmæ ramum; in area aſtrum.

Argent. III. 22. Caput diadematum Antiochi. D.Favvkener
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Victoria gradiens, d. ſertum.

Argent. I. 23. Capita jugata Cleopatræ, & Antiochi, uti numero 21. Begerus in Brandeburg. & Palatino Theſauro.
Inſcriptio eadem, quæ in modo dicto numo: Jupiter feminudus ſedens, d. Victoriolam, ſ. haſtam; in area monogram.
Alius ſimilis numus capite Cleopatræ gemmis ornato. D.Favvkener

Deficiunt iſthic ea numiſmata, quæ capita jugata Cleopatræ, & Antiochi VIII. exhibent; his itaque ſubjungendam duxi gemmam antiquam, quam onychem dicunt: in eadem ſcalpta exſtant capita jugata, ac diademata Antiochi, & Cleopatræ, ſed contra, atque in numis videantur; nam iſthic ad dextram præpoſita eſt Antiochi facies, cui Cleopatræ vultus ad ſiniſtram ſubjungitur. Gemma iſta deſumpta eſt e muſæo Perilluſtris Domini de France, cujus iconem dedimus in Tabula Annalibus præfixa.

(13.) Noctua amphoræ inſiſtens Athenienſium numorum frequens eſt ſymbolum: Noctua Palladi ſacra, Athenarum deæ; amphora indicat vaſa fictilia, quæ Athenis præſtantia fiebant: Athenis tenera ætate ſtudiis diu operam dedit Antiochus; in ejus rei memoriam cuſus videtur hic numus.

(16., & 17.) Hi duo numi collati cum ſequente enervant conjecturam Vaillantii, qua putabat ſe e numis collegiſſe: Antiochum VIII. titulo Epiphanis poſt mortem Cleopatræ denique compellatum fuiſſe. Forte poſt victum Alexandrum id factum eſt. Sed vereor regulas novas proferre, quas repente unicus numus de novo productus delere poſſit.

(21., & 23.) Deæ, vel Divæ titulus utrum Cleopatræ vivæ, vel mortuæ tantum datus ſit, e numis hactenus prolatis decidi non poteſt. Nihil vero obeſt, quin vivæ arrogantiſſimæ feminæ hic honos addictus ſit, uti conſtat de Antiocho IV., Demetrio I., & Demetrio II. Imago victoriæ de Alexandro relatæ hic exhibetur.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.
120 | 4594 | 193
Olymp. CLXV.

Eusebius hujus anni semestri posteriore, vel sequentis priore, id est Olympiadis CLXV. anno primo ab Johanne Hyrcano (qui per errorem Jonathan appellatur) Samariam obsessam, & solo æquatam esse perhibet. Sed si Josepho fides, lapsus hic est Eusebius. Nam Antiochum IX. Philopatorem, vulgo Cyzicenum, Samaritanis suppetias venisse, Josephus tradit. Porro hoc anno nondum in Syriam pedem intulit Antiochus IX. numis, & scriptoribus consentientibus. Neque probabile est, antea Antiochum IX. Samaritanorum bello se immiscuisse, quam pace cum Antiocho VIII. constituta, regni partem securus possideret. Itaque de hoc bello Samaritano rectius suo loco inferius agetur. (o)

119 | 4595 | 194
- - - | - - - | - - -
- - - | - - - | - - -

Hisce annis vix quidquam memoratu dignum occurrit; propterea, quod pacate regnaret Antiochus VIII., bella vero apud veteres historicos utramque fere paginam faciant. Ex Athenæo quædam excerpsit Vaillantius, quæ idcirco ennarrari hic possunt, quia alia desunt; sed & istorum incerta sunt tempora.

Diogenes quidam Epicureus, Seleucia Babyloniæ urbe oriundus, ingenio, & eloquentia pollens, qui Alexandro II. regi pergratus erat, subinde ob virulentam linguæ licentiam Antiochi VIII. jussu jugulatus est.

Antiochum Grypum convivia exquisito luxu celebrasse, iisque plurimos convivas accepisse, etiam Athenæus prodidit: ac parasitos inter celebre tum erat Apollonii nomen. Ludos quoque ad Daphnen celeberrimos hic Antiochus celebravit, more Antiochi IV. unde similes numorum urbium aversæ partes cum Jovis coronam porrigentis simulacro sub utroquc hoc Antiocho comparent. Similes Antiochi VIII. nūmos dedimus a Numero VI. ad XI., quia illic locus numis epocha destitutis erat, hic non item. (p)

116 | 4598 | 197
Olymp. CLXVI.

Antiochus VIII. vulgo Grypus, sibi metuit a fratris sui Antiochi Evergetis filio, qui etiam Antiochus appellabatur, vulgari cognomine Cyzicenus dictus, quod a matre Cleopatra parvulus Cyzicum in Hellespontum missus, atque illic a Cratero eunucho educatus esset. Huic Antiocho Cyziceno varias per hæc tempora Antiochus Grypus insidias struebat. Itaque Cyzicenus serio sibi prospicere, & subsidia circumspicere cœpit. (q)

Ptolemæo Evergeti II. seu Physconi in Ægypto succedit Ptolemæus Lathurus, qui & Soter II. sed invita matre Cleopatra, quæ Alexandro, filio juniori favebat.

115 | 4599 | 198

Judæorum felicem sub Johanne Hyrcano statum, & potentiæ incrementa ægre ferens Antiochus VIII. Grypus, in eosdem bellum meditatur. Verum de Antiochi Cyziceni molitionibus, in Asia inchoatis; edoctus, adversus eundem vim omnem belli comparat. (r)

Cleopatra in Ægypto Ptolemæum Lathurum filium suum cogit uxorem sibi charam, eamque sororem Cleopatram juniorem dimittere, ejusque loco Cleopatram Selenen juniorem sororem ducere. Cleopatra junior repudiata nubit Antiocho Cyziceno, eidemque dotis nomine exercitum Cypri (alii legunt Grypi) solicitatum adducit. His copiis fretus Antiochus Cyzicenus in Syriam tendit. (s)

24. Ca-

(o) Euseb. in Chronico posteriore.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 10., & 11. (p) Athenæus lib. 5. c. 9., & lib. 6. c. 6., & lib. 12. c. 19.)(Vaillant. historia regum Syriæ pag. 340. (q) Justinus lib. 39. c. 2., & 3.)(Porphyrius in Græcis apud Scalig.)(Appianus Syr.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 10. (r) Joseph. ibid.

(s) Justinus lib. 39. c. 3.)(Porphyr. in Græc. apud Scalig.)(Pausanias in Atticis.)(Trogus Pompejus in Prologo libri 39., & 40.)(Mihi præplacet lectio: Exercitus Cypri præ altera: Exercitus Grypi. Nam cur exercitus Grypi, seu Antiochi Epiphanis ab Ægyptia regia femina solicitatus ad Antiochum Cyzicenum deficeret, satis causæ non video.

NUMISMATA ANTIOCHI VIII.
EPIPHANIS, vulgo GRYPI.
TABULA XIII.

Æneus III. 24. Caput Antiochi cum corona radiata. — Nofter. Vaillant.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Bqp. *Regis Antiochi Illuftris*, vel *Nobilis*, *Anno 192*. Aquila ftans cum ramo palmæ.

Æneus III. 25. Similis numus præcedenti; fed epocha alia: Γqp. id eft: *Anno 193*. Infra aquilam alter ramus. — Vaillant.

Argent. I. 26. Caput Antiochi diadematum, intra lauream. — Vaillant.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Δqp. id eft: *Anno 194*. Vir omnino nudus ftans, cujus laureato capiti luna falcata imminet, d. aftrum, f. haftam gerit; in area duo monogrammata. Omnia intra lauream.

Argent. I. 27. Similis numus; fed fine epocha, & vir nudus amiculum rejicit: in area M. tantum. — Begerus. D.Favvkener

Numifmata Aradiorum liberorum, & Tyri facræ, atque afylo gaudentis anno Seleucidarum CXCIII., & CXCIV. fignata fine nomine, aut vultu regis vide inferius ad annum Seleucidarum CIX.

Argent. I. 28. Caput Antiochi diadematum intra lauream. — Vaillant.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Eqp. id eft: *Anno 195*. Aquila ftans cum ramo palmæ; inferius cornucopiæ.

Argent. I. 29. a. Caput Antiochi diadematum, intra lauream.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Ζqp. id eft: *Anno 197*. Vir feminudus ftans, d. aftrum, f. haftam, capiti aliquid imminere videtur. In area literæ IE A Omnia intra lauream. — Vaillant. Begerus in Palatino.

Aureus I. 29. b. Simile numifma priori, fed fine epocha, & in area averfæ ΔI. fupra caput figuræ ftantis luna falcata: notanda litera Ω ita fcripta ∇. elegantiffimum eft, & rariffimum. — C. Reg.

Æneus III. 30. Caput Antiochi diadematum.

ΒΑ - - - ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Hqp. id eft: *Anno 198*. in area Ξ. Aquila ftans. Vide iconifmum Num. 24. ifti quoque numo congruentem. — Nofter.

(26., & 29.) Hoc fimulacrum Jovis effe cenfeo, cœli, ac terræ præfidis crediti, qui folis, & lunæ vicaria luce dies, noctesque, atque adeo aftrorum curfum, ac tempora omnia moderari putaretur. Ab Romanis hic Jupiter *Diefpiter*, id eft: Diei Pater; & ob lucem appellabatur: *Lucetius* ab Ofcis, tefte Servio in lib. 9. Æneid. v. 570. Ab Latinis, & Græcis voce licet Punica. *Hammon* idem dictus eft, cornuto, & radiato capite decorus ob valorem, & vires radiorum folis. Ab Syris denique, & Hebræis Baal-Schemen, vel Baal-Schamaim: *Dominus Cæli* appellatus invenitur. Utrum vero cum Vaillantio ex hac Jovis aftrigeri figura colligere liceat, uti olim fomniavit Scaliger, hoc fymbolo indicari, duplicem Syro-Macedonibus annum fuiffe, civilem alterum lunarem, alterum facrum folarem; id equidem adduci non poffum, ut omnino credam.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
114	4600	199	Syriam cum exercitu ingressus Antiochus Cyzicenus, quædam oppida primum, deinde metropolin Antiochiam obtinet. Hac æstate, vel autumno regem Syriæ se palam ferre incepit Antiochus, vulgo Cyzicenus, cognomine vero *Philopator*, seu *Patris amans*, nempe Antiochi Evergetis, cujus e Cleopatra filius erat. Numi hujus Antiochi Philopatoris incipiunt ab exeunte istius anni autumno.
113	4601	200	Duo fratres Antiochi prælium acre cum suis uterque copiis committunt: Antiochus Philopator vincitur, ac fugatur. Antiochus Epiphanes victor illico Antiochiam obsidet, eamque in potestatem redigit. Occupata urbe, Tryphæne, Antiochi Epiphanis conjux, Cleopatram juniorem sororem suam, Antiochi Philopatoris uxorem, sollicite inquirendam curat, eamque in templo, quo confugerat, immissis militibus, æmulatione furens Tryphæne occidi jubet, ipso Antiocho Epiphane conjugem a parricidio nequidquam dehortante. (*t*)
112	4602	201	Altera pugna sub hujus æstatis finem congressi sunt fratres;
Olympias CLXVII.			Antiochus IX. Philopator vincit, captamque Tryphænen, ut Cleopatræ suæ necem talionis pœna vindicaret, enecari imperat. Antiochus VIII. Epiphanes victus, & regno exactus, Aspendum Pamphyliæ urbem fugit, quam ob rem a Josepho, & Porphyrio *Aspendius* quoque appellatur, quem dicax vulgus alioqui Grypum compellaverat. (*u*)
			Porphyrius Antiochi Philopatoris regnum ab hac pugna inchoat, quam refert ad annum primum Olympiadis CLXVII. Recte Porphyrius undecim regni annos, completos intelligo, usque ad hunc annum Antiocho VIII. tribuit, etsi non recte statuat initium regni Antiochi VIII., & Antiochi IX.; quod utrumque, numis suadentibus, anteriora tempora sibi deposcat.
111	4603	202	Post initium æstatis hujus anni, seu anno secundo Olympiadis CLXVII. ex mente Porphyrii Antiochus VIII. Aspendo redux Syria potitur, Cœlesyriam Antiochus IX. obtinet. Tandem inter fratres Antiochos de pace conventum est, & regnum Syriacum inter sese partiti quievere. (*x*)
			Antiochus IX. Philopator de sua regni parte securus luxui, crapulæ, mimis, & histrionibus sese dedit. Delectabatur etiam certis animalium simulacris, quæ artificiosis machinæ nexibus constructa una manu moverentur. Idem venationibus ferarum etiam cum vitæ periculo sese exercebat. (*y*)
			Alexander Jannæus, Johannis Hyrcani filius XVI. annos natus ex Alexandra uxore filium suscipit, Hyrcanum dictum. (*z*) Sidoniorum æra hoc anno cœpit. (*a*)
110	4604	203	Johannes Hyrcanus duobus Antiochis inter se dimicantibus, quietum servans principatum, opes, ac potentiam auxerat. Samaritanis idem bellum infert, quod Marissenos injuriis affecissent, subditos quidem Syriæ regibus, sed colonos, ac socios Judæorum, nempe ex Idumæis proselytos. Samariam itaque munitissimam urbem Hyrcanus obsidet, & obsidionem urgendam Antigono, atque Aristobulo filiis committit. Samaritæ fame, & armis pressi ab Antiocho IX. Philopatore suppetias impetrant; sed subsidiarias Antiochi copias Aristobulus vincit, ac fugat. (*b*)

1. Ca-

(*t*) Justinus lib. 39. c. 3.)(Euseb. & Porphyr. (*u*) Justin. ibid.)(Eusebius errat, dum annos regni tantum quatuor Antiocho VIII. tribuit ante fugam Aspendum.)(Joseph. de bello Jud. lib. 2. c. 2.)(& lib. 13. ant. c. 9., & 10. Sed errat Joseph. dum Antiochum IX. Philopatorem etiam Aspendium appellat.)(Porphyr. in Græcis apud Scalig.)(Appianus in Syr. (*x*) Joseph. locis citat. & Porphyr. (*y*) Diod. Sic. lib. 35. in excerptis Valesii.)((*z*) Joseph. lib. 15. ant. c. 9.)(Hæc Alexandra etiam Salina dicitur, estque diversa a Salome Aristobuli. (*a*) Vide Noris de Anno, & Epoch. Syromac. Differt. 4. c. 5. & P. Harduini Chron. Vet. Test. (*b*) Joseph. lib. 13. ant. c. 10., & 11.

NUMISMATA ANTIOCHI IX. PHILOPATORIS, vulgo CYZICENI.

TAB. XIV.

Æneus III. 1. Caput Antiochi diadematum, modice barbatum. Nofter. Vaillant. Haym. Begerus. Theupoli.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. Θqp. *Regis Antiochi Philopatoris: Anno 199.* Fulmen alatum. In area monogrammata, vel notæ.

Æneus III. 2. Similis numus præcedenti, fed cum alia epocha, nempe Σ. id eft: *Anno 200.* Quæ litera eodem averfæ partis loco legitur, quo in numo præcedente epocha altera, eaque certa legebatur. Nofter. Theupoli.

NUMISMATA ANTIOCHI VIII. EPIPHANIS, vulgo GRYPI.

TAB. XIII.

Argent. I. 31. Numifma ut Numero 29. a. fed epocha: Θqp. *Anno 199.* D.Favvkener

Æneus III. 32. Caput Antiochi diadematum. Nofter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Σ. *Regis Antiochi Epiphanis: Anno 200.* Aquila fulmini infiftit.

* Numifma huc refert Begerus, quod ego potius Antiocho I. tribuendum puto; fane Epiphanis titulus, & facies regis abeft. En illud: Caput muliebre velatum, quod Tryphænæ Begerus tribuit.

Æneus III. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Caput elephanti; infra id: Σ. quod Begerus legit: *Anno 200.* Similes numos dedimus fub Antiocho I. Numero 6. & 7. cum variis literis incertæ fignificationis. Begerus.

NUMISMATA ANTIOCHI IX. PHILOPATORIS, vulgo CYZICENI.

TABULA XIIII.

Argent. I. 3. Caput Antiochi diadematum, modice barbatum.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΑΣ. id eft: *Anno 201.* Pallas galeata ftans, d. Victoriolam, f. haftam; omnia intra lauream. Begerus.

Argent. I. 4. Similis numus, fed fine epocha; in area monogrammata. Et in alio alia. Vaillant. Beger Palat.

Æneus III. 5. Caput laureatum, cum barba magis promiffa; Jovis effe videtur. Nofter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΓΣ. id eft: *Anno 203.* Pallas ftans, ut in præcedentibus; in area monogramma.

Ænei III. 6. Similes numi, cum capite Jovis, & Pallade; fed fine epocha. Haymius Palladem offendit, dextra avem geftantem. Theupoli. Haym.

Æneus III. 7. Caput Antiochi cum corona radiata. Vaillant.
Pars averfa, ut Numero 5. fed fine epocha, & fine laurea.

Æneus III. 8. Caput cum humero alato, Victoriæ, vel Cupidinis. Nofter. Haym. Begerus. Theupoli.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. Victoria gradiens, d. coronam, vel in aliis ramum. In area Δ. In aliis monogramma.

Bbb 2 Sama-

(1.) Seleuciæ in Syria cufus eft numus, de fulmine fub Seleuco I. dictum.
* Haymius quoque Τὸ Σ. hic non effe epocham ex eo oftendit, quod in fimilibus aliis numulis aliæ literæ legantur, nempe in uno Κ. in altero Ξ.
(8.) Victoria Antiochi Philopatoris de Antiocho Epiphane relata hic expreffa videtur.
(1. 2. 3. 4. &c.) Antiochus aliquamdiu Cyzici velut exul cum vixerit, videtur barbato vultu exprimi voluiffe, barbamque aluiffe.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

109 | 4605 | 204 Samaritani ad extrema redacti rursum Antiochi IX. Philopatoris opem anxie implorant: Is obtentis a Ptolemæo Lathuro aliquot armatorum millibus Judæam latrociniis potius, quam bello impetit; sed multis suorum, cum Judæi ex insidiis in hostes irruerent, desideratis, Tripolin se recipit Antiochus IX. belli imperio in Callimandrum, & Epicratem translato. Callimander a Judæis cæditur: Epicrates iisdem Scythopolim, & alia oppida per proditionem tradit. Johannes Hyrcanus Samariam, tolerata annua obsidione occupatam solo æquari jubet.

108 | 4606 | 205 Seleucienses in Pieria Syriæ regione Ἀυτονομίαν hoc anno adepti (id est: facultatem propriis legibus utendi) epocham inde exorsi sunt. (*d*)

Olymp. CLXVIII. Johannes Hyrcanus a Pharisæis, quorum sectæ antea adhæserat, offensus, & a Jonathan Sadducæo sollicitatus, ad Sadducæorum amicitiam, & consortium transiit. Magnæ hinc exortæ contentiones, quas tum quidem Hyrcani auctoritas composuit; sed ejus filii odium apud populum, concitantibus Pharisæis, contraxere. (*e*)

107 | 4607 | 206 Supremum diem hoc anno obiit Johannes Hyrcanus Macchabæus, Judæorum supremus pontifex, & princeps, anno gubernii sui vicesimo nono; qui etiam prophetiæ dono, si Josepho testi fides, clarus habebatur. (*f*)

Post obitum Johannis Hyrcani, ut conjicit Usserius, cum scelerum licentia inter Judæos invalesceret, lapides pretiosi in pectorali pontificis, & sardonyx in dextro ejus humero poni solitus, fulgorem illum edere desierunt, e cujus varia micatione Deus futura antea sæpe significaverat, aut in rebus dubiis, quid agendum esset, indicaverat. (*g*)

Judas, filiorum Hyrcani natu maximus, patri successit, idem Græco nomine Aristobulus, atque Philellen dictus est, hoc propterea, quod arcta Græcorum familiaritate uteretur. Hic Aristobulus primus principum post reditum Israëlis e captivitate Babylonica regia insignia, regisque titulum adsumpsit; sed uno duntaxat anno, & quod excurrit, cum gubernasset, a Strabone pro rege non habetur.

Antigonum fratrem regni socium deligit Aristobulus; fratres reliquos una cum matre in carcerem abduci jubet; denique matrem, cui Hyrcanus moriens rerum summam commiserat, fame in carcere enecat. (*h*)

Cleopatra senior filio suo Lathuro alteram jam & sororem, & conjugem Selenen eripit, eumque dolis Ægyptio regno depellit, Alexandrum, juniorem filium, regem instituit. (*i*) Selene Syriæ regina fiet.

33. Ca-

(*c*) Joseph. lib. 13. ant. c. 10. (*d*) Eusebius ad annum primum Olympiadis 168.)(sed Fasti Siculi ad annum quartum Olympiadis 167. Numorum testimonio inductus Norisius de Anno, & epochis Syromacedonum Dissert. 3. c. 8. Fastos Siculos sequitur.

(*e*) Joseph. lib. 13. ant. c. 10.)(Pharisæi suis traditionibus inhærebant, quas curiose observantes aliis sese sanctiores putabant, & velut a dyscolis se *separantes*, *Pharisæi* פרשום dicti sunt, a radice פרש separavit. Ipsi Pharisæi antea *Hassidæi* appellati sunt חסורום quod vocabulum *Pios*, vel *Beneficos* significat. Sadducæi ab auctore sectæ Zadoc ita dicti, cujus socius erat Baithos, scripturæ sacræ tantum inhærebant, quales nunc *Caraïtæ* appellantur inter Judæos, quasi *Lectores* scripturæ dicas, Talmudistis, seu Traditionariis oppositi. Sadducæi resurrectionem negabant, quod Caraïtæ, saltem plerique, jam non faciunt.

(*f*) Josephus lib. 1. belli c. 2., & lib. 13. ant. c. 10., & lib. 20. c. 10.)(Videatur Eusebius lib. 8. demonstrat. Evangel.)(& S. Hieronymus in c. 9. Danielis. (*g*) Joseph. lib. 3. ant. c. 7. Hi lapilli in pectorali sacerdotis *Urim Illuminationes*, & *Tummim Perfectiones* dicti censentur Exodi c. 8. Vide in hoc caput Serarium, & Cornelium a Lapide, vel alios. (*h*) Joseph. lib. 1. belli c. 3., & lib. 13. ant. c. 11., & lib. 20. c. 10. Eusebius Chronico poster. (*i*) Justinus lib. 39. c. 4., & lib. 40. c. 4.)(Pausanias Attic.

NUMISMATA ANTIOCHI VIII. EPIPHANIS, vulgo GRYPI.

TABULA XIII.

Argent. - - | 33. Caput Antiochi folius diadematum. | Harduinus.
ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΕΣ. *Regis Antiochi. ΑΣ. facræ, afylo gaudentis, Anno 205.* Aquila ftans cum ramo palmæ. Tò ΑΣ. Harduinus legit Πρώτης Συρίας. *Primæ Syriæ urbis Tyri,* cui hunc numum tribuit ob aquilæ figuram in Tyriorum numis frequentem. Sed forte Tò ΑΣ. *Afcalonitas* denotat; nam altera lectio infolita eft.

Argent. III. | 34. Simile caput Antiochi. | D.Favvkener Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Tripus. Monogr.

Æneus III. | 35. Caput Antiochi diadematum. | Vaillant.
Eadem infcriptio. Duæ amphoræ ftantes.

Ænei III. | 36. Caput Antiochi cum corona radiata. | Nofter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Fulmen alatum cum bipenne, five fecuri adjuncta.
In alio fimili numo fulmen folum. | Vaillant.
In alio monogramma additum. | Nofter.

Æneus III. | 37. Simile caput Antiochi cum corona radiata.
Eadem infcriptio. Aquila ftans cum ramo palmæ, & ΕΣ. id eft: *Anno 205.* | Nofter.

Argent. I. | 38. Caput diadematum Antiochi. | D.Favvkener
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ϛΣ. *Anno 206.*
Aquila ftans.

Æneus III. | 39. Caput Jovis barbatum laureatum. | Nofter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.
Mulier navi infiftens, d. temonem, vel anchoram, f. cornu copiæ.
In alio monogramma. | D.Favvkener

NUMISMATA ANTIOCHI IX. PHILOPATORIS, vulgo CYZICENI.

TABULA XIIII.

Æneus III. | 9. Caput Antiochi diadematum imberbe. | Nofter.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΕ. *Regis Antiochi Philopatoris, Anno 205.* Victoria gradiens, d. coronam, f. veftem adducit: in area Π.

Æneus III. | 10. Caput Antiochi cum corona radiata. | Nofter.
Eadem infcriptio, & epocha ΕΣ. *Anno 205.* Aquila cum ramo palmæ.

Æneus III. | 11. Caput Antiochi diadematum, modice barbatum. | Vaillant. Theupoli.
Eadem infcriptio, fine epocha. Bacchus veftitus ftans, d. cantharum, f. thyrfum, vel haftam.

Æneus III. | 12. Caput Antiochi imberbe apud Haym. (apud Vaillant. barbat.) | Haym. Theupoli. Vaillant.
Eadem infcriptio: Jupiter fedens, f. haftam, d. Victoriolam.
In alio haftam.

Æneus III. | 13. Caput Palladis galeatum.)(Eadem infcriptio. Dimidia navis. | Haym.

Æneus III. | 14. Caput pelle leonina tect.)(Clava Herculea. Similem typum vide numo 8. Antiochi VII. Evergetis. | Theupoli.

Argent. I. | 15. Caput Antiochi diadematum. | D.Favvkener
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΙΔΩνος ΙΕΡας. ΑΣΥλου. Ε. *Regis Antiochi Philopatoris: Sidonis facræ, afylo gaudentis; Anno 5.* Pallas ftans, d. Victoriolam, f. haftam. Æra Sidonis cœpit anno Seleucid. 202. hic ergo eft 207.

(14.) Herculem in occidendis belluis imitari ftudebat Antiochus Philopator, tefte Diodoro Sic. lib. 35. qui narrat: Antiochum fæpe clam noctu cum uno, alterove famulo egreffum pardos, leones, garos venatum fuiffe; nonnunquam cum feris temere congreffum, in extremum fefe vitæ amittendæ periculum conjeciffe.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

106 | 4608 | 207 — Ariſtobulus rex Ituræos armis adortus ſibi ſubjicit, eosdemque circumciſionem, & reliquos Judaicæ religionis ritus admittere compellit, eo bello per Antigonum fratrem maxima ex parte confecto. (*l*)

Antigonus itaque cum ex hac adverſus Ituræos expeditione plenus gloria rediiſſet, & magno cum ſplendore templum ingreſſus eſſet, contraxit multorum invidiam, atque ipſius Ariſtobuli; fraudibus vero Alexandræ reginæ in inſidias inductus obtruncatur.

105 | 4609 | 208 — Rex porro Ariſtobulus jam ab aliquo tempore e morbo decumbens, & recens imperati parricidii pœnitudine afflictus, copioſum evomens ſanguinem, inter acerbos cruciatus perit. (*m*)

Alexandra (eadem Salome) Ariſtobuli conjux ejusdem fratres carcere educit, Alexandrum Jannæum fratrum natu majorem, & modeſtia inſignem, regem conſtituit. Alexander Jannæus regiam poteſtatem nactus, fratrum alterum Abſolomum (qui ſubinde a Pompejo captus eſt) magno in honore habuit: alterum vero ſibi inſidias molientem e medio tollendum curavit. (*n*)

In Syriæ regno duo fratres Antiochi Epiphanes, ſeu Grypus, & Philopator, ſeu Cyzicenus mutuis ſeſe bellis, cladibusque atterunt, atque ita ad interitum Syriaci Seleucidarum imperii præcipua ſeſe inſtrumenta præbent. Interea Zoilus tyrannum ſeſe effert Turre Stratonis, & Dora urbibus occupatis. Alexander Jannæus etiam tempore uſus, Ptolemaiden oppugnat, Syriæ regibus ſubditam; urbi obſeſſæ reges ſuccurrere negligunt, aut non audent: Zoilus tyrannus ſuppetias mittit, ſed parum validas; itaque Ptolemaidenſes Ptolemæum Lathurum factis magnificis promiſſis in auxilium vocant, qui per matrem Cleopatram Ægypti regno exactus, Cyprum hoc tempore obtinebat.

Advenientem cum copiis Ptolemæum Lathurum Ptolemaidenſes, ita ſuadente Demæneto cive, non admittunt in urbem; Alexander Jannæus tamen obſidionem ſolvit veritus, ne Lathurus cum Zoilo, & Gazæis (qui arma conſociarant) Judæam depopularentur. (*o*)

Alexander Jannæus ſimulat ſe Ptolemæi Lathuri amicitiam quærere, eumque in Zoilum incitat; ſed clam Jannæus Cleopatræ copias adverſus Lathurum accerſit. Id ubi Lathuro ſuboluit, initum cum Jannæo fœdus diſſolvit. (*p*)

104 | 4610 | 209 — Olymp. CLXIX. — Ptolemæus Lathurus Judæos bello impetit: aliquas urbes capit. Alexander Jannæus magno cum exercitu hoſti occurrit. Poſt varias belli vices Alexander a Lathuro vincitur, cadunt Judæorum XXX. millia, aut etiam plura: mulierum, ac infantium barbara ſtrages a Lathuro editur, ut eo terrore Judæi reliqui fracti ſe ſubmitterent. (*q*)

Aſcalonitæ obtenta Ἀυτονομίᾳ æram propriam inchoant: itemque Ramatheni. (*r*)

Eclipſis ſolis viſa Romæ die XVIII. Julii circa horam IV. matutinam. (*s*)

Dum

(*l*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 11.)(Strabo lib. 16. (*m*) Joſeph. lib. 1. belli c. 3., & lib. 13. ant. c. 13.
(*n*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 12., & lib. 14. c. 4. (*o*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 12. (*p*) Idem ibidem.
(*q*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 12., & 13.)(Strabo lib. 16. ex Nicolao Damaſc. (*r*) Faſti Siculi, & Euſebius in Chronico poſteriore ad Olympiadis 169. annum primum.)(Videri poteſt Noriſius de anno, & epochis Syromacedonum, & Harduinus in Chronologia Vet. Teſtamenti.
(*s*) Julius Obſequens de Prodigiis.)(Vide Riccioli Almageſti Novi lib. 5. c. 19.)(Conſules Romæ erant C. Marius iterum, & C. Flavius Fimbria, & non C. Flaccus.

Dum duo reges Syriæ Antiochi Epiphanes, & Philopator partim luxui indulgent, partim mutuis ſeſe bellis laceſſunt, & enervant; nonnullæ Syriaci imperii urbes regum imbecillitatem, ac indigentiam in ſuæ libertatis occaſionem vertunt. Itaque urbes aliæ poſt alias 'Αυτονομίαν, aliave privilegia, atque immunitates a regibus, aut ultro offerentibus accipiunt, aut armatis precibus extorquent: aut ſuis ſeſe viribus in libertatem adſerunt. Ejus rei teſtes ſunt cum ſcriptoribus ſuo loco laudatis, numi veteres Syriacarum urbium, qui circa hæc præcipue tempora ſine regis vultu, aut nomine ſignata habentur, quique non raro propriæ urbis epochæ characteres numericos exhibent.

Ne urbium liberarum numi cum regum numis nimium commiſcerentur, duos primos numos, etſi ad anteroira tempora referendos (quod ſuo loco indicavimus) hic reliquis præfiximus.

Argent. I. * 1. Caput muliebre turritum velatum; genium urbis munitæ refert. Theupoli.
ΑΡΑΔΙΩΝ. ΒΜΡ. ΖΝ. *Aradiorum, Anno 142.* Victoria ſtans, d. acroſtolium; in area laurea.

Argent. I. * 2. Caput imberbe laureatum Herculis Tyrii. Begerus in Brand.
ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. LH. *Tyri ſacræ, & aſylo gaudentis, Anno 8.* Aquila ſtans cum ramo; in area clava, & NI.

(* 1.) Aradiorum æra iniit in autumno anni Seleucidarum 52. addendo 141. pervenitur ad autumnum anni Seleucid. 193. quo cœpit annus 142. Aradiorum. Vide Annales ad annum Seleucid. 193., & 52.
(* 2.) Tyriorum æra cœpit in autumno anni Seleucid. 187. ineuntis, additis 7. prodit annus Seleucidarum 194. in autumno iniens, quo cœpit annus octavus Tyriorum. Vide Annales.

Æneus III. * 3. Caput muliebre quaſi ſpicis ornatum. Noſter.
ΤΥΡ. (monogramma) ΙΕΡΑΣ. ΑΣΥ. ϚΣ. *Tyri ſacræ, aſylo gaudentis, Anno 206.* Navis cum literis Phœniciis.

Æneus * 4. - - - Spanheim.
ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΖΣ. *Antiochiæ Metropolis, Anno 207.* Figuræ non adnotantur.

Argent. I. * 5. a. Caput muliebre turritum, & velatum. Noris.
ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Δ. *Seleucienſium ſacræ, & propriis legibus utentis, Anno 4.* Fulmen cum tæniis, menſæ impoſitum.

Æneus III. * 5. b. Caput muliebre turritum. De France.
Μ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣ. ΘΣ. *Metropolis Tyri ſacræ aſylo gaudentis, Anno 209.* Palma.

(* 3, & 4.) Æra Seleucidarum in quibusdam numis adhuc uſi videntur Tyrii, & Antiocheni, cum in aliis Tyrii æra propria uterentur; niſi cui libeat hoſce numos ad Auguſtorum tempora ſubmovere.
(* 5.) Seleucienſium æra cœpit anno Seleucidarum ineunte 204., quare quartus epochæ hujus urbis annus inchoatur autumno anni Seleucidarum 207.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
103	4611	210	Cleopatra senior Ægypti regina commota prosperis in Syria belli successibus Ptolemæi Lathuri filii sui, quem ipsa Ægypto exegisset, bello terra, marique apparato contra eundem Lathurum arma expedit, ut Ægypto ne victor immineret. Itaque Cleopatra copiis suis Chelciam, & Ananiam Judæos præficit, filios ejus Oniæ, qui Heliopoli templum exstruxerat.
			Ptolemæus Alexandri Jannæi filius Cleopatræ jussu cum classe in Phœniciam venit, & Ptolemaidem obsidet. Lathurus interea relicta Syria Ægyptum, quam armatorum præsidiis vacuam credebat, frustra tentat. (*t*)
102	4612	211	Lathurus Ægypto abstinere coactus Gazam in Palæstinam se recipit. Ptolemais a Cleopatræ exercitu expugnatur: illic Cleopatra advenientem Alexandrum Jannæum, a Lathuro multa passum, honorifice excipit, & cum eo amicitiam, & fœdus instaurat. Alexander expeditionem in Cœlesyriam suscipit, Gadaram obsidet. (*u*)
			Cleopatra, ut ampliora sibi adversus Lathurum filium pararet subsidia, eidemque ægerrime faceret, cum Antiocho VIII. Epiphane fœdus init, eidemque Cleopatram Selenen, quam Lathuro secundam conjugem abripuerat, uxorem offert, atque validis cum copiis Antiocho submittit. (*x*)
			Hæc Selene soror erat Tryphænæ, quacum priore matrimonio junctus erat Antiochus Epiphanes.
			Circa hæc tempora Syria vicinorum Arabum latrociniis liberius infestatur. Cilices quoque Syriæ regum imperio sese subtrahentes piraticis excursionibus vicinis multa damna inferunt; sibi vero opes, & libertatem parant. (*y*)
101	4613	212	Alexander Jannæus Gadaram post decem mensium obsidionem occupat. Idem castro Amathunte, ad Jordanem fluvium sito, potitur; sed paullo post ibidem a Theodoro Zenonis tyranni filio magna clade afficitur. Instaurato exercitu Jannæus Rhaphiam, & Anthedonem subjugat. (*z*)
100	4614	213	Ptolemæus Lathurus Gazam deserit, omnique Syria excedens in
Olymp. CLXX.			Cyprum revertitur, ubi Ægypto expulsus regnabat. Hisce temporibus, dum Cleopatra, Ægypti regina, Antiochum VIII. Epiphanem in constituto fœdere firmare, & Ptolemæus Lathurus Antiochum IX. Philopatorem suis partibus adjungere contendunt; Syria bellis civilibus, & fraternis dissidiis amplius involvitur. (*a*)
- - -	- - -	- - -	
98	4616	215	Alexander Jannæus Gazensibus infensus, quod Lathurum acci- vissent, ac juvissent, eorum agrum evastat, & urbem oppugnat. Noctu eruptione facta Gazenses obsessoribus magna damna inferunt; sed appetente die Judæi Gazenses cum clade repellunt. Deditionem isti tamen negant. (*b*)

* 6. Ca-

(*t*) Joseph. lib. 13. ant. c. 12., & 13. item c. 10.
(*u*) Joseph. lib. 13. c. 13. (*x*) Justinus lib. 39. c. 4.)(Appian. Syr. (*y*) Trogus prologo lib. 39.)(Epitome Livii lib. 68.)(Cicero de oratore lib. 1., & 2., & in Bruto.)(Tacitus lib. 12. Annalium.
(*z*) Joseph. lib. 1. belli c. 4., & lib. 13. ant. c. 13.
(*a*) Justinus lib. 39. c. 4.)(Epitome Livii lib. 68.
(*b*) Joseph. lib. 13. ant. c. 13.

Æneus II. vel III. — * 6. Caput laureatum Herculis Tyrii. — Begerus.
ΤΥΡ. (supra clavam) ΙΣ. *Tyri, Anno* 210. & literæ Phœniciæ: omnia intra coronam querceam.

Æneus III. — * 7. Caput Jovis barbatum laureatum. — Theupoli.
ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. Θ. *Sidoniorum, Anno* 9. Europa Sidonia Tauro vecta, utraque manu velum attollit.

Argent. I. — * 8. Caput Herculis Tyrii laureatum. — Noris.
ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. ΕΚ. *Tyri sacræ, & asylo gaudentis, Anno* 25. Aquila stans cum ramo; in area monogramma.

NUMISMA ANTIOCHI VIII. EPIPHANIS, vulgo GRYPI.

Æneus III. — 40. Caput Antiochi cum corona radiata. — Noster.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΒΙΣ. *Regis Antiochi Epiphanis, Anno* 212. Aquila stans cum ramo palmæ. In area duæ notæ, vel monogrammata, quæ satis discerni nequeunt.

Numisma omnino in otio confictum est illud in Goltzii Thesauro, inscriptum: ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΓΡΥΦΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

NUMISMATA SELENES (quæ etiam CLEOPATRA) Uxoris alterius ANTIOCHI VIII. EPIPHANIS; & antea PTOLEMÆI SOTERIS II.

TABULA XIII.

Æneus III. — 1. Caput imberbe diadematum cum humero alato, Victoriæ, vel Cupidinis. — Noster.
ΣΕΛΕΝης. *Selenes.* Flos loti insistens astro: in area nota. Ψ.

Æneus II. — 2. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΣΗΛΗΝΗΣ. *Reginæ Selenes.* Caput ejusdem collectis in nodum crinibus. — Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Regis Ptolemæi.* Aquila fulmini insistens.

Argent. — Numismatis argentei Selenes, quod Florentiæ habetur, meminit Cel. Gorius, comparans illud cum Gemma. Tom. I. de Gemmis musei Florentini in notis ad Tab. XXVI. pag. 67. — Mus. Florent.

Ddd Gazen-

(* 6.) Est hic notatus annus Seleucidarum; ita cum Spanhemio hic sentio, qui numos urbium Syriæ, præsertim Tyri, Sidonis, & Antiochiæ, quorum epochæ Numerum 200. superant, ante Augustorum tempora signatos censet, si alia vetustatis signa, & characterum vetustiores formæ adsint.

(* 7.) Sidoniorum æra propria cœpit anno Seleucidarum 202. in autumno; addendo 8. devenitur ad autumnum anni Seleucidarum 210., quo cœpit annus hic nonus Sidoniorum.

(* 8.) Annus Tyriorum ab æra propria vicesimus quintus incipit cum autumno anni Seleucidarum 211.

(1.) Est hic numus Syriacæ fabricæ, cum qua & figuræ conveniunt; atque adeo cusus videtur Antiochi VIII. tempore. ΣΕΛΕΝΗΣ. pro ΣΕΛΗΝΗΣ. scriptum, nihil obest; nam in Atheniensium numis ΑΘΗ, & ΑΘΕ legimus; item in Thebanorum ære ΘΕΒ, & ΘΗΒ.

(2.) Hic numus in Ægypto cusus est, cum Ptolemæi Soteris II. adhuc conjux esset Selene. Scribendi rationem τῆ ΣΗΛΗΝΗΣ. Vaillantius ad dialectorum variarum regulam aliquam exigendam putat; cum Jones, Æoles, & Attici Ε in Η mutarint.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.

Gazenſes ſpe auxilii ab Areta Arabiæ regulo oſtentati falluntur.
97 | 4617 | 216 Nam cum dux eorum Apollodorus per Lyſimachum fratrem occiſus eſſet, animis concidentes, urbem bonis pactis Alexandro Jannæo dedunt, ſed ab eodem contra fidem datam urbs Gaza cædibus, & ruinis fædatur. (*c*)

Antiochus VIII. Epiphanes, vulgo Grypus, occiditur (poſt initium æſtatis hujus anni Juliani, nempe Olympiadis CLXX. anno quarto, Porphyrio teſte) inſidiis Heracleonis, patria Beræi, qui ab eodem Antiocho ad magnos honores promotus fuerat. Anno ætatis quinto ſupra quadrageſimum Antiochum VIII. periiſſe Joſephus memorat. (*d*)

Regnavit annis XXVIII. hic Antiochus Epiphanes; duas uxores deinceps habuit, easdemque ſorores, filias Ptolemæi Evergetis II. Cleopatram Tryphænen, & Cleopatram Selenen: ex Tryphæne Antiochus VIII. quinque filios ſuſcepit, deinceps regio omnes titulo inſignes futuros, ac de Syriacæ purpuræ laciniis inter ſe dimicaturos, nempe Seleucum VI., Antiochum XI., & Philippum gemellos, Demetrium III., & Antiochum XII. Heracleon Syriæ imperium affectat, ſed rex non agnoſcitur. (*e*)

96 | 4618 | 217 Seleucus VI. ΕΠΙΦΑΝΗΣ. *Illuſtris* a patris nomine, & ΝΙΚΑΤΩΡ. *Nicator*, ſeu *Victor* ab Avo Demetrio II. compellari voluit,
Olymp. CLXXI. dum patri Antiocho VIII. Epiphani ſucceſſit: idem bellum parat adverſus patruum Antiochum IX. Ad id bellum gerendum cum Antiochus Philopator pecuniis egeret; auream Jovis ſtatuam, quæ Antiochiæ erat magnitudine XV. cubitorum, conflari, & aliam ſimilem inauratam reponi juſſit. (*f*)

95 | 4619 | 218 Bellum omnibus viribus Seleucus VI., Antiocho IX. infert. Antiochus prælio decretorio a Seleuco vincitur, & cum jam eo res eſſet, ut victus caperetur, ſemetipſum interemit, vel juſſu Seleuci necatus eſt: anno ætatis quinquageſimo. Seleucus VI. victor Antiochiam ingreditur, & parte regni, quæ Antiocho IX. parebat, fere omni potitur. (*g*)

Antiochus IX. Philopator, vulgo Cyzicenus, regnavit Euſebio, & Porphyrio teſtibus, annis XVIII. Regnare cœpit intra autumnum anni Seleucidarum Juliani CXCIX., & CC. igitur ejus obitus in hæc tempora referendus eſt. Reliquit e Cleopatra uxore, Ptolemæi Philometoris filia, filium unicum Antiochum X. qui patrii regni reliquias adverſus Seleucum VI. tueri conabatur. (*h*) Appianus ei quoque Selenen uxorem tribuit.

94 | 4620 | 219 Hic Antiochus X. ΕΥΣΕΒΗΣ. *Pius*, & ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ. *Philopator*, id eſt: *Patris amans*, dictus eſt, quod paternæ cladis ultor, & hereditarii regni vindex bellum Seleuco VI. inferre auderet. Idem inſidias, a Seleuco ſibi paratas, meretricis cujusdam ope devitat, & Apameam ſalvus evadit. (*i*)

Pugna decretoria duo reges, fratrum filii, fortem experiri conſtituere; collatis ſignis Antiochus X. victor pietatis præmium retulit: Seleucus VI. e Syria cedere coactus Ciliciam petit. Antiochus Aradum concedens regni negotia procurat. (*l*)

Eclipſis ſolis viſa ad Foſſas Marianas die XXVIII. Junii hora IV. poſt meridiem. (*m*) 1. Ca-

(*c*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 13. (*d*) Porphyr. in Græcis apud Scalig.)(Athenæus lib. 4.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 13.)(Porphyr. 26. regni annos Antiocho VIII. tribuit, ſed non computat tempus fugæ, & exilii, quæ fere biennium efficiunt: quare ita nobiſcum convenit. Joſeph. 29. regni annos numerat; ſed inchoatum tantum viceſimum nonum annum accipio. (*e*) Trogus prologo lib. 39. (*f*) Clemens Alexandrin. in Protreptrico, ex quo ſua ſumpſiſſe videtur Arnobius lib. 6. adverſus gentes.)(Jovis iſtius meminit Libanius in Antiochico, & in Monodia.

(*g*) Porphyrius.)(Trogus prologo lib. 46.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 13. qui narrat, a Seleuco captum, & occiſum eſſe Antiochum IX. (*h*) Porphyr.)(Euſebius in Chronico poſteriore, ſeu Canone chronolog. (*i*, & *l*) Appian. Syr.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 13.)(Georg. Syncellus in Chronic.)(Porphyr. ab æſtate hujus anni regnum Antiochi X. inchoat, nempe ab anno tertio Olymp. 171. ineunte.

(*m*) Julius Obſequens de Prodigiis.

NUMISMATA SELEUCI VI.
EPIPHANIS NICATORIS.
TABULA XIIII.

Æneus II. vel III.	1. Caput Seleuci diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Regis Seleuci Epiphanis Nicatoris.* Apollo nudus ſtans, d. ſagittam, ſ. columnæ innititur. In area monogramma.	Noſter. Vaillant.
Æneus III.	2. Caput Seleuci diadematum. Eadem inſcriptio averſæ partis. Tripus ſtans.	D.Favvkener Vaillant.
Argent. I.	3. Caput Seleuci diadematum intra lauream. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. Pallas ſtans, d. Victoriolam, ſ. haſtam, & clypeum: in area monogrammata. (Vaillant. ſine monogrammatis) omnia intra lauream.	C. Reg. Vaillant. D.Favvkener
Argent. I.	4. Simile numiſma; ſed in area ΝΕΙΣΙ., & aliquid arundini ſimile.	C. Reg. Haym. Begerus. Liebe. Theupoli.
Argent. I.	5. Simile numiſma; ſed in area ΑΛΕΔΙ.	Liebe. Harduinus. B. Roth.
Argent. III.	6. Caput diadematum Seleuci VI. ad occiput aliquid unco ſimile. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Regis Seleuci.* Duo cornua copiæ colligata.	B. Stein, & B. Roth.

(4.) P. Harduinus, & Haymius Τὸ ΝΕΙΣΙ. legunt: Niſibi. Erat Niſibi, vel Neſibi Meſopotamiæ urbs, Antiochia Mygdonia etiam compellata apud Strabonem lib. 16. qui addit: celebres illic, ac perutiles arundines naſci.

(5.) P. Harduinus Τὸ ΑΛΕΔΙ, vel ΑΛΕΔΗ legit: Αλεξανδρέων Δῆμος. *Alexandrinorum Populus*, quod de Alexandria ad Iſſum accipiendum videtur. Mihi vero aut hujus, aut præcedentis numi una & hujus lectio: *Niſibi*, & *Alexandrinorum Populus*, incerta videtur; nam numi ambo non in eadem modo urbe, ſed ab eadem manu fabricati videntur.

(6.) Vultus Seleuci bene expreſſus hunc numum Seleuco VI. adſcribendum perſuadet.

NUMISMATA ANTIOCHI X.
EUSEBIS PHILOPATORIS.
TAB. XV.

Æneus III.	1. Caput Antiochi X. modice barbato vultu, diadematum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. *Regis Antiochi Euſebis.* Victoria gradiens, d. lauream, ſ. palmæ ramum. Obtenta de Seleuco VI. victoria hic indicatur.	Vaillant.

NUMISMATA URBIUM.

Æneus III.	* 9. Caput imberbe turritum. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΕΙ. *Seleucienſium ſacræ, & propriis legibus utentis: Anno 15.* Fulmen menſæ impoſitum. In area monogramma.	Theupoli.
Æneus III.	* 10. Simile caput turritum. Μ. ΤΥΡ. (in monogrammate) ΙΕΡΑΣ. ΘΙΣ. *Metropolis Tyri ſacræ, Anno 219.* Palma arbor.	Harduinus.

 Seleu-

(*9.) Annus Seleucienſium quintus decimus init ſub autumnum anni Juliani Seleucidarum 218.

(*10.) Eſt annus ipſius æræ Seleucidarum. Illud in Tyriorum numis animadverto circa hæc tempora, uti opinor, cuſis: numos argenteos æram Tyriorum novam & propriam, æneos vero æram veterem Seleucidarum exhibere.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
93	4621	220

Seleucus VI. e Syria in Ciliciam fugitivus ad Mopseatas, sive Mopsvestenos sese contulit. Ab his primum cum reverentia, & amore susceptus est; sed cum rex indignus tributa violenta acerbitate a civibus exigeret, libertatis jam delibatæ tenacissimum populum ita irritavit, ut gymnasio, ubi habitabat Seleucus, ignem subjecerint, vivumque Seleucum cum omni sua aula concremaverint anno regni quarto ineunte. Eusebius a Cyziceno Antiocho, seu Philopatore exustum fuisse Seleucum refert, sed errat in Antiocho; nam ab Antiocho X. Pio id fieri poterat, non a Cyziceno jam fatis functo. Forte ejus facti, aut instigator, aut conscius fuit Antiochus X. (*n*)

Seleuco VI. interempto, duo ejusdem fratres, iidemque gemelli, nempe Antiochus XI. cognomine ΕΠΙΦΑΝΗΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ. *Illustris, & fratris amans*, & Philippus itidem *Epiphanes Philadelphos, Illustris, & fratris amans* compellatus, regni partem a Seleuco relictam sibi adserere, & fratris necem ulcisci constituunt. Collecto igitur exercitu in Ciliciam movent, Mopsvestiam urbem vi occupant, ac solo æquant. (*o*)

Cleopatram Selenen antea Antiochi VIII., & olim Ptolemæi Lathuri uxorem, Antiochus X. Pius conjugem accipit; qua re Ptolemæus Lathurus magnopere irritatur. (*p*)

Duos regni æmulos metuens Antiochus X. Eusebes, conquisitas copias adversus victores fratres Antiochum XI., & Philippum educit. Prælio inito victoria penes Antiochum X. stetit. Antiochus XI. Epiphanes Philadelphus equo in Orontem fluvium, quo fugiebat, delapsus interiit, regni societate cum fratre vix delibata. Philippus instaurato exercitu cum Antiocho X. de Syriæ regno dimicare perrexit. (*q*)

(*n*, & *o*) Appian. Syr.)(Porphyr. in Græcis apud Scaliger.)(Euseb. in Chronico posteriore.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 13. (*p*) Appianus in Syriac. refert: Antiochum X. a Syris ironice *Pium* dictum esse. quod patris (vel certius Patrui) uxorem duxerit. Sed hæc vulgi dicteria erant; Pii cognomen cur acceperit, veram rationem superius dedimus. Utrum Selene etiam Antiocho IX, Antiochi X. patri nupserit, aliunde non constat, quam ex Appiano.
(*q*) Porphyrius.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 13.)(& numismata.

NUMISMATA URBIUM.

Æneus III.	* 11. Caput muliebre velatum, & turritum. ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΚΣ. *Sidonis*, vel *Sidoniæ Deæ*, *Anno* 220. (æræ Seleucidarum) Navis.	Noster. Harduinus.
Æneus I.	* 12. Caput Herculis Tyrii laureatum. ΤΥΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΚΣ. *Tyri Metropolis*, *Anno* 220. (æræ Seleucidarum) Clava intra lauream.	Harduinus.
Argent. I.	* 13. Caput muliebre turritum, & velatum. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΖΙ. *Seleuciensium sacræ, & propriis legibus utentis*, *Anno* 17. Fulmen mensæ impositum; in area A.	Theupoli.

7. Ca-

Numisma Tyriorum, quod ad annum Seleucidarum 211. retulimus cum Norisio, in quo legebatur E K. P. Harduinus huc refert, putatque Norisium loco Σ. legisse E. Sed ego Norisii autopsiæ plus, quam Harduini conjecturis defero; Nam Norisius in Cimeliarchio Florentino numisma laudatum ipse inspexit. Accedit: numisma illud ex argento esse, qualia hisce temporibus æra propria Tyriorum, & non æra Seleucidarum signata occurrere superius adnotavi.
(* 13.) Annus æræ propriæ Seleuciæ urbis decimus septimus respondet anno æræ Seleucidarum 220.

NUMISMATA SELEUCI VI. EPIPHANIS NICATORIS.

TABULA XIV.

Æneus III. — 7. Caput diadematum Seleuco simile. — Haym.
ΕΛΕΥϑερο - ΚιλικΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩΙ. *Liberorum Cilicum ad Pyramum fluvium.* Diana succincta stans, d. sagittam e pharetra eximit, f. arcum gerit, in area duo monogram.

Argent. III. — 8. Caput Seleuci diadematum. — B. Roth.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Regis Seleuci Nicatoris.* Duo cornua copiæ colligata.

Argent. III. — 9. Numus persimilis priori; sed inscriptio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Regis Seleuci Illustris, Nicatoris.* — D.Favvkener

Æneus I. — 10. Caput Seleuci diadematum.)(Inscriptio aversæ Arabica semibarbara. Miror, similem fere inscriptionem legi in numismate Constantini Magni, vel Constantii in Museo Pisano, seu Corraro. Forte sententia est nulli tempori propria. — C. Reg.

(7.) Mopsvestia Ciliciæ urbs ad Pyramum sita, quæ Seleucum primo libenter recepit, hunc numum signasse videtur Haymio.

(8.) Seleuci Nicatoris inscriptionem, & caput non ad Seleucum I., sed ad VI. pertinere, monet numus Numero 9. simili vultu, qui certo est Seleuci VI.

NUMISMATA ANTIOCHI X. EUSEBIS PHILOPATORIS.

TABULA XV.

Æneus III. — 2. Caput Antiochi X. diadematum, modice barbatum. (In nostro imberbe.) — D.Favvkener Vaillant. Noster. Haym.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Regis Antiochi Eusebis Philopatoris.* Duo pilei Dioscurorum cum infulis defluentibus, & imminentibus astris.

Argent. I. — 3. Caput Antiochi diadematum intra lauream. — Vaillant.
Eadem aversæ inscriptio. Jupiter sedens, d. Victoriolam, f. hastam.

Argent. III. — 4. Caput diadematum imberbe. — D.Favvkener
Eadem inscriptio: Mulier stans, d. temonem, f. cornu copiæ, in area Δ A

NUMISMA ANTIOCHI XI. EPIPHANIS PHILADELPHI.

TABULA XV.

Æneus II. vel III. — Caput diadematum Antiochi XI. Vultum correximus ex numo integerrimo. — D.Favvkener Vaillant.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Regis Antiochi Illustris, fratrem amantis.* Pallas galeata stans, d. Victoriolam, f. hastam, & clypeum; in area litera Φ. quam Vaillant. exponit: *Philadelphiensium.* Philadelphia Cœlesyriæ, aut Ciliciæ hic accipienda est, si unius literæ lectioni fidendum censemus.

NUMISMATA PHILIPPI EPIPHANIS PHILADELPHI.

TABULA XV.

Argent. I. — 1. Caput Philippi diadematum intra lauream.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Regis Philippi Illustris, fratrem amantis.* Jupiter sedens, d. Victoriolam, f. hastam.)(In alio simili sub pedibus Jovis fulmen. — Vaillant. Reverendiss. P. Bianchi.

Æneus II. — 2. Caput Philippi diadematum, & cum corona radiata.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Regis Philippi.* Fulmen, & duo monogrammata. Omnia intra coronam quernam. — Noster. Haym.

Argent II. vel III. — 3. Similis præcedenti, sed capite diademato tantum. In area monog. — C. Reg.

Eee Ptole-

(1.) Eosdem titulos: *Epiphanis*, a patre Antiocho VIII. Epiphane; *Philadelphi* a mutuo amore duo fratres gemini Antiochus XI., & Philippus sumpsere, quos Cleopatra Tryphæne mundo edidit.

(2.) Etsi similis aversæ partis typus in Macedonicis numis frequens sit; nostri tamen hujus numi fabrica, & Philippi vultus consuadent, eum Syriaco potius, quam Macedonico regi Philippo IV., Persei patri, tribuendum esse.

Ante Christ. | Periodi Julianæ | Æræ Seleuc.

92 | 4622 | 221 Ptolemæus Lathurus, ut novum Antiocho X. hostem opponeret, e Cnido urbe, ubi tum morabatur, Demetrium evocat, Antiochi VIII. Epiphanis filium, Philippi fratrem, illumque Damasci regem instituit. Hoc igitur anno regnare cœpit in parte Syriæ Demetrius rex hoc nomine III. titulis ornatus ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Matrem amantis, Benefici, Præclari Victoris*, a vulgo *Eucæros, Tempestivus*, aut ab aliis dicacibus *Acæros, Intempestivus* dicebatur.

Olympias CLXXII. Demetrius cum Philippo fratre bellorum societatem init, ambo adversus Antiochum X. arma expediunt; prælio commisso Antiochus X. vincitur, & ad Parthos fugit.

Flavius Josephus Antiochum X. Euseben narrat occubuisse in prælio contra Parthos, quod iniisset vocatus in auxilium a Laodice Galadenorum regina. Sed præterquam quod ignota illa Galadenorum regina suspicionem erroris moveat; Appianus Antiochum X. post hæc tempora a Tigrane regno expulsum esse: Porphyrius quoque ex memorato prælio ad Parthos fugisse, atque inde reducem Pompejo se dedisse testantur. Quanquam hæc deditio Pompejo facta ad filium Antiochum XIII. potius revocanda sit, ut suo loco dicetur. Mendose porro Eusebius Antiocho IX. Cyziceno jam fatis functo ea tribuit, quæ de Antiocho X. recte Porphyrius perhibet. (*r*)

Eusebius in Chronico posteriore anno I. Olympiadis CLXXII. regnum Seleucidarum cum Antiocho IX., & cum Philippi anno II. finit, sed errat; nam ex Justino, Appiano, Josepho, & Porphyrio alios præterea reges, & nonnullas eorundem res gestas recensebimus: neque sibi satis constat Porphyrius, qui in catalogo Syriæ regum Philippum postremo loco ponit cum duobus tantum regni annis; dum idem in fragmentis historicis res alias post hæc tempora ad regum Syriæ historiam, & seriem facientes indicat: Nisi Philippum, regno quidem orbatum; tamen usque ad Gabinii Syriæ præsidis tempora vixisse, & ita ultra CCL. annos Seleucidarum Syriacis regibus dandos esse dicamus. (*s*)

91 | 4623 | 222 Judæi circa hæc tempora in Alexandrum regem suum seditione
commota crebris præliis jam sextum in annum adversus ejusdem
90 | 4624 | 223 copias dimicabant, non sine magna suæ gentis strage. Alexander
rex, cum Judæos denique serio ad concordiam restituendam cohortaretur, eosdem amplius irritavit. Itaque Judæi a Demetrio III. partis Syriæ rege armata contra Alexandrum subsidia petunt. (*t*)

Antiochus X. Eusebes a Parthis reversus, occupatas interea per Philippum regem sui regni provincias armis recuperasse videtur.

89 | 4625 | 224 Demetrius III. sociatis Judæorum rebellium copiis Alexandrum Jannæum pugna superat. Mercenarii Alexandri milites omnes cæsi, Judæi fideles non item; multi quoque e Demetrianis desiderati sunt. Alexander ad montes profugus rebus suis afflictis Judæos commiseratione movit. Sex Judæorum millia ad Alexandrum regem suum confluunt. Demetrius III. domum redit, cum Judæos, tum Philippum fratrem metuens, qui Damasceno regno inhiabat, ut damna sibi ab Antiocho X. illata sarciret. (*u*)

Hoc, vel superiore anno in Ægypto Ptolemæus Alexander rex matrem Cleopatram sibi insidiantem necari curat. (*x*)

I. Ca-

(*r*) Joseph. lib. 13. ant. c. 13., & lib. 1. belli c. 4.)(Appianus, Mith. & Syr.)(Euseb. & Porphyr.)(Joseph. ibid. Quidam codices loco Galadenorum, habent Galicenorum, alii Galicenorum: in Epiphanii versione Gaminorum legitur. Alii ex Laodice regina Laodiceam urbem faciunt. (*s*) Euseb. in utroque Chronico.)(Porphyr. apud Scaliger. Vide notas ad annum Seleucid. 229., & Prolegom. parte 4. c. 6. (*t*) Joseph. lib. 13. ant. c. 13. (*u*) Porphyr. in fragment. apud Scaliger.)(Joseph. lib. 13. ant. c. 13., & c. 14., & lib. 1. belli c. 4. (*x*) Justinus lib. 39. c. 4.)(Pausanias in Atticis.)(Eusebius, & Porphyrius.

NUMISMATA DEMETRII III. PHILOMETORIS EVERGETIS CALLINICI.

TABULA XV.

Æneus III. 1. Caput Demetrii diadematum, & barbatum. Noster.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Regis Philometoris Demetrii Evergetis, Callinici.* Mulier stolata stans, dextram fulcit temone, seu id anchora est, sinistra cornu copiæ.

Æneus III. 2. Simile caput Demetrii. Vaillant. Theupoli. Begerus.

Eadem aversæ partis inscriptio: Fulmen coronatum sellæ vel aræ impositum.

Æneus II. vel III. 3. Caput diadematum cum modica barba: in area AK. id est: *Anno 21.* Haym. Relandus.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Regis Demetrii Sidoniorum.* Navis remis instructa; pone literæ Phœniciæ.

(1) Eximiæ raritatis sunt hujus Demetrii numi; neque aliud hujus regis numisma Vaillantius inspexit, quam cum fulminis typo in aversa parte. Singularis itaque est hic numulus noster, qui nec Vaillantio, nec Haymio, neque alteri cuiquam Antiquariorum, quos ego excusserim, usquam occurrerit.

(3) Doctissimus Dominus Masson apud Haymium Tom. 1. pag. 100. merito hunc numum Demetrio III. adjudicat, etsi reliqui hujus regis tituli non sint insculpti. Nam hic ex parte capitis notati charactères haud dubie annum novæ Sidoniorum æræ vicesimum primum significant; quæ quoniam cœpit anno Seleucidarum 202. annus iste vicesimus primus Sidoniorum respondet anno Seleucidarum vicesimo secundo supra ducentesimum. Singulare quoddam beneficium in Sidonios contulisse videtur Demetrius, quod ejus vultu hoc tempore numum signaverint. Hujus numi imago, modulus, & metalli genus in Haymii libro desiderantur; sed in Relandi Palæstina habentur.

NUMISMATA URBIUM.

Æneus III. * 14. Caput velatum, ac turritum. Noster.

ΤΥΡ. (monogrammate expressum) ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωC. ΙΕΡΑC. ΑΚC. *Tyri Metropolis sacræ, Anno 221.* Palma arbor.

Æneus III. * 15. Caput Jovis barbatum, & laureatum. Theupoli.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΚΣ. *Antiochenorum Metropolis, Anno 221.* Jupiter sedens, dextra Victoriolam, sinistra hastam.

Æneus II. * 16. Simile caput Jovis.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. ΓΚΣ. *Antiochenorum Metropolis, suis legibus utentis, Anno 223.* Est annus æræ Seleucidarum. Harduinus.

(* 14.) Annus Seleucidarum in hoc, & sequente numo consignatus est. Forma literarum E. rotundi, & C, & ω. etsi his temporibus minus usitata, tamen certo non conficit, hunc numum post Domitiani Augusti tempora esse reponendum.

(* 16.) Antiocheni 'Αυτονομίαν jam ante Pompejum his temporibus sibi vindicarunt; idem tamen privilegium Pompejus Syria potitus eisdem subinde velut de integro contulit: unde æra nova Antiochiæ.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

88 | 4626 | 225 Ptolemæus Soter II., seu Lathurus, pulso fratre Alexandro regnum Ægypti recipit. (y)

Olymp. CLXXIII. Demetrius III. decem millia peditum, equites mille adversus Philippum fratrem educit, eundemque in urbe Beræa obsidet. Hæc Cœlesyriæ urbs Beræa, seu Berrhæa a Stratone tyranno id temporis gubernabatur, Philippi fœderato. Straton Zizum Arabiæ regulum, & Mithradatem Sinacem (seu Sinarem) Parthorum belli ducem suppetias advocat. Ambo cum copiis advenere; multis machinis admotis Demetrii castra expugnant: ipsum Demetrium vivum in potestatem redigunt, atque ad Mithradatem II. Parthorum regem adducunt. Regnavit Demetrius III. in parte Syriæ annis quatuor: idem Myrinæ Samiæ meretrici perdite addictus erat. (z)

87 | 4627 | 226 Apud Parthos Demetrius in honore quidem habitus est, sed intra breve tempus ibidem morbo absumptus periit. Philippus, Demetrio debellato, hoc vel superiore anno Antiochiam venit, eaque facile potitus est propterea, quod Antiochenos omnes, qui à partibus Demetrii bellabant, in prælio captos, liberos Philippus abire permiserit. (a)

Alexander Jannæus rebelles de integro Judæos variis præliis domuit: compulsis denique in urbem Bethomam (vel Bemeselim) seditiosorum potentissimis, eoque loco capto, crudeliter in reos desæviit: octingentos ante ora conjugum, ac prolium cruci affigi, ac deinde istas jugulari jussit; dum ipse rex interea luxui se dans, cum concubinis spectator accumberet. (b)

Antiochus XII., Antiochi VIII. Epiphanis, vulgo Grypi, e Tryphæne filius natu minimus, intellecta Demetrii III. fratris captivitate, militem collegit, & urbe Damasco cum adjuncta regni portione potitus est. Hunc Josephus Dionysium compellatum, & postremum e Seleucidis fuisse regem perhibet; sed hæc ambo rectius Antiocho XIII. inferius tribuentur. Vaillantius, sese corrigens, hunc Antiochum ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Dei Epiphanis Nicephori*, seu *Victoriam ferentis*, titulo gavisum esse, e numo conjicit. (c)

86 | 4628 | 227 In Arabes expeditionem suscipit Antiochus XII., cui Alexander Jannæus, per Judææ regionem transituro, multas munitiones recens erectas objicit. Perrumpit omnia Antiochus, & ad Arabes se penetrat.

Interea Philippus Antiochi fratris absentis regnum invadens, Damascum proditione Milesii præfecti capit. Sed cum ingratum se proditori præberet Philippus, ab eodem Milesio Damasco cedere cogitur, urbs Antiocho servatur. (d)

85 | 4629 | 228 Antiochus XII. Arabes primum fere vicerat inito prælio; sed versa forte victus, & acriter pugnans occisus est; reliqui ejus milites in oppidum Cana elapsi, ibidem fere omnes interiere. (e)

Antiochus XII. biennio, & si quid excedit, regni partem tenuit. (f)

Caput

(y) Justinus lib. 39. c. 4., & 5. (z) Joseph. lib. 13. ant. c. 14.)(Excerpta ex historia Nicolai Damasceni apud Valesium. (a) Joseph. ibidem. (b) Joseph. lib. 1. de bello Jud. c. 4., & lib. 13. ant. c. 14.
(c) & (d) Joseph. ibid., & lib. 13. ant. c. 15. (e) Joseph. ibid.
(f) Vaillant. in historia regum Syriæ pag. 381. e pluribus numis, quos male huic Antiocho tum quidem tribuebat, pluribus annis Antiochum XII. regnasse suspicabatur. Sed quoniam in historia Ptolemæorum pag. 100. ipse fatetur: multos illos, ac varios numos non ad Antiochum XII. sed ad Antiochum VI. adolescentem referendos esse; suspicionis hujus fundamentum omne corruit.

NUMISMA ANTIOCHI XII. ΘΕΟΥ EPIPHANIS NICEPHORI.

TABULA XV.

Argent. I. Caput imberbe diadematum Antiochi. Vaillant. D. Favvkener

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Regis Antiochi Θεοῦ Epiphanis Nicephori.* Jupiter ſeminudus ſedens, d. Victoriolam, ſ. haſtam. Dedimus Vaillantii erroneam, & aliam veram hujus numi iconem; idem enim numus eſſe videtur. Cur Vaillantius hoc numiſma in hiſtoria regum Syriæ adjudicaverit Antiocho VI. adoleſcentulo, Epiphani Dionyſo dicto; ſubinde vero in hiſtoria Ptolemæorum mutata ſententia hoc idem numiſma ad Antiochum XII. retulerit; pluribus expoſuimus in Prolegomenis noſtris, parte 3. cap. 5. Sane vultus hujus Antiochi non puerum, uti in rem Vaillantii tunc erat, ſed virum ſpirat: uti accuratiſſima imago indicat, e qua Vaillantii iconiſmus corrigendus.

NUMISMATA URBIUM.

Æneus III. * 17. Caput Jovis barbatum, ac laureatum. Noſter.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ϛΚΣ. *Antiochenorum Metropolis, Anno 226.* (Eſt annus æræ Seleucidarum) Jupiter ſeminudus ſedens, d. Victoriolam, ſ. haſtam.

Æneus III. * 18. Caput bacchæ, ut videtur, corona hederæ cinctum. Begerus. Theupoli.

ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. *Sidonis, vel Sidoniæ Deæ.* ΖΚΣ. *Anno 227.* (Eſt annus æræ Seleucidarum) Ara una cum epigraphe intra coronam hederæ.

Æneus III. * 19. Caput muliebre velatum, ac turritum. Noſter.

Eadem, quæ in præcedente numo, inſcriptio, & epocha. Navis.

Æneus III. * 20. Simile caput muliebre. Theupoli.

ΣΙΔΩΝΟΣ. ΙΕΡΑΣ. ΖΚΣ. *Sidonis ſacræ, Anno 227.* (Eſt annus æræ Seleucidarum) Templum tetraſtylon currui impoſitum: ſupra templum caput tutulatum.

Æneus II. * 21. Simile caput muliebre. Harduinus.

ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗΚΣ. *Sidoniæ, vel Sidonis Deæ, Anno 228.* (Eſt annus æræ Seleucidarum.) Currus, ſeu thenſa.

(* 18. &c.) Quemadmodum Tyrii inchoata jam æra propria ſuæ urbis, tamen in quibusdam numis per ea tempora æram Seleucidarum notavere; eadem fere ratione numos ab Sidoniis procuſos eſſe arbitror; ea tamen differentia intereſt: Tyrii æram propriam numis argenteis, æneis vero æram Seleucidarum inſculpſiſſe; Sidonii utraque æra æneis in numis uſi eſſe videntur: niſi quis hos ipſos numos ab æra Sidoniorum ſupputet, & ad ſecundum Auguſtorum ſæculum rejicere velit.

Dea Sidonia, vel Dea Sidoniorum eadem a Græcis Europa, ab Hebræis Aſtarot, ſeu Aſtarte, ab Africanis Sidoniorum colonis Venus Cœleſtis appellari exiſtimatur. Neque aliam eſſe puto, quæ in multis Auguſtorum numis Græcis ΘΕΑΣ. ΣΥΡΙΑΣ. *Dea Syria* vocabulo exprimitur.

Ante Chriſt.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
84	4630	229

Solus jam Philippus e quatuor Antiochi VIII. Epiphanis, vulgo Grypi, filiis erat reliquus, qui cum Antiocho X. Pio de Syriaci regni fragmentis dimicabat. Damaſceni cives cum ab neutro iſtorum regum Seleucidarum ſolidi auxilii, præſidiique aliquid ſibi polliceri poſſent, & porro urgerentur metu Ptolemæi Mennæi Chalcidis dynaſtæ, quem magnopere oderunt; ad Arabes
Olymp. CLXXIV. ſeſe convertunt, eorumque regi Aretæ urbem Damaſcum cum Cœleſyriæ regno tradunt. (*g*)

Eodem fere tempore Syrorum plerique tot fratrum, aut certe ſanguine junctorum regum cruentis, noxiiſque reipublicæ æmulationibus a Seleucidis abalienati, externa auxilia circumſpiciebant. Alii Mithradatem Ponti regem, alii Ptolemæum Lathurum, ſeu Soterem II. ex Ægypto, quam recuperaverat, advocandum cenſuere. Conventum denique eſt in Tigranem Armeniæ regem, qui cum domeſticis viribus, tum affinitate Mithradatis Pontici, atque ſocietate cum Parthis inita, plurimum inter vicinos principes valere credebatur. (*h*)

Hic Tigranes, Tigranis filius, originem referebat ad Artaxiam, unum de Antiochi III. Magni ducibus, qui Armeniæ majori præfectus ſubinde ſibi, poſteriſque regnum adſeruerat. Tigranes hic noſter a Mithradate VI. rege Pontico, ſocero ſuo (cujus nempe filiam Cleopatram duxerat) in ſocietatem belli adverſus Romanos deſignati invitatus fuit; ſed Syriæ oblato regno, pacem cum Romanis iniit, copiaſque omnes in Syriam traduxit. Itaque Tigranes ſubjugatis jam antea multis regulis, & nunc Philippo, & Antiocho X. Seleucidis regno pulſis ſeſe ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΑ. *Regum Regem* (etiam numis teſtibus) appellari voluit. Artaſis filium fuiſſe Tigranem Moſes Chorenenſis Armenus memorat. (*i*)

De Philippo rege nulla fere poſthac apud ſcriptores occurrit mentio; unde eundem Tigranico hoc bello interiiſſe ſuſpicantur. (*l*)

Antiochus X. Pius fuga ſibi conſuluit, in Ciliciam, vel Commagenem, vel forte in Parthiam ſuſcepta. (*ll*)

83 4631 230 Subactis omnibus fere cis Euphratem Seleucidarum provinciis, iis cum Syria, Tigranis regis ſui nomine, præeſt Magadates, idemque copiarum dux conſtitutus eſt. (*m*)

84 4632 231 Aretas novus Cœleſyriæ rex adverſus Alexandrum Jannæum Judæorum regem expeditionem ſuſcepit, eundemque apud Adida, locum munitum, prælio ſuperavit. Pace deinde inter hos duos reges conſtituta, Alexander Jannæus contra vicinos quoſdam Syriaci olim regni populos exercitum ducit: Dium, Geraſam (ubi Zenonis tyranni theſauri erant) Caulanam, & Seleuciam vi capit; vallem quoque Antiochi, & caſtellum Gamala vi in poteſtatem redigit. Victorem exercitum Jannæus domum reducit. Quæ omnia per triennium geſta ſunt, nempe ab anno ante æram Chriſti octogeſimo quarto uſque ad octogeſimum ſecundum; ſed hic una ſerie omnia poſuimus. (*n*)

(*g*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 15.)(Aretas Arabiæ princeps, non rex, alius erat tempore Antiochi IV. de quo lib. 2. Macch. c. 5. Alterius Aretæ junioris, Damaſci regis, mentio fit a S. Paulo 2. Corinth. c. 11. v. 23. Noſtri hujus Aretæ meminit Joſeph. lib. 14. ant. c. 1., & lib. 1. belli c. 6. (*h*) Juſtinus lib. 10. initio.
(*i*) Appian. Mith.)(Juſtin. lib. 40.)(Moſes lib. 2. c. 13.)(Plutarchus in Lucullo.)(Numi Tigranis
(*l*) Porphyrius in fragmentis apud Scaligerum ait; Philippum hunc in Ægyptum deſcendere molientem a Gabinio Syriæ præſide prohibitum eſſe. Quæ ſi ita ſunt, Philippus vixit adhuc, & Ægyptum tentavit circa annum ante æram Chriſti 56., quæ res Annalium noſtrorum fines excedit. Talia ſunt illa de Antiocho XIII. Commageno, & ejus fratre Seleuco Cybioſacte: quos Cicero lib. 6. in Verrem Romæ Ægypti regnum petiiſſe teſtatur; Cybioſacten vero, qui de ſtirpe Seleucidarum ſe ferret, in Ægyptum veniſſe, & Ptolemæi Auletis filiæ nuptias delibaſſe docet Strabo lib. 17., & Dio lib. 39. (*ll*) Juſtin. lib. 39. c. 5., & lib. 40.)(Cicero lib. 6. in Verrem.)(Strabo lib. 16.)(Porphyrius Parthiam memorat. (*m*) Appian. Syr.)(Trogus in Prolog. lib. 40. (*n*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 15., & lib. 1. belli c. 4.

NUMISMATA TIGRANIS,
Armeniæ, & Syriæ Regis.
TABULA XVI.

Argent. I.	* 1. Caput Tigranis diademate, & tiara ornatum intra coronam lauri. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. *Regis Tigranis.* Figura muliebris capite turrito, ſcopulis inſidens, d. ramum gerit; infra pedes figura fluvii emergens: in area monogramma, omnia intra coronam lauri.	Vaillant.
Æneus III.	* 2. Caput ſimile Tigranis, in tiara, ſeu cidari ſtella. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. *Regis Regum Tigranis.* Figura uti in numo præcedente.	Vaillant. Noſter.
Æneus III.	* 3. Caput ſimile Tigranis. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. Victoria gradiens, d. quaſi ramum, ſ. veſtem adtinet: inferius ΠΑΡ.	Haym. D.Favvkener
Æneus III.	* 4. Caput Tigranis cum cidari, in qua aſtrum. Averſa pars uti numero 1. ſed in area literæ.	Noſter. Liebe.
Æneus III.	* 5. Simile caput, in cidari gemmatus quaſi flos. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. Eadem averſa: in area literæ.	D.Favvkener
	* 6. Numiſma inſcriptum: ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. E Goltzio Joſephus Scaliger adduxit in animadverſionibus ad Euſebii Chronica pag. cxxxiv. ſed vereor, ne adulterinum ſit illud numiſma, poſtea nuſquam viſum.	

(* 1.) Hic mulieris typus in numis Antiochiæ Syriæ frequens ſub Auguſtis comparet: fluvii figura Orontem indicat.

(* 2.) Regum rex devictis vicinis regulis dici voluit Tigranes: idem Lucullo ſuccenſuit, quod ſe regem tantum ſalutaſſet. Hæc, & alia faſtus Tigranis argumenta lege apud Plutarchum in Lucullo.

(* 3.) Utrum Syriaca hic, vel Parthica, aliave victoria expreſſa ſit, non ſatis liquet.

NUMISMATA ARETÆ Regis Arabiæ, & Cœleſyriæ.
TABULA XVI.

Æneus III.	* 1. Caput Aretæ diadematum imberbe. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΤΟΥ. *Regis Aretæ.* Mulier ſtans, d. pateram, ſ. haſtam.	D.Favvkener Havercamp. *ad Joſephi opera.*
Æneus II.	* 2. Simile caput Aretæ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΤΟΥ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Regis Aretæ Græcorum Amici.* Mulier turrito capite ſedens, d. quaſi ramum, vel ſpicam, ſ. cornu copiæ, ſub pedibus figura fluvii emergens; in area ΑΡ.	Morellus. Harduinus. Liebe.

(* 1. * 2.) Aretas hic noſter primus, quantum novimus, hujus nominis Damaſci rex fuit, & Romanis nondum hoc tempore obnoxius; igitur Βασιλέως, Φιλέλληνος titulus huic Aretæ, primo Damaſci regi, ſoli competere videtur. Unde conſequens eſt literas ΑΡ. non eſſe epocham Seleucidarum.

Similis mulieris ſedentis typus in Damaſcenis Auguſtorum numis frequens eſt: Fluvii figura Chryſorhoam notat.

NUMISMATA URBIUM.

Æneus III.	* 22. Caput imberbe turritum. ΤΥΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΙΕΡΑΣ. ΛΣ. *Tyri Metropolis ſacræ, Anno 230.* (Eſt annus Seleucidarum.) Palma arbor.	Harduinus.
Æneus III.	* 23. Caput turritum, & velatum, ante quod ſtella, & acroſtolium. ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΛΣ. *Sidonis Deæ, Anno 230.* (Eſt annus Seleucidarum.) Navis.	Noſter.

Ante Chriſt. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

81 | 4633 | 232 Ptolemæus Soter II. vulgo Lathyrus, ſeu Lathurus in Ægypto ſuo fato functus eſt. Eidem a Sylla in Ægyptiaco regno ſuffectus eſt Alexander, Alexandri Ptolemæi filius, cum Cleopatra, quæ eadem Berenice, Lathuri filia, a Pauſania dicta videtur, quæque ſex menſibus regno præfuit. Dubitatur, utrum Alexander hic poſt XIX. dies imperii occiſus, eique vel Alexander alius, vel Ptolemæus Auletes hoc eodem anno ſucceſſerit; ex Appiano aliquid quidam colligunt; alii id negant: mendum eſſe in Appiani loco ex aliis ſcriptoribus comprobantes. (*o*) Videtur Alexander II. quinque fere annis Ægypti regnum obtinuiſſe poſt Lathurum.

80 | 4634 | 233 Circa hæc tempora ſub rege Alexandro Jannæo Judæi varias Idumææ, & Phœniciæ &c. urbes, aut oppida ſibi obnoxias habe-
Olymp. CLXXV. bant; ad mare quidem Turrim Stratonis, Apolloniam, Joppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Rhaphiam, Rhinocoluram. In mediterraneis vero Idumææ urbes Adora, & Mariſſam, totam item Samariæ regionem: Montes Carmelum, & Itabyrium: tum oppida Scythopolin, Gadara, Seleuciam, Gabala, & Gaulanitidem regionem. Porro Moabitidis loca Eſebonem, Medaba, Lemba, Oronas, Telithonem, Zara, Aulonem Cilicium, ſive potius Vallem Cillitarum, Pellam: poſtremam hanc urbem Judæi diruere, quod ejuſdem cives Judaicæ religionis placita recipere detrectaſſent. Subinde hæc Pella Decapolitanæ Syriæ a Pompejo inſtaurata, & ſuis legibus vivere juſſa eſt. Aliæ denique nonnullæ Syriæ urbes Judæis, aliæ propriis tyrannis parebant, diſſimulante quietis ergo Magadate Tigranis in Syria præfecto, & majore Syriaci regni portione contento. (*p*)

79 | 4635 | 234 Alexander Jannæus contracto ex temulentia morbo, jam tertium in annum febre quartana laborabat, neque tum tamen a militiæ laboribus ceſſans, caſtellum Ragaba obſidebat, in Geraſeno-
78 | 4636 | 235 rum montibus ſitum. Illic aucta vi morbi extinguitur, expletis regni, & pontificatus Judaici annis ſeptem ſupra viginti, ætatis anno undequinquageſimo. Reliquit Jannæus duos e Salome, ſeu Alexandra filios Hyrcanum, & Ariſtobulum. Alexandra ſibi, & filiis regnum conſtabilit Phariſæorum ope, quorum ſecta præpotens tum erat, quoſque ut Salome coleret, moriens ipſe Jannæus ſuaſerat. Matre curante Hyrcanus filiorum natu major pontifex creatur, Ariſtobulus junior contra Ptolemæum Mennæum expeditio-
77 | 4637 | 236 nem ſuſcipere jubetur, qui Damaſcenis moleſtias faceſſebat. (*q*)

76 | 4638 | 237 In Ægypto Ptolemæus Alexander II. regno pellitur, eique
Olymp. CLXXVI. ſuccedit Ptolemæus Novus Dionyſius, ſeu Bacchus, vulgo Auletes, Ptolemæi Soteris II. filius nothus, niſi jam antea rex fuit. Interea Alexander II. moriturus exul, ut vindictam de Ægyptiis animo conceptam expleret, populum Romanum regni, & rerum ſuarum heredem ſcribit. Romani tum quidem hereditatis jure non ſunt uſi. (*r*)

Per hæc tempora Antiochus X. Pius in Ciliciæ, vel Commagenes angulo latens, filios ſuos Antiochum XIII. Aſiaticum, & Seleucum Cybioſacten dictum, partim in Commagene, partim in Cilicia educandos curavit. (*s*)

*24. Ca-

(*o*) Appianus de bellis civil. lib. 1.)(Videri poteſt Aldus in Epiſtolari Diatriba de Ptolemæis: item Petavius de doctrina temporum Tom. 1. lib. 10. c. 48. item Vaillant. in hiſtoria Ptolemæorum pag. 129. &c.)(Pauſanias Attic. (*p*) & (*q*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 15., & lib. 1. belli c. 4. (*r*) Trogus in prologo libri 40., & Juſtinus ibid.)(Euſebius, & Porphyr.)(Sunt, qui Alexandri regnum XVI. annorum fuiſſe cum Petavio putent.

(*s*) Juſtinus lib. 40. collatus cum Cicerone lib. 6. in Verrem.

Æneus III.	* 24. Caput Jovis barbatum, & laureatum. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΛΣ. *Antiochenorum Metropolis, Anno* 231. (Est annus æræ Seleucidarum.) Jupiter sedens, d. Victoriolam, s. hastam.	Noster. Theupoli.
Æneus II.	* 25. Caput turritum, & velatum. ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠ. ΙΕΡΑΣ. ΔΛΣ. *Tyri Metropolis sacræ, Anno* 234. (Est annus æræ Seleucidarum.) Palma arbor.	Harduinus.
Æneus II.	* 26. Capita jugata Jovis laureatum, & Genii urbis turritum. ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. L. ΕΛ. *Sidonis Deæ, Anno* 35. (Est annus æræ propriæ Sidoniorum.	Harduinus.
Æneus III.	* 27. Caput Jovis laureatum, & barbatum. ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. ΖΛΣ. *Apameorum sacræ, & asylo gaudentis. Anno* 237. (Est annus æræ Seleucidarum) Elephas stans.	Noris.
Æneus I. vel III.	* 28. Caput Genii urbis velatum, ac turritum. ΤΥΡ. (in monogrammate) ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΗΛΣ. *Tyri sacræ, Metropolis, Anno* 238. Navis cum remis.	Noris.
Æneus	* 29. Simile caput velatum, ac turritum. Eadem aversæ partis, quæ in præcedente, inscriptio, & epocha ΗΛΣ. id est: 238. (est annus Seleucidarum utrobique) Palma arbor.	Harduinus.

(* 26.) Annus hic notatus deductus est ab æra Sidoniorum propria, quam cœpisse diximus in autumno anni Seleucidarum 202, huic numero si addas 34., prodibit numerus anni 236. Seleucidarum, cujus autumno initium sumit hic annus tricesimus quintus æræ propriæ Sidoniorum. Capita jugata Jovis, & Genii urbis Sidonis ad significandam Sidoniorum cum Romanis initam amicitiam facere putat P. Harduinus, Capitolino nempe Jovi caput alterum per conjecturam tribuens.

(* 27.) Hic numus indicare videtur: his adhuc temporibus elephantos Apameæ; uti olim, enutritos fuisse. Equidem de Seleuci I. Nicatoris temporibus, & subsequentium regum ætate Strabo lib. 16. nos edocuit: magno numero elephantos apud Apameam alitos fuisse. Deinde inter conditiones pacis, quas Antiocho III. Magno Romani præscripserant, una quidem erat, teste Polybio legatione 35. ut elephanti omnes traderentur, qui Apameæ servarentur, neque alii pararentur. Attamen e consequentium regum historiis in aperto est: subinde etiam elephantos bellicis, aliisque regum usibus enutritos fuisse.

Eo tempore, quo Tigranes Syriam obtinebat, præfecto regionis Magadate, urbes pleræque usurpata jam antea libertate, ac juribus minime privatæ esse videntur, cum suæ fere urbis nomine numismata procuderent, sine regis Tigranis mentione, saltem æque frequente, atque sub prioribus Syriæ regibus. Sunt enim Tigranis numismata omnia admodum rara, & fortasse istorum quoque pleraque extra Syriam signata.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
75	4639	238	Antiochus X. Eusebes, seu Pius circa hoc tempus in Commagene vitam finivisse creditur; nihil certi tamen de ejusdem obitus ratione, vel tempore ab antiquis scriptoribus proditum habemus. Selene uxor Antiochi X. regni reliquias quasdam in Commagene, & Mesopotamia tuebatur, uti ex iis colligitur, quæ inferius afferentur, ubi agetur de bello, & nece hujus Cleopatræ Selenes. (*t*)
74 73	4640 4641	239 240	Hoc anno, vel sequente Antiochi X. duo filii, Antiochus, & Seleucus Cybiosactes Romam advenere, causamque suam coram senatu egere; non ut Syriæ regnum ipsis adjudicaretur, ad quod jus avitum citra dubium obtinebant; sed ut Ægypti regno potirentur, quod post Ptolemæi Alexandri mortem, adversus Ptolemæi Auletæ nothi invasionem, ad se, matremque suam Cleopatram Selenen devolutum esse contendebant; cum eadem Selene, & Ptolemæi Evergetis II., seu Physconis filia, & Ptolemæi Soteris II., seu Lathuri uxor, & soror fuisset. (*u*)
			Alterum Antiochi X. Pii filium, nempe fratrem Antiochi XIII. Seleucum agnomine Cybiosacten appellatum esse probabiliter ostendimus Prolegomenorum parte IV. cap. ultimo.
72 Olymp. CLXXVII.	4642	241	Nascitur in Idumæa Herodes, qui subinde Magni titulo sibi comparato Judææ regnum Romæ obtinuit: de ejusdem patre diversæ sunt criticorum sententiæ. (*x*)
71	4643	242	Antiochus, Antiochi X. filius, vulgo Asiaticus; postquam biennio fere Romæ suam, & fratris Seleuci causam egisset, ab senatu vero nihil eorum, quæ super Ægypti regno postulasset, obtinere posset, in patrium regnum reversurus Syracusis in Sicilia appellitur: illic Verres, Siciliæ prætor, cum audisset, candelabrum miri laboris, ac summi pretii secum tulisse Antiochum, quod Jovi Capitolino destinarat, malis primum artibus, & violentia denique usus Verres candelabro illo, aliisque rebus pretiosis Antiochum spoliavit. (*y*)
			In Judæa Alexandræ Reginæ conniventia, & Pharisæorum occultis machinationibus Alexandri Jannæi veteres amici alii post alios e medio tollebantur: ubi hoc reliqui periculo proximi persensere, coacto inter se cœtu, & communi consilio supplices, comitante Aristobulo Alexandræ filio, eandem reginam adeunt, atque id orant: ut aut una omnes contrucidentur; aut in castella divisi extra calumnias, & mortis metum viverent. Posteriori petitionis parti Alexandra regina subscripsit, & viros illos variis castellis præfecit, exceptis tamen ex eorum numero tribus castellis, nempe Alexandria, Hyrcania, & Machærunte, in quibus repositi essent præcipui regiæ familiæ thesauri. (*z*)

Adest

(*t*) Videantur inferius dicenda ad annum Seleucidarum 243., & 250.)(Eusebius in Chronico priore.
(*u*) Cicero lib. *6.* in Verrem.
(*x*) Joseph. lib. 14. antiq. c. 1.)(Eusebius lib. 1. histor. Ecclef. c. *6.*, & 7.)(Videri potest Arabica historia Judæorum, edita cum Bibliis Polyglottis Parisinis ad finem.
(*y*) Cicero lib. *6.* in Verrem.
(*z*) Joseph. lib. 13. ant. c. 16.)(& lib. 1. belli c. 5.

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
70	4644	243

Adeſt annus quartus decimus regni Tigranis in Syria, præfecto Magadate. Appianus XIV. annorum ſpatio Tigranem pacate Syriam poſſediſſe memorat. Hoc igitur anno collocandæ ſunt turbæ, quas Cleopatra Selene in Syria movebat. Equidem Juſtinus duodeviginti regni admodum pacati annos Tigrani in Syria tribuit; ſed is numerus XVIII. annorum de toto tempore accipiendus eſt, quo Tigranes Syriam obtinuit: porro bellum cum Selene uno, eodemque anno confectum Juſtinus exigui momenti eſſe putabat, ſi cum quieto reliquo omni regni Syriaci tempore conferatur. (*a*)

Cleopatra Selene, Antiochi Aſiatici mater, intellecta Mithradatis Eupatoris Ponti regis clade, quam a Lucullo Romano imperatore accepiſſet, prævidens, eo bello Tigranem Mithradatis generum implicatum iri, ſollicitabat Syros, qui Tigrani parebant, ut ad ſe, filioſque ſuos, Seleucidarum charum genus, a Tigrane deficerent. Nonnullæ Phœniciæ, ac vicinæ urbes, quas inter Ptolemais, Selenes, & filiorum deſideriis obſecutæ ſunt, quæ alioqui Armeniaci regis arrogantiam ægre ferebant.

Tigranes, de his motibus per Magadatem certior factus, cum quinquaginta millibus militum in Syriam deſcendit. Hac occaſione videtur Tigranes ſeptuaginta Armeniæ convalles a Parthis recuperaſſe, quas eisdem olim cedere debuerat, cum in Parthia detineretur. Hujus expeditionis, & fructus ejus Strabo, ac Dio meminere. Fortaſſe huc facit numiſma Tigranis numero 3. a nobis poſitum, in quo Victoriæ ſimulacro adpoſitæ ſunt literæ ΠΑΡ. quæ Παρθικὴ Νίκη *Parthica victoria*: aut ſimili ratione legi poterunt. (*b*)

Dum Tigranes Ptolemaidem obſidet, pro Selene pugnantem, Alexandra Judæorum regina ad eundem legatos cum pretioſis muneribus mittit, qui orent: Faveret rex potentiſſimus reginæ, ac toti Judæorum genti benevolum ſeſe præſtaret. Tigranes legatos ſpem bonam habere jubet; Ptolemais ab eodem occupatur: Damaſcus ab Alexandra. (*c*)

Quod Appianus omnes cis Euphratem Syros Tigrani ſubditos fuiſſe ſcribat: & Plutarchus in Lucullo Palæſtinam de nomine Tigrani ſubjectam commemoret; me non movet, ut Judæos Tigranis imperio obnoxios fuiſſe credam. Nam e Strabone, Joſepho, & Eutropio ſatis conficitur: Armeniaci regis imperium ad meridiem, ſeu Ægyptum verſus, ultra Phœniciam ſeſe nequaquam porrexiſſe. (*d*)

Lucullus interea Appium Clodium, ſeu Claudium affinem ſuum ad Tigranem in Syriam ablegaverat, ut ab eodem Mithradatem, qui ad Tigranem confugerat, dedi poſtularet. Clodius aſtu viæ ducum, quos rex ſubmiſerat, diu per avia circumductus, denique liberto ſuo, natione Syro, rectam viam indicante, Antiochiam ad Daphnen pervenit. Illic regem, bello adhuc in Phœnicia, & ad Seleuciam detentum, operiri jubetur. Urbes Syriæ clam ad Clodium legatos ſubmittunt, qui rogent: intolerabili Tigranis jugo ut Romani ipſas liberarent. Clodius omnem quidem afflictis Syris a Lucullo opem pollicetur: in præſenti tamen ipſos rem tacite habere, & quietos agere jubet. (*e*)

(*a*) Appianus in Syriacis.)(Juſtinus lib. 40. c. 1., & 2. (*b*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 16., & lib. 1. belli c. 5.)(Joſephus quinquaginta militum millia Tigrani tribuit, ſed probabiliter quinquaginta tantum millia erant.)(Strabo lib. 11.)(Plutarchus in Lucullo.)(Dio Caſſius lib. 35.)(Salluſtius lib. 4. hiſtor.)(Conferatur Juſtinus lib. 38. c. 3. (*c*) Joſeph. lib. 13. ant. c. 16.)(Moſes Chorenenſis hiſtoriæ Armeniacæ lib. 2. c. 13. ubi Alexandram male Meſſalinam vocat, forte Salinam ſcribere ex Euſebio volebat.
(*d*) Appianus Syr.)(Plutarchus in Lucullo.)(Strabo lib. 11. ad finem.)(Joſeph. lib. 13. ant. c. 16.)(Eutropius lib. 6. (*e*) Plutarchus in Lucullo.

Fold out

Ante Christ.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.	
70	4644	243	Tigranes Seleuciam Mesopotamiæ castellum occupat, inclusam illic Cleopatram Selenen, Antiochi X. Pii uxorem, morte mulctandam curat. (*f*) Ita Antiochus Asiaticus, qui, & Commagenus, miseras etiam Syriaci regni reliquias pene omnes amisit, quas ad id usque tempus Selene mater conservare studuerat; etsi ipsa quoque regni potestatem exclusis filiis affectarit. (*g*)
			Antiochiam ingressus Tigranes Appium Clodium admisit ad colloquium; hic Luculli nomine Mithradatem Ponti regem, Romanorum hostem, sibi dedi petit: id ni fiat, bellum Tigrani libere denunciat. Tigranes pietatem in socerum, & publicæ infamiæ metum obtendens, si regem ad se confugientem proderet, negat Mithradatis deditionem; porro ubi Romani bellum propterea intulerint, fortiter se restiturum edicit. Clodius ex oblatis a Tigrane muneribus unicam phialam sibi accepit, & cum Tigranis responso ad Lucullum properavit. Lucullus jam paratis armis illico Armeniam invadit. (*h*)
			Alexandra Judæorum regina graviter ægrotat; tum Aristobulus junior filius clam noctu urbe elapsus, præfectos castellorum amicos suos, & olim eandem secum persecutionem passos, in suas partes trahit. Moritur Alexandra: Hyrcanus, ejus filius natu major, Jerosolymis quidem rex proclamatur; sed firmior potentia, & armatorum robur penes Aristobulum juniorem filium erant, qui se quoque regem ferebat. (*i*)
			Zarbienus Gordyenorum rex (populi Armenii ad Mesopotamiam) de inita clam cum Lucullo societate apud Tigranem accusatus, hujus jussu cum uxore, & liberis interimitur. (*l*)
69	4645	244	Mithradatem regem, quem hactenus suo affatu abstinuerat, hunc denique in conspectum admittit Tigranes, eumque laute habet; mox decem equitum millibus instructum ad sua remittit. (*m*)
			Lucullus Mithrobarzanem Tigranis ducem prælio commisso profligat: tum Armeniæ caput Tigranocertam arcta obsidione cingit. Tigranes cum totius prope orientis viribus adversus Lucullum movet: initur pugna decretoria, mira felicitate Tigranem vincit, & fugere cogit Lucullus. (*n*)
			Parta hac insigni victoria, & Tigranocerta capta, ex omni fere Oriente legati ad Lucullum venere; venit etiam Antiochus Asiaticus, Roma redux, quem perbenigne accepit Lucullus, eidemque avitum Syriæ regnum confirmavit. (*o*)
68	4646	245	Cum Syriæ præfectus Magadates copias pene omnes ad regem suum Tigranem in Armeniam duxisset; Antiochus XIII. ejus nominis Syriæ rex, Antiochi X. Pii e Selene filius, vacuam hostibus
Olymp. CLXXVIII.			Syriæ partem, Luculli quoque benevolentia nixus, facile occupat, atque adeo re jam ipsa Syriæ rex splendidos sibi titulos adjicit: ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Bacchi, Illustris, Patrem Amantis, Præclari Victoris.* (*p*)
			Circa hæc tempora invaluere incursiones a Judæis, & Arabibus latronum more in Syriam factæ. Hierotimus Arabum rex cum sexcentis filiis jam Syriam, jam Ægyptum infestabat. (*q*)

30. Ca-

(*f*) Strabo lib. 16. (*g*) Eusebius in Chronico priore.)(Cicero lib. 8. in Verrem.
(*h*) Plutarchus in Lucullo.)(Memnon c. 48. in Bibliotheca Photii.
(*i*) Joseph. lib. 13. ant. c. 16.)(& lib. 1. belli c. 4., 5.)(& lib. 14. ant. c. 1.
(*l*) Plutarchus in Lucullo. (*m*) Plutarchus ibidem.)(Memnon c. 57. apud Photium.
(*n*) Plutarchus in Lucullo.)(Memnon, c. 57.)(Orosius lib. 6. c. 3.)(Appianus Syr.
(*o*) Orosius ibidem.)(Plutarchus in Lucullo.)(Dio Cassius lib. 35.)(Justinus lib. 40. c. 1., & 2. male Justinus Antiochum hunc Cyziceni filium appellat, cum Antiochus X. non sit appellatus Cyzicenus.
(*p*) Appianus Syr.)(Vide notas ad Numos.)(Strabo lib. 11.
(*q*) Justinus lib. 39., & lib. 40.)(Conferatur Cicero pro lege Manilia.

Æneus III. * 30. Caput imberbe laureatum Herculis Tyrii. Begerus. Theupoli.
ΤΥΡ. (in monogrammate) ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΜΣ. *Tyri Metropolis, Anno 241.* (Annus æræ Seleucidarum.) Hæc sola inscriptio cum literis Phœniciis intra coronam quernam.

Æneus III. * 13. Caput muliebre comptum. Noster. Theupoli.
ΤΥΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΜΣ. *Tyri Metropolis sacræ, Anno 241.* (Annus æræ Seleucidarum.) Palma arbor.

Æneus III. * 32. Caput muliebre turritum, & velatum. Theupoli.
ΤΥΡ. (in monogrammate) ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΙΕΡΑΣ. ΓΜΣ. *Anno 243.* (Annus est æræ Seleucidarum.) Clava, & literæ Phœniciæ: omnia intra quernam coronam.

NUMISMATA ANTIOCHI XIII.
DIONYSI EPIPHANIS PHILOPATORIS CALLINICI.

TABULA XVI.

Æneus III. 1. Caput diadematum Antiochi, vultu barbato. Haym.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Regis Antiochi, Dionysi, Epiphanis, Philopatoris, Callinici.* Jupiter stans, d. Victoriolam, s. hastam.

Æneus III. 2. Caput diadematum Antiochi, vultu imberbi. Vaillant. Haym.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Regis Antiochi, Epiphanis, Philopatoris, Callinici.* Mulier stans, capite tutulato d. ramum palmæ, s. cornu copiæ.

Æneus III. 3. Caput diadematum Antiochi vultu imberbi, cum parte humeri vestiti. Haym.

Eadem aversæ partis inscriptio: Apollo nudus stans, d. extensa, s. tripodi innititur.

Æneus II. vel III. 4. Similis priori, sed omisso titulo ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. in area monogramma. D. Favvkener

(1.) Antiochus XIII. vulgo quidem Asiaticus, & Commagenus a scriptoribus appellatur, sed vera ejus, & honorifica cognomina e numis discimus, nempe ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Bacchi*, forte ob formæ elegantiam, quem titulum constanter non usurpavit: ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Illustris*, seu *Nobilis*, ut priscæ Seleucidarum nobilitatis illustre decus restitutum indicaret. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Patrem Amantis*, quod eodem titulo pater Antiochus X., & avus Antiochus IX. insignes fuissent. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Præclari Victoris.* Quod exactis Tigranis regis alienigenæ militibus, victor avitum regnum pulchra, quia fere incruenta, victoria recuperasset.
Equidem Flavius Josephus Antiocho XII. Antiochi VIII. filio natu minimo *Dionysi* cognomen tributum esse memorat, Antiocho vero XIII. nonnisi Asiatici, aut Commageni titulus a Josepho, aliisque tribuitur. Sed quoniam Josephus alias quoque a veris regum Syriæ cognominibus aberravit, & tituli modo expositi potius Antiocho XIII. quam Antiocho XII. conveniunt; a Josephi sententia discedendum duxi: qua de re etiam in Prolegomenis nostris actum est parte 3. cap. 5. Accedit vero hic Mosis Chorenensis Armeniaci historici testimonium, qui lib. 2. cap. 13. Cleopatræ Selenes, nempe ejus, quam Tigranes Ptolemaide obsedit, filium *Dionysium* appellat. Malela quoque Dionysum hunc Antiochum cognominat.
(2.) Hæc figura videtur Victoriam una, & Fortunam referre.
(3.) Originarii Seleucidarum crediti numinis memoriam instaurare hoc symbolo voluit Antiochus.

Ante Christ. | Periodi Julianæ. | Æræ Seleuc.

68 4646 245 Antiochenis Syriæ lites quædam cum Arabibus erant. Id temporis Publius Clodius a Quinto Marcio, Ciliciæ proconsule, rei maritimæ præfectus, a piratis captus, sed mox dimissus Antiochiam venit, ut civibus contra Arabes præsidio esset; verum cum seditionem excitasset, parum aberat, quin a tumultuante plebe occideretur. (*r*)

Piratæ Cilices mirum quantum aucti, atque ditati, in suas partes præter alios Orientis populos etiam Syros traxere: hi nempe propter diuturnitatem belli Mithradatici cum mallent inferre damna, quam perpeti, mari terram mutarunt. Contra piratas Cilices Romæ Pompejo bellum demandatur, quod anno sequente confecit. (*s*)

67 4647 246 Hoc anno (uti ex Josepho concludit Usserius) duo fratres de Judææ regno prælio ad Hierichuntem decrevere Hyrcanus, & Aristobulus: multi ex Hyrcani militibus ad Aristobulum defecere. Hyrcanus victus in arcem fugit. Pax inter fratres constituta est iis conditionibus: ut Aristobulus regno, & sacerdotio præesset, Hyrcanus quiete privatæ vitæ frueretur. (*t*)

66 4648 247 Cn. Pompejus debellatis piratis Lucullo in imperio per Asiam successor datus, ut decessoris sui gloriæ officeret: nihil ex Luculli actis, & constitutis immotum reliquit. Tigrani pacem dedit ea conditione, ut provinciis bello a se domitis absцederet, aut jure se abdicaret: has inter Syria erat. (*u*) Completi hic sunt XVIII. anni, quot nempe Tigranem in Syria regnasse Justinus prodidit; quanquam postremo hoc triennio Antiochus XIII. magnam Syriaci regni partem possedisse videatur, quod regnum agnoscere noluit Pompejus, uti dicetur.

65 4649 248 Antipater, seu Antipas, Antipæ ducis Idumæi filius, Herodis, postea Judææ regis, uti probabile est, pater homo factiosus, & Aristobulo regi infestus, Hyrcanum, aliosque Judæorum proceres adversus Aristobulum seditiose commovere studebat; sed Hyrcanus his nihil motus, quietem colebat. (*x*)

Urgente porro Antipatro Hyrcanus denique ad Aretam Arabiæ regem confugit, Petræ tunc residentem. Aretas L. millium exercitum ducens, Aristobulum prælio victum, & Hierosolyma con-

64 4650 249 fugientem, in arce oppugnat. Tum bene multi Judæorum optimates, instante azymorum festo, in Ægyptum fugiunt ad Oniam. Quæ illic mire patrata narrat Josephus, indicasse hic satis est; qui volet, ea apud hunc scriptorem leget. (*y*)

Interea Pompejus debellato Mithradate VI. Eupatore Ponti rege, & Romanis aquilis jam superiore anno per Iberos, & Albanos, aliasque barbaras ad Septentrionem nationes prolatis, Æmilium Scaurum ex Armenia in Syriam præmisit, &, si Josepho fides, etiam Gabinium. (*z*)

Olymp. CLXXIX. Damascus a Metello, & Lollio regi Aretæ eripitur. Scaurus Aristobulo adhæret, argento persuasus. Aretas, & Hyrcanus fugiunt, ab Aristobulo prælio vincuntur. Aretas pacem ab Æmilio Scauro petit. (*a*) Ea pax aut hoc, aut sequente aliquo anno petita, dataque videtur; nisi bis data est.

Cnejus Pompejus Syriæ omnis in potestatem populi Romani redigendæ cupidus, superato Tauro monte, bellum infert Antiocho XIII. Commageno, Commagenen, & Syriæ partem possidenti. Antiochus, resistendo impar, Pompeji clementiæ se permittit, & avitum

(*r*) Appianus in Mithradaticis.)(Plutarchus in Pompejo.)(Florus lib. 3. c. 6.)(Cicero pro lege Manilia. (*s*) Dio Cassius lib. 35. (*t*) Joseph. lib. 15. ant. c. 1., & lib. 1. belli c. 6. Confer. lib. 14. ant. c. 1., & lib. 20. c. 1. (*u*) Appianus Mithradat.)(Plutarchus in Pompejo.)(Dio lib. 35.)(Livii Epitome lib. 101.)(Justinus lib. 40. c. 2. (*x*) Joseph. lib. 14. ant. c. 1., & lib. 20. (*y*) Joseph. lib. 14. ant. c. 2., & lib. 1. belli c. 6. (*z*) Joseph. ibid. c. 5., & lib. 14. c. 4.)(Livii Epitome lib. 101. (*a*) Joseph. ibid.)(Numisma familiæ Æmiliæ, & Plautiæ, quod vide descriptum ad finem Annal.)(Dio Cassius lib. 37.

Ante Chriſt.	Periodi Julianæ.	Æræ Seleuc.
64	4650	249
63	4651	250

tum Syriæ regnum precibus auferre laborat. Contra Pompejus ne
64 4650 249 volenti quidem, nedum recuſanti Syriæ eum ſe regem daturum reponit, qui duodeviginti annis (quibus Tigranes in Syria rerum potitus eſſet) in angulo Ciliciæ (vel in Commagene) latuiſſet: victo autem a Romanis Tigrane, alieni operis prœmia poſtulet. Igitur, ut habenti regnum non ademerit, ita quod cum patre ſuo ceſſerit Tigrani, non daturum, quod tueri neſciat; ne rurſus Syriam Judæorum, & Arabum latrociniis infeſtam reddat. Itaque Pompejus Damaſcum adveniens, & a multis regibus, ac legatis provinciarum ſalutatus, atque implorato ejus patrocinio, Cœleſyriam, Phœniciam, & Syriam in provinciam redegit. (*b*)

63 4651 250 Urbibus aliquot Syriacis, quas Judæi antea occupaverant, nunc liberatis, Ἀυτονομίαν idem dedit, ſeu ſuis legibus vivere indulſit, quod & Antiochenis, accepta pecunia, præſtitit, & Seleucienſibus in Pieria libertatem donavit, quod Tigranem non recepiſſent. Hinc Antiochenorum æra, & aliquot aliarum urbium Syriæ in autumno cœpit. (*c*) Hyrcanus, & Ariſtobulus apud Pompejum de Judææ regno diſceptabant: Ariſtobulo iratus erat Pompejus, ab eoque arces tradi poſtulabat. Parebat quidem Ariſtobulus, ſed non fidens Pompejo, Jeroſolyma ſe recipit, illic ſe ſuaque armis tutaturus. Inſequitur illico Pompejus, ac oppugnatum templum, urbemque tertio obſidionis menſe, eoque Decembri, occupat: munitiones aliquas evertit; maxime reos ſecuri percuti jubet; porro Hyrcano, quod ſuos a bello dehortatus eſſet, pontificatum, & principatum, ſed ſine diademate, conceſſit, Judæos tamen tributum populo Romano pendere juſſit. (*d*) Ariſtobulus ſubinde in triumphum Romam abductus eſt.

Denique hoc, aut ſuperiore anno Pompejus relicta, aut reſtituta Antiocho XIII. Commagene, & parte Meſopotamiæ, eundem regem agnovit, & in amicitiam populi Romani recepit. (*e*)

Ita ingens illud Syriacæ monarchiæ imperium in exiguas haſce reliquias, poſt duo ſæcula cum dimidio, reſolutum eſt, ſi ab æra Seleucidarum ejus exordia deducamus. (*f*)

(*b*) Juſtinus lib. 40. ſub finem, ſed non ſat recte unum tantum regni annum in Syria Antiocho XIII. tribuit, uti, & Appianus in Syr.; niſi regnum ejus tum ordiantur, cum deductis omnino Tigranis copiis liberius regnare cœpit.)(Plutarchus in Pompejo.)(Euſebius in Chronico poſteriore male Antiochum IX. Cyzicenum ſe Pompejo dediſſe perhibet.)(Porphyrius idem non bene tribuit Antiocho X. Pio, Cyziceni filio.)(Eundem errorem errat Juſtinus lib. 40., & Appianus in Mithradaticis; recte vero, ac diſtincte idem Appianus in Syriacis ſub finem, Antiochum, qui Pompejo ſe dedidiſſet, Antiochi Pii, & Selenes filium appellavit, qui eſt Antiochus XIII. vulgo Aſiaticus, & Commagenus dictus.)(Joſephus lib. 14. ant. c. 3., & lib. 1. belli c. 5.

(*c*) Joſeph. lib. 14. ant. c. 4.)(Strabo lib. 16. (*d*) Joſeph. lib. 14. ant. c. 4., & lib. 1. belli c. 5.)(Dio Caſſ. lib. 37.)(Euſebii Chronicon.)(Strabo lib. 16. (*e*) Appianus in Syriacis, & Mithradaticis.)(Strabo lib. 16. (*f*) Euſebius in Chronico poſter. 250. annos Seleucidarum imperio tribuit: Porphyrius 239.)(Appianus Syr. annis 270. hoc imperium ſtetiſſe memorat, etiam Alexandri M. annis non adnumeratis; ſed errat, niſi forte Antiochi XIII. annos vitæ, & regni Commageni computet.)(De Commagenes regibus Dominus Maſſon Anglus eruditum opuſculum ſcripſit, quod habetur apud Haym. Tom. 1. Theſauri Britannici, quodque Havercampius ad opera Flavii Joſephi recudi curavit.

Argent. I. | * 33. Caput muliebre turritum, & velatum. | Theupoli.
ΑΡΑΔΙΩΝ. Zqp. *Aradiorum, Anno 197*. Victoria ſtans, d. acroſtolium, omnia intra lauream. Aradi æra cœpit anno Seleuc. 52. hic ergo eſt annus Seleucidarum 248.

Argent. III. | * 34. M. SCAVR. AED. CVR. EX. S. C. Rex Aretas genu flectens, d. ramum oleæ attollit, pone camelus; infra figuram: REX ARETAS. | Noſter, & obvius.
P. HYPSAEVS. AED. CVR. C. HYPSAE. COS. PREIVER. CAPTV.
Jupiter quadrigas agens, d. fulmen.)(

Argent. III. *ſubær.* | * 35. Similis pars averſa, ſed cum capite Pompeji in adverſa parte. | Haym.

SE-

SELEUCIDARUM GENEALOGIA.

ANTIOCHUS clarus dux ſub Alexandro M.
LAODICE uxor

SELEUCUS I. NICATOR, rex.
Ux I. APAME, Artabazi Perſæ filia. — Ux. II. SANDROCTÆ Indiæ regis filia, anonyma — Ux. III. STRATONICE Demetrii Poliorc. filia.

ANTIOCHUS I. SOTER, rex. Ux. I. STRATONICE noverca. — APAME, & LAODICE, *forte*. Ux. II. ſororum alterutra — PHILA, nupta Antigono, Maced. regi. — Filius anonymus.

ANTIOCHUS II. Θεὸς, rex. Ux. I. LAODICE ſoror. Ux. II. BERENICE, Ptolemæi Philadelphi filia. Filius anonymus — PTOLEMÆUS APAME, Magæ regi natu major. Cyrenes nupta. obiit ante patrem. — LAODICE, ux. I. fratris Antiochi II. — STRATONICE ſoror *forte* Antiochi II. nupta Ariarathi III. regi Cappadociæ; niſi cum ſequente eadem eſt.

NICÆA, Demetrio Maced. regi nupta. — STRATONICE, Ariarathi IV. Cappadociæ regi nupta. — SELEUCUS II. CALLINICUS, rex. Ux. LAODICE, Andromachi ducis filia. — ANTIOCHUS Hierax, natu minor. — Myſta vel Pyſta, Seleuci concubina, vel uxor

ACHÆUS tyrannus in Aſia, Antiochi III. avunculus. — SELEUCUS III. CERAUNUS, rex. ſine liberis. — ANTIOCHUS III. Magnus, rex. LAODICE I. uxor, Mithradatis IV. Ponti regis filia. II. uxor EUBIA, vel EUBÆA, Cleoptolemi Chalcideni filia. — Anonyma, nupta Mithradati IV. Ponti regi.

ANTIOCHUS, natu max. ob. ante patrem. Ux. LAODICE ſor. — SELEUCUS IV. PHILOPAT. R. Ux. LAODICE ſor. fratris vidua. — LAODICE, ux. fratr. duorum. — ARDYS, vel ARDYES. — ANTIOCHUS, IV. Θεὸς EPIPHAN. rex. Antiochi ux. -- ANTIOCHIS, concubina ejusd. anonyma. — MITHRADATES. — CLEOPATRA, Ptolemæo Epiph. nup. — ANTIOCHIS, Ariarat. V. Cap. R. nup. — ANONYMA.

LAODICE, Perſeo Maced. regi nupta. — DEMETRIUS I. Θεὸς PHILOPATOR SOTER, rex. Ux. anonyma. — ANTIOCHUS V. EUPATOR, rex. ſine liberis. — LAODICE occiſa ab Ammonio. — ALEXANDER I. THEOPATOR EVERGETES, rex. Ux. CLEOPATRA, Ptolemæi Philometoris filia.

ANTIOCHUS VII. EVERGETES rex, natu minor. CLEOPATRA uxor poſt captum Demetrium II. — DEMETRIUS II. Θεὸς PHILADELPHUS NICATOR, rex. CLEOPATRA ux. I. Alexandro erepta. Ux. II. Rhodoguna Parthiæ regis filia. — ANTIGONUS natu minimus. — ALEXANDER II. rex, in ſtirpe Seleucidarum mendacio inſertus. — ANTIOCHUS VI. EPIPHANES DIONYSUS, rex. ſine liberis.

ANTIOCHUS IX. PHILOPATOR, Rex. Ux. I. CLEOPATRA, Ptolem. Phyſconis primogenita. Ux. II. CLEOPATRA Selene *forte*. — SELEUCUS V. rex. natu major: a matre necatur. ſine liberis. — ANTIOCHUS VIII. EPIPHANES, rex. Uxor I. CLEOPATRA Tryphæne, Ptolemæi Phyſconis filia. Ux. II. CLEOPATRA SELENE TRYPHÆNES ſoror. — ANONYMA, Demetrii II. filia Arſaci Partho nupta.

ANTIOCHUS X. EUSEBES PHILOPATOR rex. Ux. CLEOPATRA SELENE. — SELEUCUS VI. EPIPHANES NICATOR, rex. — ANTIOCHUS XI. EPIPHANES PHILADELPHUS, rex. — PHILIPPUS EPIPHANES PHILADELPHUS, rex. — DEMETRIUS III. PHILOMETOR EVERGETES CALLINICUS, rex. — ANTIOCHUS XII. Θεὸς EPIPHANES NICEPHORUS, rex.

De iſtorum quinque fratrum Regum uxoribus aut liberis nihil conſtat.

ANTIOCHUS XIII. DIONYSUS EPIPHANES PHILOPATOR CALLINICUS, rex. — SELEUCUS, vulgo Cybioſactes, Ægypti regnum delibavit. Ux. BERENICE, Ptolemæi Auletis filia.

IN-

INSCRIPTIONES ANTIQUÆ, AD ANNALES REGUM SYRIÆ ILLUSTRANDOS FACIENTES.

I.

AD Seleucum I. hæc inſcriptio referenda eſt, quam Reineſius Claſſe III. pagina 327. vulgavit, repertam Romæ, in domo de Mellonis.

ΣΕΛΕΥΚΟΣ.	SELEUCUS.
ΒΑΣΙΛΕΥΣ.	REX.
ΛΥΣΙΠΠΟΣ.	LYSIPPUS.
ΕΠΟΙΕΙ.	FECIT.

Videtur hæc fuiſſe inſcriptio baſis, cui ſtatua Seleuci impoſita fuerit, elaborata a Lyſippo. Fuit autem Lyſippus celeberrimus ſtatuarius Alexandri Magni ætate, de quo multa apud Quintilianum, Plinium, Plutarchum, & Arrianum legere eſt. Alexander Magnus non niſi ab Apelle ſe pingi, a Lyſippo fingi voluit; qua de re ita Horatius, epiſtola ad Cæſarem Auguſtum:

Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra,
Fortis Alexandri vultum ſimulantia.

Ætas Lyſippi utique ſuadet, Seleuci I. hanc fuiſſe ſtatuam, cujus baſis inſcriptionem exhibuimus.

II.

PSephiſma, ſeu Decretum Sigeorum in Troade, quo laudatis Antiochi I. Seleuci filii, ſtudiis, & impenſis in conſervandum imperium curis, ob ejus cum regina ſorore in urbem Sigeum adventum, proque eorum ſalute, cum ſupplicationes, tum aliæ honoris, & lætitiæ ſignificationes decernuntur. Primis poſt obitum Seleuci patris, Antiochi regis annis convenire videtur hæc inſcriptio, quam ex *Tom. IV. Novi Theſauri Veterum inſcriptionum celeberrimi Muratorii, pag.* MM. CXIIX. &c. excerpſi; interpretationem vero latinam, tametſi ſane elegans in laudato Theſauro extet, ad verbum hic aliam adjungere viſum eſt, quod & in ſequentibus quibuſdam inſcriptionibus præſtiti; interpunctiones in Græco claritatis cauſa adjeci, tametſi in lapide antiquo non habeantur: compendii cauſa charactere minore uſus ſum.

Επιμηνιευοντος. Νυμφιου. του. Διοτρεφους. Επιστατουντος. δε. Διο. - - -
Epimenia curante Nymphio Diotrephis filio, Epiſtatem agente autem Dionyſio
ου. του. Ιππομεδοντος. Δημητριος. Διους. ειπεν. επειδη. βασιλευς. Αντιοχος.
Hippomedontis filio, Demetrius Diis filius dixit: quandoquidem rex Antiochus,
βασιλεως. Σελευκου. εν αρχηι. τε παραλαβων. τημ. βασιλειαν. και. προστας.
regis Seleuci filius in principio, & aſſumens regnum, & præ ſe ferens
ενδοξου. και. καλης. αιρεσεως. ζητησε. τας. μεν. πολεις. τας. κατην.
gloriæ plenum, & egregium propoſitum, quæſivit eas quidem urbes, quæ prope
Σελευκιδα. πειριεχομενας. υπο. καιρων. δυσχερων. δια. τους. αποσταντας. τωμ.
Seleucidem, circumſeptas temporibus difficilibus ob quoſdam deficientes ab
πραγματων. εις. ειρηνην. και. την. αρχαιαν. ευδαιμονιαν. καταστηναι. τους.
operibus in pacem, & antiquam felicitatem reſtituere, contra eos
θ'επιθεμενους. τοις. πραγμασιν. επεξελθων. καθαπερ. ην. δικαιον. ανακτησασθαι.
vero, qui invaſerant negotia, egreſſus, quemadmodum erat juſtum, recuperaturus

τημ. πατρωιαν. αρχην. διο. και. χρησαμενος. σπουδηι. καληι. και. δικαιαι. και
patrium principatum, propterea etiam usus industria egregia atque justa, &
λαβων. ου. μονον. τους. φιλους. και. τας. δυναμεις. εις. το. εναγωνισασθαι. περι.
nactus non modo amicos, & copias militares, ad decertandum super
των. πραγματων. αυτωι. προθυμως. αλλα. και. το. Δαιμονιον. ευνουν.
his negotiis pro eo prompto animo; verum etiam Divinum Numen benevolum,
και. συνεργον. τας. δε. πολεις. ειρηνην. και. τημ. βασιλειαν. εις. την. αρχαιαν.
& collaborans, porro urbes, pacem, & regnum in veterem
διαθεσιν. κατεστησεν. Νυν. δε. παραγενομενος. επι. τους. τοπους. τους. επιταδε. του.
statum restituit. Nunc vero adveniens in loca ista, quæ ad
Ταυρου. μετα. πασης. σπουδης. και φιλοτιμιας. αμα. και. ταις. πολεσιν. την. ειρηνην.
Taurum, cum omni diligentia, & honoris studio, una quoque urbibus pacem
κατεσκευασεν. και. τα. πραγματα. και. τημ. βασιλειαν. εις. μειζω. και. - - εραν. διαθεσιν.
comparavit, & negotia, & regnum in majorem (*& perfectiorem*) statum
αγηγοχε. μαλιστα. μεν. δια. την. ιδιαν. αρετην. ειτα. και. δια. την. -- ων. και. των.
deduxit; maxime quidem per propriam virtutem; deinde etiam per
δυναμεων. ευνοιαν. Οπως. ουν. ο. δημος. επειδη. και. προς. - -
copiarum militarium benevolentiam. Ut igitur populus, quandoquidem & erga (*re-*
- - - καθ. ον. καιρον. παρελαβεν. τημ. βασιλειαν. ευχας. και. θυσιας. υπερ.
gem) quo tempore suscepit regnum, supplicationes, & sacrificia pro
αυτου. πασι. τοις. Θεοις. διετελει. ποιουμενος. και. νυν. ευνους. ων.
ipso omnibus Diis usque offerendo perseveraverit; & nunc (*æque*) benevolus cum sit,
και. την. αυτην. - - - εσιν. εχων. φανερωσηι. τωι. βασιλει. τυχηι. τηι. αγα-
& eandem (*animi affectionem*) habens eluceat erga ipsum regem, bona cum fortu-
θηι. δεδοχθαι. τηι. ε. -- τωι. δημωι. την. μεν. ιερειαν. και. τους. ιερονόμους.
na, visum est (*senatui*) populoque ipsam quidam sacerdotem, & sacrorum curatores
και. τους. - - - εις. ευξασθαι. τηι. Αθηναι. τηι. Ιλιαδι. μετα. των. πρεσβευτων. την.
& supplicationes instituere Minervæ Iliadi, cum legatis, ut
παρουσιαν. γεγονεναι. του. βασιλεως. και. της. αδελφης. αυτȣ. βασιλισσης. και. των. φι-
adventus eveniat regis, & sororis ejusdem reginæ, & amico-
λων. και. των. δυναμεων. και. γινεσθαι. τα. δε. αλλα. αγαθα τωι. βασιλει. και.
rum, & copiarum militarium, & eveniant *etiam* alia prospera ipsi regi &
τηι. βασιλισσηι. παντα. και. τα. πραγματα. και. τημ. βασιλειαν. αυτοις. διαμενειν, λαμ-
reginæ omnia pariter negotia, & ut regnum ipsis permaneat, ca-
βανουσαν. επιδοσιν. καθαπερ. αυτοι. προαιρουνται. Ευξασθαι. δε και.
piens incrementum, quomodo ipsi exoptant. Supplicationes porro facere etiam
τȣς. αλλȣς. ιερεις. και. ιερειας. μετα. τȣ. ιερεως. τȣ. τȣ. βασιλεως. Αντιοχȣ. τωι.
alios sacerdotes, & sacras mulieres, cum sacerdote ipsius regis Antiochi, cum
τε. Απολλωνι. τωι. Αρχηγ. - - - τȣ. γενȣς. αυτȣ. και. τηι. Νικηι. και. τωι. Δαι. και. τοις
Apollini Auctori generis ipsius, tum etiam Victoriæ, & Jovi, atque
αλλοις. Θεοις. πασι. και. πασαις. ταις. ευχαις. τηι. μεν. Αθηναι. συντελε-
aliis Diis omnibus, & omnibus *Deabus*, supplicationibus ipsi quidem Minervæ simul
σατωσαν. την. νομιζομενην. και. τατ. - - - σιαν. οι. τε. ιερονομοι. και.
sacra perficiunto, legitimum, & *præscriptum sacrificium*, & sacrorum curatores, &
οι. Πρυτανεις. μετα. της. ιερειας. και. πρεσβευτων. - - - λλωνι. και. τοις. αλλοις. Θεοις.
Prytanes cum ipsa sacerdote, & legatis Apollini, & aliis Diis
οι. στρατηγοι. μετα. των. αλλων. ιερειων. οταν. - - - σιας. στεφανηφορειτωσαν.
prætores cum aliis sacerdotibus, quando (*faciunt sacra*) coronas ferant:
οι. τε. πολιται. και. οι. παροικοι. παντες. και. συν. - - - ας. συντελειτωσαν. θυσιας.
porro cives & incolæ omnes, & contubernales una perficiant sacrificia
τοις. Θεοις. υπερ. τȣ. βασιλεως. και. τȣ. δημȣ. - - - εις. την. τιμην. και. δοξαν.
Diis pro rege, & populo ad (*regis*) honorem & gloriam
ανηκοντα. συγκατασκευαζων. ο. δ. - - - νεσαι. μεν. αυτον. επι. τηι. αρετηι. και.
facientia comparans populus *ad laudandum* quidem ipsum ob virtutem &
τηι. ανδραγαθιαι. τηι. - - - κονα. χρυσην. εφ. ιππȣ. εν. τωι. ιερωι. της. Αθηνας.
virilem præstantiam simulacrum aureum in equo in templo Minervæ

in

εν. τηι. Σ. - - - επι. βηματος. τυ. λευκολιθυ. και. επιγραψαι. ο. δημος. - - - -
in (*Sigeorum urbe*) super basi ex albo saxo, & inscribendum populus (*curet*)
οχον. βασιλεως Σελευκυ. ευσεβειας. ενεκεν. της. εις. το. ιερο. - - - Σωτηρα
Antiochum regis Seleuci (*filium*) pietatis causa, qua in templum (*est*) Sospitatorem
γεγονοτα. τυ. δημυ. Αγορευσαι. δε. και. εμ. - - - γυμνικωι. αγωνι. τον. αγωνοθετην.
factum populi. Annunciatum iri autem etiam in gymnico certamine per agono-
και. τοις, - - λις. και. αι. λοιπαι. πολεις. ςεφανωσιν. - - - Ιλιαδα. την. αγγελιαν.
thetam,& & reliquæ urbes coronabunt *Minervam* Iliadem, legationem
ποιυμενος. - - - ελεσθαι. δε. και. πρεσβευτάς. εκ, παν. - - - - ασπασαμενοι. αυτον.
obiens fore ut eligant etiam legatos ex omnibus salutaturi ipsum
παρα. τ. - - πιαινειν. αυτον. τε. και. την. - - και. τυς. φιλυς. και. - - μην. και. απολογισαμ. -
- - - & ipsum, & & amicos & &
- - - - - αυτυ βασιλεως.
ipsius regis.

Ex hac inscriptione certum fit, Antiocho I. Soteri fuisse sororem, eamque, cum *Regina* appelletur, probabile puto, uxorem fuisse. Si Malelæ chronographo credimus, soror hæc aut Apame, aut Laodice dicta est; utraque Seleuci ex Apame filia erat. Itaque paullo post obitum Seleuci Nicatoris e vivis excessit Stratonice prior Antiochi I. uxor, eademque noverca.

Deinde *Soter* jam hic appellatur Antiochus, uti manca inscriptio satis certo suppletur. Ex quo tamen nondum certo concluditur: *Soteris* titulum jam ipsum Antiochum hoc tempore publice usurpasse. Nam ab adulantibus populis cum alios, tum inprimis *Soteris*, seu *Servatoris* titulum sæpius datum esse regibus, de republica bene meritis, res est notissima. Quare Appianum erroris insimulare, aut aliter exponere necesse non est, qui post celebrem de Gallis obtentam victoriam, quæ paullo serius contigit, ac res hic memoratæ, Antiochum Soteris titulum demum accepisse perhibet; quod utique de titulo, non ab una, vel altera urbe honoris causa dato, sed de eo accipiendum est, quo rex ipse publicis in monumentis appellari voluisset; uti numismata hujus Antiochi duo rarissima, quæ protulimus, certo testantur. De Soteris titulo in multos olim profuso legi meretur eruditissimi Viri Julii Caroli Schlægeri Commentatio de Diis, hominibusque Servatoribus.

III.

En monumentum Adulitanum, quod Ptolemæus Evergetes Ægypti, & Syriæ, Asiæque rex devicto Seleuco II. Syriæ rege, multisque gentibus subactis, in urbe Adulis, ad Sinum Arabicum versus Africam sita, thronum Marti dedicans posuit. Hoc monumentum Justiniani Imperatoris primo imperii anno se Adulis vidisse, & exscripsisse testatur Cosmas monachus. Ex eo Thevenotius vulgavit, & Leo Allatius. Ego hic ita repræsentabo, uti apud Sponium exhibetur in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis Sectione X. pag. 358. numero CIII. Exhibeo autem isthic partem duntaxat priorem inscriptionis, tum quia ea sola proprie ad nostros Annales facit, tum quia altera pars mihi de syncera antiquitate suspecta est, Nam quid est, quod in priori parte Ptolemæus Evergetes dicatur Ptolemæi, & Arsinoës filius, paternum genus ab Hercule, maternum a Baccho, vel Bacchi matre, deducens? in posteriore vero idem semet (prima persona loquens) Marte genitum profiteatur? Non omnia Græcis credenda sunt. Interpretationem Latinam ad verbum subjeci.

Βασιλευς. μεγας. Πτολεμαιος. υιος. βασιλεως. Πτολεμαιυ. και. βασιλισσης. Αρσινοης.
Rex magnus Ptolemæus, filius regis Ptolemæi & reginæ Arsinoës,
Θεων. αδελφων. των. βασιλεων. Πτολεμαιυ. και. βασιλισσης. Βερενικης. Θεων. Σωτηρων.
Deorum fratrum: regum Ptolemæi & reginæ Berenices, Deorum Servato-
απογονος. τα. μεν. απο. Ηρακλευς. τυ. Διος. τα. δε. απο. μη-
rum nepos, quoad ista quidem (paternum genus) ab Hercule Jovis filio, illa autem (ma-
τρος. Διονυσυ. τυ. Διος. παραλαβων. παρα. τυ. πατρος. την. βασιλειαν. Αι-
ternum genus) a matre Bacchi, Jovis filii; accipiens a patre regnum Æ-

 gypti,

γυπτȣ. και. Λιϐυης. και. Συριας. και. Φοινικης. και. Κυπρȣ. και. Λυκιας. και. Καριας. και. των. Κυ-
gypti, & Lybiæ, & Syriæ, & Phœnices, & Cypri, & Lyciæ, & Cariæ & Cycla-
κλαδων. νησων. εξεςρατευσεν. εις. την. Ασιαν. μετα. δυναμεως. πεζικων. και. ιππικων.
dum insularum, bellum extulit in Asiam, cum copiis pedestribus, & equestribus,
και. ναυτικȣ. ςολȣ. και. ελεφαντων. Τρογλοδυτικων. και. Αιθιοπικων. ȣς. ο τε πατηρ αυτȣ.
& nautica classe, & elephantis Troglodyticis, & Æthiopicis, quos & pater ejus,
και. αυτος. πρωτος. εκ. των. χωρων. τȣτων. εθηρευσαν. και. καταγαγοντες. εις. Αιγυπτον.
& ipse, primus ex regionibus istis venatu cepit, & deducentes in Ægyptum
κατεσκευασαν. προς. την. πολεμικην. χρειαν. Κυριευσας. δε. της. τε. εντος. Ευ-
compararunt ad bellicos usus. Dum in potestatem redegit, quæque intra Eu-
φρατȣ. χωρας. πασης. και. Κιλικιας. και. Παμφυλιας. και. Ιωνιας. και. τȣ. Ελλησποντȣ.
phratem est, regionem omnem & Ciliciam, & Pamphyliam, & Joniam, & Hellespontum,
και. Θρακης, και. των. δυναμεων. και. των. εν. ταις χωραις. ταυταις. πασων. και. ελεφαντων.
& Thraciam, & exercitus, & in regionibus istis omnes, & elephantos
Ινδικων. και. τȣς. μοναρχȣς. τȣς. εν. τοις. τοποις. παντας. υπηκοȣς καταςησας. διεϐη. τον.
Indicos; & principes, qui in istis locis, omnes sibi obnoxios cum fecisset: transivit
Ευφρατην. ποταμον. και. την. Μεσοποταμιαν. και. Βαϐυλωνιαν. και. Σȣσιανην. και. Περσιδα. και.
Euphratem fluvium, & Mesopotamiam, & Babyloniam, & Susianam, & Persidem, &
Μηδιαν. και. την. λοιπην. πασαν. εως. Βακτριανης. υφ. εαυτωι. ποιησαμενος. και. αναζητησας.
Mediam, & reliquam omnem usque Bactrianam sub semet faciens, & requirens
οσα. υπο. των. Περσων. ιερα. εξ. Αιγυπτȣ. εξηχθη. και. ανακομισας. μετα. της. αλλης.
quæcunque a Persis sacra ex Ægypto educta sunt, & referens cum aliis
γαζης. της. απο. των. τοπων. εις. Αιγυπτον. δυναμεις. απεςειλεν. δια. των. ορυχθεντων.
thesauris a dictis locis; in Ægyptum copias dimisit perfodiendo didu-
ποταμων. &c.
ctos fluvios. &c.

Quod in præcedente hoc monumento Ptolemæus Evergetes a patre suo Ptolemæo Philadelpho regnum Syriæ accepisse legitur, ita intelligendum puto, ut Cœlesyriam, & Phœniciam, aut earum partem, vel jus ad Syriæ regnum Philadelphus filio tradidisse credatur. Illud porro ad historiæ fidem recte, atque etiam ad numismata antiqua congruenter expressum fuit: quo Evergetis parentes ΘΕΩΝ. ΑΔΕΛΦΩΝ. *Deorum Fratrum*, Avus vero Ptolemæus Soter, & Avia, ΣΩΤΗΡΩΝ. *Servatorum*, titulis distinguuntur. Quæ de subacta Perside, Media, & Susiana isthic referuntur, ita accipienda puto; ut aut istarum provinciarum præfecti, metu, ac desperatione adacti, ultro sese dediderint; aut incursionibus, ac rapinis regiones istæ potius vexatæ sint, quam justo belli apparatu, & vi armorum ab Ægyptiis subactæ.

IV.

Inter marmora Arundeliana a Seldeno primum, deinde ab Humfrido Prideaux edita principem facile locum illa sibi vendicant, quibus fœdus, ac decreta de eo fœdere insculpta sunt, quo Smyrnæi, ac Magnetes Seleuci II. Syriæ regis Ægyptiaco bello pene oppressi, securitatem, ac majestatem tueri constituissent. Prima hujus insignis monumenti pars complectitur decretum ipsi fœderi prævium, quod ita habet, expletis, uti ab Humfrido quoque factum est, exiguis quibusdam lacunis.

Εδοξεν. τωι. δημωι. ςρατηγων. γνωμηι. επειδη. προτερον. τε. καθ. ον. καιρον. ο.
Visum est populo prætorum sententia: posteaquam jam prius, quo tempore
βασιλευς. Σελευκος. υπερϐαλεν. εις. την. Σελευκιδα. πολλων. και. μεγαλων. κινδυνων. περι.
rex Seleucus expeditionem fecit in Seleucidem, multis ac magnis periculis cir-
ςαντων. την. πολιν. ημων. και. την. χωραν. διεφυλαξεν. ο. δημος. την. προς. αυτον. ευ-
cumstantibus urbem nostram & regionem, conservavit populus erga ipsum be-
νοιαν. τε. και. φιλιαν. ου. καταπλαγεις. την. των. εναντιων. εφοδον.
nevolentiam simul ac amicitiam, non perterrefactus adversariorum irruptione,
ȣδε. φροντιδας της. των. υπαρχοντων. απωλειας. αλλα. παντα. δευτερα. ηγησαμενος.
neque curis de possessionum jactura, verum omnia inferiora ducens
esse

ειναι. προς. το. διαμειναι. εν. τηι. αιρεσει. και. αντιλαβεσθαι. των. πραγματων. κατα. την.
esse, ut permaneret in proposito, & susciperet negotia pro
εαυτυ. δυναμιν. καθως. εξ. αρχης. υπεστη. Δι. ο. και. ο. βασιλευς. Σελευκος.
sua facultate, quemadmodum ab initio suscepit. Quamobrem etiam rex Seleucus
ευσεβως. τα. προς. τυς. Θεους. διακειμενος. και. φιλοστοργως. τα. προς. τυς.
religiose in iis, quæ ad Deos referuntur, se habens, & pie in iis, quæ ad
γονεις, μεγαλοψυχος. ων. και. επισαμενος. χαριτας. αποδιδοναι. τοις. εαυτον. ευεργετυσιν. ετιμησεν. την. πολιν. ημων. δια. τε. την. τυ. δημυ. ευνοιαν. και. φιλοτιμιαν. ην. επεποιητο. εις. τα.πραγματα. αυτυ. και. δια. το. τον.
parentes, magno animo cum sit, & norit gratias rependere iis, qui de ipso bene merentur; honore affecit civitatem nostram, & ob populi benevolentiam, atque studium honoris *regii*, quod opere ostendit in negotiis ipsius *regis*, & propterea, quod
πατερα. αυτυ. Θεον. Αντιοχον. και. την. μητερα. την. τυ. πατρος. Θεαν. Στρατονικην.
pater ipsius Deus Antiochus, & mater patris Dea Stratonice
ιδρυσθαι. παρ. ημιν. τιμωμενυς. τιμαις. αξιολογοις. και. κοινηι. υπο. τυ. πληθυς.
consecrati sunt apud nos, cultique honoribus dignis & publice a multitudine,
και. ιδιαι. υφ, εκαστυ. των. πολιτων. Και. εβεβαιωσεν. τωι. δημωι. την. αυτονομιαν.
& privatim a singulis civium Et confirmavit populo usum juris sui,
και. δημοκρατιαν. Εγραψεν. δε. προς. τυς. βασιλεις. και. τυς. δυναστας. και. τας. πολεις. και.
& populare regimen. Scripsit autem ad reges, & dynastas, & urbes, &
τα. εθνη. αξιωσας. αποδεξασθαι. το. τε. ιερον. της. Στρατονικιδος. Αφροδιτης. ασυλον.
populos petens, ut recipiant, id templum Stratonicidis Veneris inviolabile
ειναι. και. την. πολιν. ημων. ιεραν. και. ασυλον. Νυν. δε. υπερβεβληκοτος. τυ. βασιλεως. εις. την. Σελευκιδα. οι. στρατηγοι. σπευδοντες. διαμενειν. τωι. βασιλει. τα. πραγματα. συμφεροντως. διεπεμψαντο. προς. τυς. εν. Μαγνησιαι. κατοικυς. και. προς. τυς. υπαιθρυς. ιππεις. και. στρατιωτας. και. απεστειλαν. εξ. αυτων. ενα. Διονυσιον. τον. παρακαλεσαντα.
esse, & urbem nostram sacram, & inviolabilem. Nunc autem expeditionem faciente rege in Seleucidem prætores propere curantes, ut permaneant regi negotia conducibiliter, miserunt ad eos, qui sunt Magnesiæ colonos, & ad castrenses equites, & milites, & dimiserunt ex ipsis unum Dionysium, qui invitaret
αυτυς. διαφυλασσειν. την. φιλιαν. και. ευμαχιαν. βασιλει. Σελευκωι, εις. παντα.
illos ad conservandam amicitiam, & belli societatem cum rege Seleuco, in omne
τον. χρονον. επαγγελομενοι. διατηρυντων. αυτων. τα. πραγματα. και. τον. αυτον. εχθρον
tempus promittentes: si constanter curent ipsi negotia, & eundem hostem
και. φιλον. ηγυμενων. υπαρξειν. αυτοις. παρα. τυ. δημυ. και. παρα. τυ βασιλεως. Σελευκυ.
atque amicum ducant, obventura ipsis a populo, & ab rege Seleuco
παντα. τα. φιλανθρωπα. και. καλως. εχοντα. και. αποδοθησεσθαι. χαριτας. αυτοις. αξιας.
omnia humanitatis officia, & beneficia, & redditum iri gratias ipsis dignas
της. αιρεσεως. Οι. δε. εν. Μαγνησιαι. παρακλειθεντες. και. αυτοι. οντες. προθυμοι.
hoc proposito. Magnesii vero invitati & ipsi cum essent prompto ani-
προς. το. διαφυλασσειν. τωι. βασιλει. την. τε. φιλιαν. και. την. συμμαχιαν. και. διατηρειν. αυτωι. τα. πραγματα. τα. τε. αξιοθεντα. υπο. των. στρατηγων. φιλοτιμως.
mo ad conservandam regi & amicitiam & belli societatem, atque ad contutanda ipsius negotia, & postulata a prætoribus studio honoris prompti
απεδεξαντο. και. επαγγελλονται. την. αυτην. εξειν. αιρεσιν. τωι. δημωι. τωι. ημετερωι.
acceptarunt, & promittunt eandem habere electionem cum populo nostro
εις. παντα. τυ. βασιλεως. Σελευκυ. συμφεροντα. Και. απεσταλκασιν. προς. ημας. πρεσβευτας.
ad omnia regi Selouco conducibilia, Et dimiserunt ad nos legatos
εξ. μεν. των. κατοικων. Ποταμωνα. και. Ιεροκλην. εκ. δε. των. υπαιθρων. Δαμωνα. και.
ex colonis quidem Potamonem & Hieroclem; ex castrensibus vero Damonem &
Απολλονικετην. τυς. απολεξομενυς. τε. ημιν. και. ανοισαντας. την. ομολογιαν. καθ, ην. αξιυσιν. συνθεσθαι. την. προς. εαυτυς. φιλιαν. Εξαχθεντες. δε. και. οι.
Apolloniceten, qui colloquerentur nobiscum, & afferent *fœdus, seu* consensionem, secundum quam petunt constitui secum amicitiam. Educti vero enim

πρεσβευται. επι. τον. δημον. συνλελαλεκασιν. υπερ. απαντων. ακολυθως. τοις. εν. τηι. ομο-
legati ad populum collocuti sunt de omnibus ordine, quæ in fœde-
λογιαι. γεγραμμενοις. αγαθηι. τυχηι. δεδοχθαι. την. τε. φιλιαν. συντιθεσθαι. προς.
re scripta sunt; cum bona fortuna visum esse: cum amicitiam constituere cum
τυς. εν. Μαγνησιαι. επι. πασι. τοις. τυ. βασιλεως. Σελευκυ. συμφερυσιν. και. αποδειξαι
Magnesiis, in omnibus iis, quæ regi Seleuco utilia essent: tum designare
προς. αυτυς. πρεσβευτας. τρεις. οιτινες. την. ομολογιαν. τε. ητις. αν. δοξηι. τωι. δημωι.
ad ipsos legatos tres, qui fœdus etiam, quale probatum fuerit populo,
ανοισυσιν. αυτοις. και. περι. των. γεγραμμενων. εν. αυτηι. διαλεγησονται. και. παρακαλεσυσιν
afferrent ipsis, & de iis, quæ scripta sunt in ipso, sermonẽ conferrent, & invitarent
αυτυς. δεχεσθαι. δε. και. συντελειν- τα. εν. τηι. ομολογιαι. γεγραμμενα. Και. εανπερ
ipsos ad recipiendum, atque implendum ea, quæ in fœdere scripta sunt. Et quando
δεξωνται. οι. εν. Μαγνησιαι. ορκισατωσαν. αυτυς. οι. αποδειχθησομενοι.
receperint *ista* Magnesii, ad obstringendum se adigant ipsos designati
πρεσβευται. τον. ορκον. τον. εν. τηι. ομολογιαι. γεγραμμενον. Προσδεξαμενων. δε.
legati jurejurando illo, quod in fœdere scriptum est. Ubi vero receperint
ταυτα. οι. εν. Μαγνησιαι. και. συνσφραγισαμενων. την. ομολογιαν. και. ομοσαντων.
ista Magnesii, & communi sigillo obsignaverint fœdus, atque juraverint
και. επανηλθοντων. των. πρεσβευτων. συντελεισθω. και. τα. λοιπα. παντα. τα. εν. τηι.
reversique fuerint legati, perficiantur quoque reliqua omnia, quæ in
ομολογιαι. γεγραμμενα. και. το. ψηφισμα. τοδε. αναγραφητω. κατα. τον. νομον. ανα-
fœdere scripta sunt, & hoc ipsum decretum inscribitor secundum legem: in-
γραφητω. δε. και. εις. ϛηλας. εις. ας. και. η. ομολογια. αναγραφησεται. Καλεσα-
scribitor porro etiam in columnas, in quas itidem fœdus inscribetur. Invitan-
τωσαν. δε. οι. επιμηνιοι. της. βυλης. και. τυς. πρεσβευτας. τυς. παραγενομενυς.
to autem menstrui e senatu magistratus etiam legatos, qui advenerunt
εκ. Μαγνησιας. επι. ξενισμον. εις. το. Πρυτανειον. τοις. δε. αποδειχθεισιν. πρεσ-
ex Magnesia ad hospitale epulum in Prytanium; porro designatis le-
βευταις. δοτω. μεθοδιον. Καλλινος. ο ταμιας. το. εκ. τυ. κοινυ εφ. ημεραν. οσων. αν. ο
gatis dato commeatum Callinus quæstor, idque ex publico in dies, quot quidem
δημος. ταξηι. απο. της. πολεως. προσοδων. ημεραι. εταγησαν. πεντε. Πρεσβευται
populus ordinarit: de urbis proventibus dies ordinatæ sunt quinque. Legati
αποδειχθησαν. Φανοδημος. Μικ.--- Διονυσιος. Διονυτα. Παρμενισκος. Πυ-
designati sunt Phanodemus Mic.--- Dionysius Dionytæ *filius*, Parmeniscus Py-
θευ.
theæ *filius*.

Sequitur ipsum Smyrnæorum, & Magnetum fœdus, quod alteram hujus monumenti partem efficit.

Επι. Ιερεως. Ηγησιυ. Στεφανοφορυ. δε. Πυθοδωρυ. μηνος. Ληναιωνος. αγαθηι.
Sub Sacerdote Hegesia, Sertigero autem Pythodoro mense Lenæone cum bona
τυχηι. επι. τοις. δε. συνεθεντο. την. φιλιαν. Σμυρναιοι. και. οι. εν. Μαγνησιαι. κατοικοι.
fortuna his quidem *pactis* constituerunt amicitiam Smyrnæi & qui Magnesiæ coloni,
οιτε. κατα. πολιν. ιππεις. και. πεζοι. και. οι. εν. τοις. υπαιθροις. και. οι. αλλοι. οικεται.
quique in urbe equites, & pedites, & qui in castris, & alii incolæ;
και. την. πολιτειαν. εδωκαν. Σμυρναιοι. τοις. εν. Μαγνησιαι. κατοικοις. τοις τε. κατα. πολιν.
atque civitatis jus dedere Smyrnæi Magnesiæ colonis, quique in urbe,
ιππευσι. και. πεζοις. και. εν. τοις. υπαιθροις. και. τοις. οικυσι. την. πολιν. εφ. οτω.
equitibus, & peditibus, & qui in castris, & inhabitantibus urbem, in quantum
την. μεν. συμμαχιαν. και. την. ευνοιαν. την. εις. τα. πραγματα. τυ. βασιλεως. Σελευκυ.
quidem belli societatem & benevolentiam in negotiis regis Seleuci
con-

διατηρησουσιν. οι. εν. Μαγνησιαι. τωι. βασιλει. Σελευκωι. μετα. πασης. προθυμιας: εις.
conservaturi sunt Magnesii regi Seleuco cum omni alacritate in
απαντα. τον. χρονον. και. οσα παρειληφαν. παρα. τυ. βασιλεως: Σελευκυ. φυλαξαν-
omne tempus; & quæcunque acceperunt ab ... rege Seleuco, tutatu-
τες. εις. δυναμιν. ειναι. την. αυτον. αποδωσυσιν. τοι. βασιλει. Σελευκωι. Πολιτευσονται.
ri pro viribus suis, restituent regi Seleuco. Jure civitatis fruen-
δε. μετα Σμυρναιων. κατα. τυς. της. πολεως. νομυς. ασασιαςως. τον. αυτον. εχθρον.
tur porro cum Smyrnæis secundum ejus urbis leges, sine seditione, eundem hostem
και. φιλον. ηγυμενοι. Σμυρναιοις. Ομυνται. δε. και. οι. εν. Μαγνησιαι. Σμυρναιοις. και.
& amicum ducentes cum Smyrnæis. Jurabunt autem & Magnesii Smyrnæis, &
Σμυρναιοι. τοις. εν. Μαγνησιαι. εκατεροι. αυτων. τον. ορκον. τον. εν. τηι. ομολογιαι.
Smyrnæi Magnesiis utrique ipsorum sacramentum in fœdere
υπογεγραμμενον. Συντελεσθεντων. δε. των. ορκων. τα. μεν. εγκληματα. αυτοις. τα.
subscriptum. Condictis vero sacramentis querelæ inter ipsos
γεγενημενα. κατα. τον. πολεμον. ηρθω. παντα. και. μη. εξεςω. μηδε. ετεροις. εγκα-
enatæ tempore belli tolluntor omnes, & fas non esto, neutri parti, incu-
λεσαι. περι. των. κατα. τον. πολεμον. γεγενημενων. μητε. δια. δικης. μητε. κατ. αλλον.
sare de iis quæ tempore belli facta sunt: neque in judicio, neque alia
τροπον. μηδενα. ει. δε. μη. παν. το. επιφερομενον. εγκλημα. ακυρον. εςω. Δεδοσθαι.
ratione ulla, quod si secus, omnis allata accusatio irrita esto. Datam esse
δε. τοις. εν. Μαγνησιαι. κατοικοις. τοις. τε. κατα. πολιν. ιππευσι. και. πεζοις. και. τοις. υπαι-
autem Magnesiæ colonis, quique in urbe equites, & pedites, & castren-
θροις. πολιτειαν. εν. Σμυρναι. εφ. ισηι. και. ομοιαι. τοις. αλλοις. πολιταις.
sibus jus civitatis in *urbe* Smyrna ad æqualem & similem modum, uti aliis civibus.
Ομοιως. δε. δεδοσθαι. την. πολιτειαν. και. τοις. αλλοις. τοις. οικυσιν. εν. Μαγνησιαι
Similiter vero datum esse jus civitatis etiam aliis habitantibus Magnesiæ,
οσοι. αν. ωσιν. ελευθεροι. τε. και. Ελληνες. Ανενεγκατωσαν. δε. τυς. μεν. καταλοχισ-
quicunque quidem sint liberi una, & Græci. Exhibento autem *turmas* & cohortes
μυς. των. εν. Μαγνησιαι. ιππεων. τε. και. πεζων. των. τε. κατα. πολιν. και. των. υπαι-
eorum, qui Magnesiæ sunt, equitum juxta ac peditum urbicorum, itemque castren-
θρων. οι. οντες. γραμματεις. των. ταγματων. επι τον. δημον. των. δε. αλλων. οικητων.
sium, ii, qui sunt scribæ *militarium* ordinum apud populum: aliorum vero incola-
την. γραφην. οι αποδειχθεντες. υπο. των. εν. Μαγνησιαι. κατοικων. ανδρες.
rum conscriptionem designati ab iis, qui Magnesiæ sunt, colonis viri *exhibento.*
Οταν. δε. τιθωνται. τυς. καταλοχισμυς. οι. γραμματεις. και. οι. ανδρες. οι. απο-
Quando porro constituerint *ipsas* cohortes scribæ, & viri desig-
δειχθεντες. την. γραφην. των. αλλων. οικητων. ορκισατωσαν. αυτυς. οι. εξετασαι.
nati conscriptionem aliorum incolarum; jurare faciant ipsos inquisitores
επι. τυ. μητρωιυ. ιεροις. νεοκαυςοις. τυς. μεν. γραμματεις. η. μεν.
in æde matris Deum, victimis recens crematis, & scribas quidem certe (*jurare faciant*)
απο. τυ. βελτιςυ. ανενηνοχεναι. την. γραφην. των. οντων. παρ. αυτοις. κατοικων.
optima fide exhibuisse conscriptionem eorum, qui sint apud ipsos, colonorum
ιππεων. και. πεζων. των. τε. κατα. πολιν. και. των. καθ. υπαιθρα. τασσομενων. Τυς.
equitum, ac peditum, qua in urbe, qua in castris in ordinem redactorum.
δε. ανδρας. τυς. αναφεροντας. την. γραφην. των. αλλων. οικητων. ομοιως. ανενηνο-
Porro viros exhibentes conscriptionem aliorum incolarum similiter: exhibitam
χεναι. την. γραφην. των. αλλων. οικυντων. εν. Μαγνησιαι. και. οντων. ελευθερων.
esse conscriptionem aliorum habitantium in *urbe* Magnesia, qui & sint liberi,
και. Ελληνων. Τας. δε. ανενεχθεισας. γραφας. οι. εξετασαι. παραδοτωσαν. τωι.
& Græci. Exhibitas autem conscriptiones inquisitores tradunto tabularum
γραμματοφυλακι. της. βυλης. και. τυ. δημυ. ο. δε. θεσθω. εις. το. δημοσιον.
custodi (*Archivario*) senatus & populi, hic vero reponito in (*Archivium*) tabula-
επικληρωσατωσαν. δε. οι. εξατασαι. εις. τας. φυλας. τα. ανενεχθεντα. ονοματα.
rium. Sorte autem distribunto inquisitores in tribus exhibita nomina

 omnia,

παντα. και. αναγραψατωσαν. εις. τα. κληρωτηρια. παντων. ων. και. τοις. λοιποις. πο-
omnia, & rescribunto in sortium tabularia omnia, quorum & reliqui ci-
λιταις μετεςιν. Χρησθωσαν. δε. οι. πολιτογραφθεντες. και. εν. Μαγνησιαι. περι.
ves participes sunt. Utuntor porro inter cives adscripti etiam in *urbe* Magnesia, quantum
των. συναλλαγματων. και. ενγκληματων. των. προς. Σμυρναιυς. τοις. νομοις. τοις. Σμυρ-
ad commercia, & (*accusationes*) controversias cum Smyrnæis ipsis legibus Smyr-
ναιων. Δεχεσθωσαν. δε. και. εν. Μαγνησιαι. νομισμα. το. της. πολεως. εννομον. και.
næorum. Recipiunto vero etiam *in urbe* Magnesia numisma urbis legitimum, &
αρχοντα. δε. ον. αν. αποςελλη. ο. δημος. κυριευσοντα. δε. των. κλειδων. και.
principem *Archontem* quidem, quem miserit populus, habiturum in potestate claves, &
εσομενον. της. φυλακης. της. πολεως. και. διατηρησοντα. την. πολιν. τωι. βασιλει.
præfuturum præsidio urbis, & custodia servaturum urbem regi
Σελευκωι. παραδεξονται. οι. εν. Μαγνησιαι. Δοτωσαν. δε. Σμυρναιοι. και. εις. κατασκη-
Seleuco, recipiunto Magnesii; Danto quoque Smyrnæi & in tabernaculo-
νωσιν. τοις αποσκευαζομενοις. των. εκ. Μαγνησιας. οικιας. κλινων. οσων. αν.
rum erectionem iis, qui amoti sunt ex Magnesiaca familia, lectos, quotquot *dan-*
τωι. δημωι. δοξηι. αφ, ο. αν. χρονυ. η. ομολογια. συνσφραγισθηι. εις. εξαμηνον.
dos populo visum fuerit, ab eo tempore quo fœdus consignatum fuerit in semestre.
Μισθυσθω. δε. ο. ταμιας. των. οσιων. προσοδων. τας. οικιας. μετα. των. ςρατηγων.
Mercede porro conducat quæstor sacrorum proventuum domos cum prætoribus,
και. το. ανηλωμα. διδοτω. απο. των. της. πολεως. προσοδων. Ομοσαι. δε. τυς. μεν. εν.
& sumptum præbeat ex urbis reditibus. Juranto autem, qui in
Μαγνησιαι. κατοικυς. των. τε. κατα. πολιν. ιππεων. και. πεζων. και. τυς. εν. τοις. υπαι-
urbe Magnesia coloni, & qui in urbe equites, & pedites, & in castris
θροις. τασσομενυς. και. τυς. αλλυς. τυς. καταχωριζομενυς. εις. το. πολιτευμα. τον. δε.
ordinati & alii recepti in civitatis communionem
τον. ορκον. Ομνυω. δια. Γην. Ηλιον. Αρη. Αθηναν. Αρειαν. και.
sequens jusjurandum: Juro per Terram, Solem, Martem, Minervam, Bellonam, &
την. Ταυροπολον. και. την. Σιπυληνην. και. Απολλω. των. εν. Πανδοις. και. τυς. αλ-
Tauricam *Dianam*, & matrem *Deum* Sipylenen, & Apollinem Pandium, & alios
λυς. Θευς. παντας. και. την. τυ. βασιλεως. Σελευκυ. τυχην. εμμενω. εν. ταις. συν-
Deos omnes, & *per* regis Seleuci fortunam: permanebo in pa-
θηκαις. αις. συντεθειμαι. προς. Σμυρναιυς. εις. απαντα. τον. χρονον. και. διατηρησω.
ctis quæ constitui cum Smyrnæis in omne tempus, & conservabo
την. δε. συμμαχιαν. και. την. ευνοιαν. τωι. βασιλει. Σελευκωι. και. τηι. Σμυρναιων.
cum belli societatem, tum benevolentiam regi Seleuco & Smyrnæorum
πολει. και. α. παρειληφα. παρα. τυ. βασιλεως. Σελευκυ. διατηρησω. κατα. δυναμην. την.
urbi, & quæ accepi ab rege Seleuco, conservabo pro viribus
εμην. και. αποδωσω. τωι. βασιλει. Σελευκωι. και. υθεν. παραβησομαι. των. κατα. την.
meis, & restituam regi Seleuco, & nihil transgrediar eorum, quæ ad fœ-
ομολογιαν. υδε. μεταθεσω. επι. το. χειρον. τα. γεγραμμενα. εν. αυτηι. υτε. τρο-
dus *faciunt*, neque exponam in pejorem partem scripta in ipso *fœdere*, neque mo-
πωι. υτε. μηχανηι. υδεμιαι. Και. πολιτευσομαι. μεθ. ομονοιας. αςασιαςως. κατα. τυς.
do, neque machina ulla. Et in civitate versabor cum concordia, sine seditione secun-
Σμυρναιων. νομυς. και. τα. ψηφισματα. τυ. δημυ. και. συνδιατηρησω. την. τε. αυτο-
dum Smyrnæorum leges, & decreta populi: & conservabo cum jus propriæ
νομιαν. και. δημοκρατιαν. και. ταλλα. τα. επικεχωρημενα. Σμυρναιοις. υπο. τυ.
legis, tum populare gubernium atque alia concessa Smyrnæis ab
βασιλεως. Σελευκυ. μετα. πασης. προθυμιας. εν. παντι. καιρωι. και. υτε. αυτος. αδι-
rege Seleuco cum omni alacritate in omni tempore, & neque ipse injuria
